UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber VII. De potentiis, actibus, & obiectis entis incorporei negatiuè sumpti; siue entis spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95247

Visual Library

LIBER SEPTIMVS.

De potentiis, actibus, & obiectis entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis.

TRACTATVS I.

De potentiis præsertim intentionalibus entis spiritualis in communi sumptis.

CAPVT I.

Potentias animi, & cuiusuis entis spiritualis ab eo indistinctas realiter esse verius est.

1 HANC sententiam arbitror expressam esse Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 11. *Ibi: hæc igitur tria memoria, intelligentia, & voluntas: quoniam non sunt tres vitæ, sed vna vita nec tres mentes, sed vna mens; consequenter vtique nec tres substantiæ sunt, sed vna substantia.* Bernardi serm. 11. in cantica ibi: *in anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem; & hæc tria eamdem esse animam.* Claudiani lib. 1. de statu animæ cap. 24. ibi: *Verum tu idcirco, vel maxime de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud animæ potentias credis.* Isidori lib. 11. origin. cap. 1. ibi: *dum ergo viuificat corpus, anima est; dum scit, mens est; dum vult, animus est; dum recolit, memoria est; dum rectum iudicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est.* Ac tandem Hugonis Victorini, vel alterius Authoris in doctrina Augustini versatissimi in lib. de spiritu, & anima ibi: *Dicitur namque sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quam ipsa.* Eandem sententiam tuentur Doctores Scholastici non exigui nominis, in quibus sunt Bonauentura, & alij plures, quos referunt Conimbricenses lib. 2. de anima cap. 3. q. 4. Item cum Scoto eius assecłæ, cum Okamo Nominales, & ex nostris Hurtadus, Arriaga, & plerique neotherici.

2 Missis autem argumentis leuioris momenti vnico, eoque efficacissimo hanc sententiam probo: si daretur aliqua voluntas ab anima realiter distincta; ea quidem amaret suum obiectum, absque eo, quod illud cognosceret: consequens autem falsum est, aut falsum non est, quod omnes admittunt, nihil volitum, quin præcognitum sit. Sequela vero perspicua est: voluntas enim illa ab anima distincta non est intellectus: ergo obiectum suum non cognoscit, nec intelligit, & tamen illud amat. igitur amat quod non cognoscit. Quod si voluntas ab anima realiter indistincta sit; pari ratione intellectus, memoria, facultas sensitiua, generatiua, nutritiua, loco motiua, & reliquæ omnes ab anima indistinctæ erunt, cum omnium par sit ratio, & parem in omnibus vim aduersariorum argumenta habeant.

3 Respondent communiter Thomistæ, voluntatem, licet distinguatur ab intellectu, obiectumque non cognoscat, illud tamen amare posse per sympathiam, quam habet cum intellectu secum in eadem anima radicato, ac tale obiectum præuie cognoscente. Inficias ire non possum hanc sympathiam inter res à Deo creatas haud raro experiri: idque forsan ostendam lib 9. huiusmet operis, cum de indiuisibilitate animarum sermo erit. Cæterum quod in præsenti locum non habeat, quodque nihil conferre possit, vt voluntas obiectum sibi incognitum amet, ita ostendo. Voluntas quantauis sympathia cum intellectu prædita sit, nequit tamen diuinitus amare obiectum, cuius bonitas sibi non proponitur: at bonum solum cognitum ab intellectu, & non voluntate, voluntati non proponitur: Siquidem proponi bonum est cognosci, & consequenter proponi alicui est ab illo cognosci: Vnde proponi voluntati est ab illa cognosci: cum igitur bonum à solo intellectu, & non à voluntate cognoscitur, certè voluntati non proponitur: ergo ab ea amari non potuit. Minor, & consequentia manifestæ sunt. Maior etiam non minus manifesta videtur: Quia tamen negatur, hunc in modum ostenditur: si voluntas potest amare bonum, quod sibi non proponitur, posset saltem diuinitus illud amare, esto ne intellectui quidem per cognitionem proponeretur: atque ita cognitio non esset simpliciter necessaria ad amorem: quod ne ipsi quidem aduersarij admittunt. Sequelam probo, quia ad hoc, vt voluntas amet obiectum, multo magis requiri videtur eius bonitatem proponi voluntati, quæ sola est amorem elicitura, quàm intellectui, ad quem amor non pertinet: at voluntas potest etiam naturaliter amare obiectum, quod sibi non proponitur: ergo à fortiori poterit saltem diuinitus amare obiectum, licet alteri facultati à se distinctæ, nimirum intellectui non proponatur.

4 Argumentor secundo contra præfatam solutionem: admissa distinctione potentiarum ab ea negari nequit, quin Deus Petrum intellectu suo diuinitus spoliare posset; eumque vel in lapide, vel in alio homine collocare. Ita Ferrara 2. contra Gent. cap. 63. & Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 5. & P. Suarez lib. 2. de anima cap 1. & quidem ni fallor efficaciter probari potest contrà B. Thomam 1. 2. quæst. 110. art. 4. Capreolum, Caietanum, & alios: maior est dependentia potentiarum ab anima, quam animæ à suis potentiis, cum illa sit à priori, hæc à posteriori: at potest Deus miraculosè conseruare potentias animæ sine ipsa: sicut proprietates substantiæ panis absque ipsa in Eucharistia conseruat: ergo à fortiori animam sine potentiis per miraculum conseruare potest. His statutis ad propositum reuertor: si posset voluntas amare obiectum à se incognitum vi solius sympathiæ cum intellectu illud cognoscente, atque in eadem anima secum radicato; posset etiam voluntas Petri omni intellectiua porentia destituti obiectum

aliquod

aliquod amare, vi nimirum sympathiæ cum suo intellectu tale obiectum in lapide, vel alicubi aliàs cognoscente. Consequens non admittitur ab aduersariis, nec admitti potest: quis enim vsque adeò insaniat, vt Petrum voluntatis suæ actu aliquo amare posse putet obiectum non solũ absque illius cognitione, sed etiam absque intellectu, per quem illud cognoscere queat, aut aliquem amare posse, quin cognoscat, & quin etiam cognoscitiuus sit. Sequela probatur: quia vt vnum operetur per sympathiam cum alio, necessaria non est vnio, aut coniunctio vtriusque, imò nec approximatio localis vtriusque requiritur: sic vnius cytharæ corda pulsata altera ei concinis, & in eodem puncto temperata, quamuis longo interuallo distet, propter sympathiam tamen altera impercussa omnino tremiscit: sic etiam scorpiuri, & eliotropij flores per sympathiam cum sole, à quo immenso interstitio seiuncti sunt, ad eius tamẽ motum conuertuntur: sic tandem ad lunaris globi longissimè à nobis positi per circuitionem mare per sympathiam iuxta complures æstuat, & cõtinuo fluxu, ac refluxu agitatur: igitur quantumuis intellectus, & voluntas Petri in eadem anima non coniungantur, nec ea mediante vniantur, sed altera facultas in lapide, altera in Petro existat, cognoscente tamen intellectu separato Petri obiectum aliquod, illud etiam per sympathiam eius voluntas amare poterit.

5 Argumentor tertio contra eam solutionem: fieri nequit, vt voluntas amet naturaliter aliquod obiectũ, quin intellectus vt minimum illud cognoscat, aut vt appetitus materialis aliquod obiectum appetat, quin sensus materialis illud cognoscat: ita etiam ij, quibuscum congredimur: at si voluntas posset amare obiectum sibi ignotum per sympathiaam cum intellectu illud cognoscente, esse posset, vt voluntas amaret aliquod obiectum ab intellectu incognitum propter sympathiam cum sensu materiali in eadem anima radicato, idemque obiectum cognoscente: atque vt appetitus materialis aliquod obiectum à sensu materiali non perceptum appeteret tamen ob naturalem consensum cum intellectu tale obiectum cognoscente.

Respondent secundò, intellectum, & voluntatem ab anima quidem realiter distingui, sed non interse: ac proinde volũtatem nunquam ferri in incognitum. Ita Durandus in 1. dict. 3. q. 3. & 4. quem aliis sequuntur. Cæterum hæc solutio mihi nunquam probari potuit: etenim si quamuis intellectus, & voluntas diuersa obiecta respiciunt, verum scilicèt, & bonum, diuersosque etiam, & valdè dissimiles actus sortiantur, videlicet cognitionem, & amorem, diuersæ tamen potentiæ non sunt; cur etiam eadem indiuisibilis facultas in homine sit non solum intellectus, voluntas, & memoria, sed etiam sensus internus, & appetitus ei respondens; visus etiam, auditus, tactus, olfactus, gustus, necnon potentia loco motiua, nutritiua, & generatiua quantumlibet hæ omnes potentiæ diuersa obiecta, dissimilesque actus sortiantur. Consequens est absurdum, & ab ipsis aduersariis negatur.

6 Rursus impugnatur ea solutio: quia iuxta eam facultas simul cognoscitiua, & volitiua esset, & non esset perfectior anima spirituali, cui inhæret: non esset perfectior, quia anima quidquid est in homine, imò & excepto Angelo, quidquid est extra hominem perfectione superat. Ita Aristoteles lib. 7. Politicor. ibi: *anima pretiosior est corpore, & omni possessione, & omnibus aliis bonis.* & Cicero Parado. 1. *Nobis Deus, siuè mater rerum omnium natura dedit animum, quo nihil est præstantius, neque diuinius.* Deinde facultas illa simul intellectiua, & volitiua esset perfectior anima nostra: siquidem illa facultas proprie & immediatè potest intelligere reminisci, & amare, meteri, & demetereri, Deumque clare conspicere, eoque beatifice frui: ea libertatis arbitrio gaudet, quo cæteras facultates moueat, iisque imperet: ea innumeras obiectorum varietates apprehendere, & conferre potest, & mira quadam reflexione discernere quid in iis, quæ cognouit, verum, aut falsum sit; quid ex quolibet illorum sequatur, aut cuilibet eorum repugnet; quid sibi fugiendum, aut amplectendum sit. Ea facultas celeritate cognitionis maria, ac terras, cælique ipsius profunditatem in ictu oculi transuolat, ac volitionis suæ incredibili volubilitate cogitationis suæ velocitatem assequitur: at hæc omnia propriè, immediatèque exercere nequit anima, nec nisi immediatè, & impropriè ei conueniunt: ergo perfectior erit ea facultas, quam anima ei subsans.

Respondent tertio, voluntatem quantumlibet distinctam ab intellectu non amare incognitum: non quia cognoscit id, quod amat, sed quia nec amat, neque cognoscit, tantumque amorem, per quem anima est amatura, velut eius comprincipium efficit. Hæc solutio multorum plausu excipitur, cum tamen ab omnibus explodi debeat. Primo namquè manifesta sententia Patrum est, voluntatem velle, & amare: quorum censu prætermisso vnus sufficiat Augustinus de libero arbitrio sic inquiens: *voluntas auersa ab incommutabili bono, & conuersa ad proprium bonum, aut ad interius, aut ad exterius, peccat: ad proprium conuertitur, cum suæ voluntatis vult esse: ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent cognoscere studet: ad interius, cum corporis voluptatem diligit.* Deinde impugnatur ea solutio, quia iuxta eam non vna voluntas esset in homine, vt communiter, & merito ab omnibus existimatur: sed potius innumeræ in eo voluntates, siue potentiæ volendi essent: anima enim, quæ iuxta Authores solutionis huius vult, voluntas negari nequit: quid enim magis propriè voluntas, quam id cuius volendi partes sunt? Rursus qualitas illa volitionis effectiua vt anima, & non ipsa velit, de aduersariorum sententia voluntas est. Præterea habitus supernaturales omnes, ac singuli sunt voluntates hominis: id circo enim ea, quam aduersarij voluntatem appellant, talis re vera est, quia volitionem efficit, licet per eam minimè velit: cur igitur quiuis habitus supernaturalis spei, charitatis, iustitiæ, aut alterius virtutis voluntas non sit, cum volitionem efficiat: idquè multò magis perfectè, quàm ea, quam aduersarij voluntatem comminiscuntur. Pari ratione inferri potest iuxta eam solutionẽ in homine innumeros esse intellectus, videlicet præter eum, quem aduersarij admittunt, animam ipsam, omnesque species impressas, quæ ad actum intelligendi concurrunt: at hæc, quæ ex solutione illa sequuntur, omnium consensu falsa sunt. 7

Respondent quartò & vltimò, solum illud principium debere cognoscere obiectum, quod illud amat, *vt quod*, non vero *vt quo* solum: cum ergo voluntas non amet obiectum suum nisi *vt quo*, anima verò hominis sit, quæ amat *vt quod*, necesse non esse, vt voluntas obiectum amatura, illud præcognoscat. Hæc conclusio aduersariis familiaris vt patrum soliditatis, sic multum molestiæ habet, quid molestius, quam cum inanibus sonis, vacuisque verbis certamen inire? Quid difficilius, quàm friuolas voces, ac nunquam prius tacituras, nunquam non reclamaturas impugnare? contra quas si quid obiicias obiectu validiores factæ repulsant, atque instar 8

instar resonabilis echus ingeminatæ, & arguentem, & veritatem vtriusque cum ludibrio confundunt: voces igitur vt vincantur, fugiendæ sunt, earumque significatio aduenda: quare sic argumentor: voluntatem amare *vt quo* nil aliud significat, quam illam proprie, ac simpliciter amare, tametsi non per modum principij radicalis sed per modum principij proximi, & immediati, vt merito aduersarij fatentur: alias si voluntatem amaret *vt quo* non esset absolutè amare, sed amorem efficere, hæc solutio ab ea, quæ proximè impugnata est, nihil discreparet: & quidem nisi hoc significet amare *vt quo* nescio quid aliud sub illis vocibus latere possit: at nulla potentia propriè, ac simpliciter amare potest obiectum sibi incognitum, vt constat ex iis, quæ in impugnatione primæ solutionis adduximus: ergo voluntas *vt quo* amare nequit obiectum, quod ipsa non cognoscit.

9 Argumentor secundo: longè magis perfectè amat voluntas obiectum, quam anima, cui inest: tametsi altera *vt quo*, altera *vt quod* amet; nimirum quia anima mediatè tantum, & radicaliter, voluntas vero immediatè, & formaliter amat: qua ratione maiori proprietate calor aquæ, quam aqua ipsa calefacit: circa quam doctrinam recolenda sunt, quæ lib. 4. Physic. tract. 1. capite 2. de causa mediata, & immediata diximus: at anima nequit amare *vt quod*, quin cognoscat obiectum, vt aduersarij docent: ergo à fortiori voluntas non poterit amare *vt quo*, quin amoris sui obiectum præcognoscat. Argumentor tertio. calor ignis non calefacit passum nisi *vt quo* atque in virtute ignis, cui inest: & tamen hoc non obstante nequit calor calefacere passum, quin hoc ipsi calori approximetur, ac physicè seu localiter præsens fiat: ergo similiter licet voluntas *vt quo* tantum, atque in virtute animæ velit obiectum, non poterit tamen velle obiectum, quin hoc ipsi voluntati proponatur, & essentialiter, ac vi cognitionis ei repræsentetur. Tandem argumentor: nequit anima amare obiectum *vt quod*, nisi etiam cognoscat obiectum *vt quod*, seu medio intellectu à se distincto, vt aduersarij tradunt: ergo nequibit voluntas amare obiectum *vt quo*, nisi illud *vt quo* cognoscat: cur enim ibi, & non hic modus amandi obiectum, modusque illud cognoscendi proportionentur? At voluntas non cognoscit *vt quo* obiectum: aliàs esset intellectus: ergo illud *vt quo* amare non poterit.

Caput II.

Argumenta contrariæ opinionis soluuntur.

10 POtentias animæ, & cuiusuis alterius entis spiritualis ab eo realiter distinctas esse tuentur cum B. Thoma, eius sectatores: quorum argumenta hic diluenda sunt. Arguunt primò: nulla substantia est immediatè operatiua: ergo anima non nisi per potentias accidentales à se distinctas operatur. Respondeo falsitatem antecedentis satis superque constare ex iis, quæ discernimus lib. 4. Phys. tract. 7. cap. 1. Arguunt secundo; ex nostra sententia sequi, animam intellectu velle, & voluntate intelligere. Respondeo, eas propositiones veras esse, si non in sensu formali, sed in sensu identico, aut reali vsurpentur: earum autem veritatem in solo posteriori sensu, non verò in priori sequi ex nostra sententia, qui potentias tum inter se, tum etiam cum anima non formaliter, ac ratione nostra sed tantum realiter eadem esse profitemur. Arguunt tertio ex B. Thoma 1. p. quæst. 77. art. 1. cuius hæc sunt verba ibi: *anima secundum suam essentiam est actus: si ergo ipsa essentia animæ esset immediatum operationis principium semper habens animam actu haberet opera vitæ: sicut semper animam habens actu est viuum: non enim in quantum est forma, est actus ordinatus ad vlteriorem actum, sed est vltimus terminus generationis.* Fateor me non percipere vim huius argumenti. Namque in primis calor est actus: & tamen reipsa est potentia calefactiua, siue alterius caloris productiua: cur ergo, quamuis anima sit actus, non possit esse potentia, siue, quod perinde est, actus ordinatus ad vlteriorem actum, quem valeat producere? Rursus anima viuificat corpus in genere causæ formalis intrinsecæ, cuius effectus supposita vnione impediri nunquam potest: atque adeo mirum non est quod corpus habens animam actu semper viuat. Cæterum anima exercet opera vitæ in genere causæ efficientis, cuius effectus multoties, multisque modis impediri potest ac solet: vnde non est cur corpus habens animam, ob id semper habeat opera omnia vitæ.

Arguunt quartò ex P. Suarez disp. 18. Metaphys. 11
sect. 3. numero 18. Et sequentibus: reliquæ omnes substantiæ potentiis à se distinctis adiuuantur ad suos effectus consequendos: ergo & anima. Antecedens inductione suadetur: namque elementa, & mixta vt locos sibi salutares ac naturales sortiantur, grauitatem aut leuitatem à se distinctam habent. Rursus ignis calefacit appositam sibi materiam medio calore à se distincto: & aqua pariter medio frigore frigefacit: materia etiam quantitate à se distincta eget, vt impenetrabilis sit, atque vt formas substantiales, & accidentales recipiat. Respondeo negato antecedenti; eiusque occasione hunc in modum aduersarios redarguo: vt elementa, mixtaue ad centrum suum physicè moueantur grauitate, aut leuitate à se distinctis minime egent, vt lib. 8. Phys. tr. 1. c. 7. Late probatum manet: ergo similiter vt anima intelligendo, aut volendo, sentiendo, aut appetendo in obiecta sua intentionaliter ferâtur, potentiis à se distinctis non egebit. Deinde: tametsi aqua, & ignis calorem, ac frigiditatem in extraneo subiecto medio calore, ac frigore sibi inhærentibus producant, ne videlicet præsente causa vniuoca ad eius effectum causa æquiuoca concurrat; cæterum elementa illa calorem, ac frigiditatem in semetipsis per suas substantias producunt, & non per qualitatem occultam, ac virtualem, vt contra Iauellum, aliosque Thom. stas lib. 4. Phys. tract. 7. cap. 1. ostendimus: ergo similiter anima actus vitales tàm materiales, quàm spirituales in semetipso per semetipsam, & non per potentias distinctas operabitur. Tandem lib. 3. tract. 4. cap. 3. Huius operis multis probatum est, materiam sine quantitate distincta impenetrabilem, ac formarum quarumcumque receptiuam esse: ergo similiter, &c.

Arguunt quinto: omne principium indifferens 12
eget alio, à quo determineatur: at anima est indifferens ad multas, variasque functiones, nempe ad intelligendum, volendum, sentiendum interius, aut exterius appetendum, necnon etiam ad exercitia vitæ loco motiuæ nutritiuæ & generatiuæ: igitur eget potentiis à se distinctis, quibus ad has functiones determinetur. Respondeo, animam sufficienter determinari ad efficiendam immediatè sensionem externam per speciem obiecti propriam, & per sensionem externam ad sensionem internam, eiusque speciem, & per has ad intellectionem, eiusque speciem, ac deinde per sensionem internam, ac intellectionem ad appetitionem materialem, volitionemque spiritualem, & per has ad reliquas functiones; ac proinde multiplicandas non esse potentias distinctas eo solum fine,

ne,vt animam ad operandum determinent. Arguunt sextò: sicut anima est prima radix operandi in ordine naturali: ita similiter gratia est prima radix operandi in ordine supernaturali: at gratia concurrit ad actus supernaturales non immediatè,sed potius mediis virtutibus supernaturalibus à se distinctis, nimirum fide, spe, & charitate, nec non etiam habitibus supernaturalibus prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ &c. Ergo etiam anima non immediatè, sed potius mediis potentiis à se distinctis ad actus naturales efficienter concurret. Respondeo; in primis hoc argumentum multum probare, ac per consequens nihil probare: etenim si exacta, atque integra proportio inter animam, & gratiam admittenda sit,anima quidem non vnam voluntatem, sed plures habebit, tot nimirum, quot obiecta formalia specie morali diuersa amplecti potest: haud aliter ac gratia pro numero obiectorum supernaturaliter amabilium totidem virtutum supernaturalium chorum ducit,animamque spe erigit, charitate accendit, temperantia cohibet, iustitia regit, misericordia emollit, aliisque innumeris habitibus supernaturalibus Deo amicabilem,ac diabolo formidabilem reddit. Respondeo secundo; idcirco virtutes supernaturales à gratia realiter distingui, quia ab ea realiter separabiles sunt, vt patet in peccatore, in quo fides, & spes gratiæ amissæ superstites sunt: at potentiæ animæ ab illa separari, eive subremanere non possunt.

13 Arguunt septimò: potentiæ specificantur ab obiectis, ideſt penes eorum diuersitatem specie distinguuntur: at anima pluta obiecta formalia specie diuersa respicit, nimirum verum, & bonum, colorem, & sonum,&c. Ergo potentiæ animæ inter se specie differunt atque adeò ab anima etiam distinguuntur. Rursus potentiæ etiam specificantur à terminis,quorum productiuæ sunt: at anima terminos, effectusque specie diuersos respicit, vtpote quæ intelligere, & velle, sentire, & appetere, nutrire, generare, localiter mouere, multisque aliis modis operari potest: igitur pro varietate harū operationum tum inter se, tum etiam ab ea distinguentur. Respondeo: potentiæ realiter inter se distinctæ nec à terminis, nec ab obiectis specificantur: siquidem specificari est specie differre: differre autem specie nequeunt nisi quæ realiter distinguuntur: cum ergo potentiæ animæ realiter indistinctæ sint à nulla re specificabuntur:cæterum potentiæ realiter inter se distinctæ tùm à terminis, tum etiam ab obiectis specificantur, non quod eadem potentia non possit respicere diuersos terminos, diuersaque obiecta formalia; neque etiam quod diuersæ potentiæ eundem terminum, idemque obiectum formale aliquando respicere nequeant; sed quia hoc ipso, quod aliquæ potentiæ realiter distinctæ ita comparatæ sint, vt altera respiciat aliquem terminum, aliquodve obiectum, quæ non respicit altera, non poterunt inuicem non specie differre,differentia numerica in specificam abeunte.

14 Occasione autem huius postremi argumenti libet aduersarios hunc in modum redarguere: si potentiæ animæ realiter distinguerentur inter se, & consequenter ab anima, maximè ob diuersos terminos,vel ob diuersa obiecta formalia: at neutro ex capite distingui possunt. Quod enim non distinguantur ob diuersitatem actuum, & operationum ex eo constat: quia eadem indiuisibilis potentia plures operationes specie diuersas, multosque actus valde dissimiles elicit: ergo exeo, quod potentiæ animæ diuersas operationes, diuersosque actus efficiant, earum inter se distinctio non sequitur. Antecedens probatur: siquidem iuxta ipsos aduersarios vnus, idemqua intellectus apprehendit, iudicat, & discurrit; necnon clarè, & obscure, affirmatiuè, & negatiuè, aliisque innumeris modis cognoscit. Rursus vna, eademque voluntas amorem, & odium,intentionem,& electionem, desiderium, gaudium, amoremque strictum, item volitionem efficacem, & inefficacem, praua, & studiosam aliasque elicit. Pari ratione quivis sensus internus externusvè quantumuis sit vnus numero,plures tamen numero actus, & quātumlibet specie vnus sit, multas tamen specie operationes sortitur. Iam quod potentiæ animi, alteriusuè entis spiritualis mutuum inter se discrimen ex diuersitate obiectorum non accipiant, hac ratione probatur: eadem indiuisibilis potentia plura obiecta formalia specie diuersa respicit: ergo potentiæ animi propter diuersitatem obiectorum formalium distinguendæ non sunt. Antecedens inductione probatur: nam intellectus noster Deum, & creaturas, substantiam, & accidens, aliaque genera his inferiora; item entia realia, & rationis negatiua, & positiua, infinita quadam, & mirabili comprehensione attingit: voluntas etiam, cum eadem numero sit obiectorum tamen numero,varietate,ac præstantia intellectui non cedit: sensus internus, & communis obiecta omnia sensuum externorum,capacitate sua complectitur:tactus etiam sensuum externorum in simus quatuor tamen primarias qualitates,& multas etiam secundarias attingit. Rurius suadetur discrimen facultatum animi in obiectorum diuersitatem refundi non posse: duæ po tentiæ multoties idem obiectum attingunt: ergo quod potentiæ sint distinctæ ex distinctione obiectorum, quæ sæpe nulla est, proficisci nequit. Antecedens suadetur: nam voluntas, & intellectus, cum iuxta aduersarios distinctæ potentiæ sint, idem tamen obiectum respiciunt, cum nihil voluntas amet, quod ab intellectu cognitum non sit, & nihil intellectus cognoscat, quod voluntas amare,vel odisse non possit, si non tollit. Deinde potentia nutritiua, & potentia generatiua, cum distinctæ potentiæ iuxta aduersarios non paucos sint, tamen eundem specie terminum, siue obiectum habent,carnem v.g. hominis, quæ siue primò generetur, siue per nutritionem adquiratur, eadem specie est. Præterea si non dentur speciesinsensatæ, sensus internus, & collectio sensuum externorum idem omnino obiectum sibi vendicabunt. 15

Plerique Thomistæ potētias,& actus ex obiectorū formaliū diuersitate diuersitatē suā mutuari: vt autem argumentis factis satisfaciant, obiectum formale bifariam accipi posse tradunt. Primo in esse rei, secundo in esse obiecti, siue scibilis, aut volibilis: in primio vero sensu non renuunt, eandem indiuisibilem potentiam, eundemque actum tendere posse in diuersa obiecta formalia: & è contrario diuersas potentias, diuersosque actus in idem obiectum formale ferri posse: nam quamuis, inquiunt, intellectus & voluntas ferantur in idem obiectum inesse rei, & eadem omnino res cognitionem, & amorem terminet: cæterum vtraque facultas diuersum semper obiectum in esse obiecti respicit: & altera bonum, altera verum attingit; seu. quod perinde est, altera in re sub ratione volibilis, altera sub ratione scibilis tendit. Rursus licet intellectus in creatorem, & creaturas, aliaque obiecta in esse rei differentia feratur, omnia tamen in esse obiecti, siue scibilis, aut veri specie atoma conueniunt. Hæc autem quæ de intellectu, voluntate docent hi Authores, seruata proportione aliis potentiis accommodant. Verum hæc solutio facile expugnari potest. Primo namque obiectum in ratione scibilis, aut volibilis

libilis intrinsecè, & essentialiter scientiam, aut volitionem possibilem includit; vel, quod in æquo est, connotat: ergo cum dicitur actus, & potentias differre, quia obiecta in ratione scibilis, aut volibilis differunt, nihil aliud dicitur, quàm actus scientiæ, aut volitionis differre, quia differunt, nihil aliud dicitur, quàm actus scientiæ, aut volitionis differre, quia differunt: quo quid absurdius dici potest? Secundo, quia iuxta datam solutionem non conspicio, cur intellectus hominis vnus tantum, & non potius multiplex sit? nam obiectum intellectus in esse scibilis varium, ac multiplex est, cum modo intellectus tendat in rem prout apprehensibilem, modo vt iudicabilem, modo vt discursibilem, nunc vt clarè, nunc verò vt obscurè cognoscibilem, aliisque modis, quos referre molestum esset. Pari ratione voluntas iuxta eandem solutionem multiplex esset, cum rem prout amabilem, aut odibilem, intendibilem, aut eligibilem, aliisque modis prosequatur. Tertio iuxta eandem solutionem è conuerso intellectus, & voluntas esset eadem omnino potentia: siquidem obiectum idem in esse obiecti attingunt: & vtraque facultas in omnem rem sub ratione intentionaliter attingibilis tendit: parique ratione facultas nutritiua generatiua, & loco motiua eadem omnino potentia esset, cum in eamdem rationem formalem, sub qua ferantur, atque in rem quamcumque sub ratione physicè, & non intentionaliter attingibilis tendant.

Caput III.

Opiniones mediæ examinantur.

16 EXaminatis duabus sententiis extremè oppositis, & altera probata, altera improbata, operæpretium erit, opiniones inter vtramque medias, & nobiscum partim dissentientes examinare. Prior autem, & probabilior est, potentias spirituales hominis, cuiusmodi sunt intellectus, voluntas, & memoria à substantia animæ realiter indistinctas esse: cæterum potentias eius materiales, sensitiuas, aliasque quascumque ab anima realiter distingui. Ita nonnulli quos suppressis nominibus refert P. Petrus Hurtado disp. 4. de anima sect. 4. §. 39.

17 Huius verò discriminis inter istas potentias primum fundamentum est: quia si potentiæ materiales animæ ab ea indistinctæ essent, non esset, cur anima à corpore separata illas secum non ferret, in eoque statu videre, audire, olfacere, aliasque sensiones exercere non posset: consequens autem tam manifestè falsum est, quàm manifestum est, sensum omnem, motumque cum vita perire. Sequela probatur: quia anima iuxta nostra principia est per suam substantiam sensitiua non minus, quàm intellectiua: sicut ergo in statu separationis intelligere potest, quidni etiam & sentire? Verum hoc fundamentum leue est: nam primo dici potest, potentias sensitiuas animæ, aliasque materiales ab ea realiter inadæquatè distingui, & includere animam ipsam, vt principium effectiuum operationum materialium; organa vero corporea, vt principia earum receptiua; atque adeò mirum non esse, quod anima eiusmodi organis destituta sentire, aliove modo materialiter viuere nequeat. Rursus: si quod multi putant, anima non solum efficit, sed etiam recipit sensiones, & appetitiones materiales, responderi debet, animum in statu separationis potentias tam sensitiuas, quàm appetitiuas retinere, per eas tamen operari non posse ob defectum vnionis cum corpore, quæ est conditio necessaria ad eiusmodi operationes, vt decursu huius capitis explicabitur.

Secundum huius sententiæ fundamentum desumi potest ex Patre Vasquez tom. 1. in 1. 2. disputatione 34. cap. 2. principium effectiuum motus localis aut vi doloris, aut vi etiam laboris in nobis, experientia teste, langueſcit, ac defatigatur: at nulla res omnino spiritualis, cuiusmodi est anima rationalis, languoris capax est: qua ratione Angelus sine vllo languore cœlestes orbes perpetua, ac nunquam intermissa conuersione mouet: ergo anima rationalis non est principium effectiuum motus localis nostri, sed potius aliqua facultas materialis ab ea adæquatè distincta, quæ vt corrumpi, sic languere potest: languor enim & lassitudo virium corruptio est. Rursus ex eodem aliter. Angelus eadem velocitate, ac facilitate mouet corpus, siue languidum, ac fatigatum sit, siue potius robustum: pari ergo ratione si anima per se immediatè mouet corpus, æquali celeritate illud mouebit, siue langueat, siue eius vires integræ sint: hoc autem repugnat experientiæ; iuxta eam igitur non anima, sed facultas aliqua materialis erit in nobis, principium effectiuum motus nostri localis, aliarumque operationum materialium, quibus fatigamur. Hoc argumentum ingeniosissimi Doctoris, quamuis præcedenti probabilius sit, propositum tamen non includit. Quod vt innotescat, animaduertendum est, animam tametsi sit causa effectiua, sufficiens, & adæquata sensionum materialium, omniumque operationum vitalium, quæ exercentur in corpore; ad earum tamen effectionem egere spiritibus animalibus, qui à cerebro ad membra motum vitalem subitura deriuantur: sicut enim vnio animæ cum corpore eius vim intellectiuam ita retardat, vt nisi dependenter à phantasmatibus corporeis intelligere nequeat, licèt separata iis minimè indigeret: ita similiter vnio illa efficit, vt anima se, aut corpus localiter mouere non possit, nisi dependenter à spiritibus illis animalibus à capite per neruos deriuatis, quamuis exuta corpore iis ad motum siue sui, siue corporis neutiquam egeat. Porro autem tales spiritus ad motus localis exercitium non effectiuè, sed dispositiuè concurrunt, nisi fortè anima rationali informentur: suppositis enim tali informatione ex parte motum efficiunt, ex parte vero ad eum disponunt vi caloris, aliarumque qualitatum: haud secus ac calor, & aliæ primæ, & secundæ qualitates ad motum generationis ignis, aut aëris, alteriusve substantiæ disponunt. 18

Hoc igitur præmisso, respondeo principium dumtaxat receptiuum motus localis, nempe corpus nostrum, nimia agitatione langueſcere, ac defatigari; principium vero motus effectiuum nullum languorem subire; atque adeò animam nostram, tametsi languoris suapte natura expers sit, principium tamen effectiuum motus esse posse. Quod autem corpus nostrum, quamuis motum localem ab anima recipiat, eamque media aliqua facultate omnino corporea non efficiat, nimio tamen motu fatigari possit, in conspicuo est: tum quia non recipit motum ab anima nisi internentu spirituum animalium: hi autem continuo exercitio motus localis euanescunt, ac dissipantur: igitur eorum defectu corpus deficere, ac lassari poterit. Tum etiam, quia siquis curru feratur, quaquè impetus egit, expatientur equi, rapiantque per auia currum, & modò summa petant, modò per decliue, viasque præcipites sine lege ruant: is, inquam, languorem non mediocrem ex nimia illa succussione, ac violento motu contrahet: & tamen motum solum recipiet, & non efficiet: ergo vt corpus 19

nostrum

noſtrum langueat, & fatiſcat, neceſſe non eſt, vt motum efficiat, ſatiſque erit, vt illum recipiat. Hinc etiam intelligi poteſt, cur anima æquali velocitate corpus languidum laſſumque mouere non poſſit, ac ſi integrum, indefeſſumque eſſet: nam licet motum ſola efficiat, eget tamen, dum eſt in corpore ad eius effectionẽ ope ſpirituum animaliũ, quorum languente, ac fatigato corpore tanta copia non eſt: Angelus autẽ vel animus ſeparatus idcirco corpus ægrum, aut fatigatum tàm facilè, ac velociter mouere poſſunt, ac ſi eius vires integræ eſſent, quia non egent ad corpus defficienter mouendũ ope ſpirituum animalium, quibus dficientibus aliquid motui neceſſarium deficit.

20 Tertium, & cómune huius ſententiæ fundamentum eſt: ſi anima rationalis per ſeipſam immediatè, & non per aliquam potentiam materialem à ſe adæquatè diſtinctam, ſentiret, eiuſmodi ſenſatio materialis in ipſa animæ ſubſtantia immediatè reciperetur: in eo enim ſubiecto recipi debet, quod per illam ſentit: ſicut albedo in eo ſubiecto tantum recipi poteſt naturaliter, quod album denominatur: at ſenſatio materialis in anima immateriali, & incorporea recipi nequit: ſicut etiam è conuerſo forma ſpiritualis in ſubiecto materiali recipi, ex covè educi nullamus poteſt: diſtinguenda ergo eſt ab anima aliqua facultas materialis, per per quam immediatè ſentiat, & in qua eius ſenſatio recipiatur.

21 Reſpondeo quintupliciter. Ac primò per inſtantiam. Aſſignent enim aduerſarij ſubiectum, in quo potentiæ ſenſitiuæ recipiantur, & id ſenſionum ipſarum ſubiectum eſſe poterit. Nam aut recipiuntur in ſolo corpore, vt docet B. Thomas quæſt. vnica. de ſpiritualib. creaturis art. 4. ad 3. & ita ſicut anima eſt ſenſitiua per potentias in ſolo corpore receptas; cur etiam actu non ſentiat per ſenſiones in ſolo corpore receptas. Aut tales potentiæ in corpore, & anima ſimul recipiuntur, vt inſinuat B. Thomas. 1. p. q. 77. art. 5. Et quid vetat hoc ipſum de ſenſionibus affirmat? Aut demum reales potentiæ recipiuntur in ſola anima quantumlibet materiales ſint: atque ita ipſæ ſenſiones, non obſtante earum materialitate, in ſola anima ſpirituali recipi poterunt.

22 Reſpondeo ſecundò, ſenſiones materiales in ſola anima rationali immediatè recipi. Quamuis enim oppoſitum huius teneat Hurtadus diſp. 4. de anima à §. 28. omnia tamen eius argumenta parum, aut nihil concludunt. Arguit primò: res ſpiritualis nequit recipi, & ſubiectari in re materiali ſaltem adæquatè, vt omnes in confeſſo habent: ergo è contrario res materialis, cuiuſmodi eſt ſenſatio, in anima ſpirituali adæquatè recipi non poterit. Conceſſo antecedenti nego conſequentiam: quia res ſpiritualis conſtituitur eſſentialiter per independentiam à corpore, ſiue re materiali, vt ipſum nominis etymon indicat: cæterum res materialis, & corporea non conſtituitur eſſentialiter per independentiam à ſpiritu, ſed per hoc, quod habeat partes extenſas, aut impenetrabiles, aut corruptibiles, aut ſenſibiles, aut intellectu, & voluntate deſtitutas, aut certè per has omnes conditiones collectim ſumptas. Sic Deus eſt independens in genere cauſæ efficientis ab omni creatura, non tamen è conuerſo.

23 Arguit ſecundò idem Author: ſenſio materialis eſt extenſa, & integraliter diuiſibilis: igitur recepta in anima rationali ſuum ei effectum formalem tribuet, eamque proinde extenſam, & integraliter diuiduam denominabit: quod tamen falſum eſt. Verum enim ſenſio materialis non debet communicare animæ omnia prædicata ſibi conuenientia: ſicut cognitio ſpiritualis cum intenſa ſit, animam tamen, in qua recipitur, intenſam non denominat: & ſicut etiam iuxta aduerſarios ſenſio materialis recepta in ſola materia eam ens, accidens, aut viuentem non denominat, cum tamen ipſa has denominationes ſubeat. Tertio contra noſtram ſolutionem arguì ſolet: quantitas recipitur in materia, & non in forma materiali, licet etiam hæc extenſa ſit: ergo ſenſio in ſola materia recipietur quantumcumque anima ſentiat. Reſpondeo, quantitatem nec in materia, nec etiam in forma recipi, vt potè ab vtraque omnino indiſtinctam. Deinde idcirco quantitas in ſola materia recipitur iuxta aduerſariorum principia, quia pro priori naturæ ad formam ei recipiẽdæ materiam diſponit; atque adeò in materia tanquam in ſubiecto adæquato, & ſufficienti recipitur: hæc autem ratio non militat in ſenſionibus, quæ materiam ad receptionem formæ non diſponunt, ſed eam receptam ſupponunt. Adde ſuppoſita diſtinctione quantitatis à materia probabilius eſſe quantitatem tranſacto primo inſtanti generationis tam in materia, quam in forma recipi, quantumvis in primo inſtanti introductionis formæ in ſola materia recipiatur; nimirum quia vt diuerſarij arguunt, pro priori ad formam materiam diſponit. Sic frigiditas in primo inſtanti productionis aquæ ad eam diſponit, & non ab ea, ſed à generante producitur, cum tamen in reliquis inſtantibus à forma aquæ efficiatur.

Quartum contra noſtram ſolutionem argumentũ 24
eſt: ſi anima ſola reciperet ſenſationem materialem, ea eſſet tota ratio ſentiendi: at anima non eſt tota ratio ſentiendi: aliàs ſeparata à corpore non ſolum intelligere, ſed etiam interius, exteriuſque ſentire poſſet. Reſpondeo, animam quidem eſſe totam rationẽ ſentiendi, ſeparatam tamen à corpore ſentire non poſſe: tum quia eius vnio cum corpore eſt conditio ſine qua non poteſt ſenſiones efficere aut recipere: tũ quia ſenſiones materiales ſaltem mediatè, ac remote recipi debent in ſubiecto corpore: vnde in anima non niſi vnita corpori recipi poſſunt. Tum quia, vt anima ſentiat, opus habet ſpeciebus impreſſis, quas tamen non in anima, ſed in corpore recipi probabile eſt. Tum quia ſi cauſalitas materialis ab vnione diſtinguitur, vt multi aduerſariorum cenſent, poterit ſenſio materialis per vnionem adhærere corpori, quin per cauſalitatem materialem ei inhæreat: eiuſmodi autem adhæſio ſeorſim ab omni inhæſione ſufficit, vt ſenſio ſine corpore elici nequeat.

Reſpondeo 3. ſatis probabile eſſe ſenſiones mate- 25
riales in ſolo corpore recipi, vt P. Hurdo vbi ſupra, & alij plures tenent: probabile, inquã, eſſe ſi ſentire ſit ſenſationem efficere, ac recipere. Argumenta autem, quæ à Neotericis contra hanc doctrinam obiici ſolent, quamuis difficilia ſint, ſolutionem tamen capiũt. Arguunt igitur primò: id recipit ſenſiones, quod per eas ſentit: ſicut id recipit albedinem, quod per eam album denominatur: at corpus ſuapte natura inſenſibile non ſentit, ſoliuſque animæ eſt ſentire, vt per ſe notum videtur, & ab Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. c. 24. docetur in hæc verba: *neque enim corpus ſentit, ſed anima per corpus.* Reſpondeo, corpus & animam ſentire immediatè, & propriè: ſiquidem ſentire eſt efficere, & recipere ſenſionem, vt gratis ſupponendũ eſt: quare cum corpus recipiat ſenſionem, & anima illam efficiat, corpus & anima, ſiuè vtriuſque cõplexum ſentit. Auguſtinus autem ſolum ſibi vult, animã, & corpus per modũ vnius ſentire, nec alterã partem ſine altera eam denominationẽ ſubire: ſicuti dici conſueuit, albedinem non eſſe proprie album, ſed parietẽ per albedinem eſſe album; ſed, quod perinde eſt, complexum albedinis, & parietis eſſe album:

fateor tamen sensationem in sola anima recipi oportere, si quod verius est sentire sit recipere sensationem, illamve in se ipso efficere.

26 Arguunt 2. sensio materialis determinat animam ad hoc, vt appetitionem materialē efficiat: ergo ad talem effectum dirigit animam secundum se sumptam: nulla autem facultas à cognitione dirigi potest, nisi per eam cognoscat: ergo anima secundū se, & seorsim à corpore sentit, siue materialiter cognoscit; ac proinde sensationem recipiet. Respondeo in primis: quamvis anima sentiat, non sequitur eam recipere immediatè sensationē: poterit enim sentire per sensationē à se effectam, sibique vnitā vnione merea adhæsiua, non vero inhæsiua; si, quod plures aduersarij non renuunt, adhæsio & inhæsio realiter distinguuntur. Deinde secundo respondeo, sensionem materialē, vbi determinat animā solam ad effectionem appetitionis materialis non dirigere intentionaliter ad talem effectionem, sed duntaxat Physicè: ea ratione qua species determinat intellectum ad effectionem cognitionis, quin per speciem impressam intellectus intentionaliter dirigatur, aut cognoscens denominetur. Arguūt tertio, & præcedens argumentum corroborant: anima rationalis ad hoc vt liberè amorem efficiat, necesse habet prius cognoscere per iudicium indifferens boniratem obiectiuam, quam amatura est: si enim libertatē exercere posset obiecto non prius cognito, posset etiam peccare, quin aliquid cognosceret: ergo etiam ad hoc, vt anima efficiat naturaliter appetitionem materialem, debet prius cognoscere obiectum appetibile per cognitionem sensitiuam non indifferentem, sed determinatam ad vnum: cum ergo anima sola & secūdum se efficiat apperitionem materialem, eius solius erit sentire, atque adeò sensationē efficere. Respondeo rationem disparitatis claram, & manifestam esse inter effectionem liberā, & necessariā appetitionis, nam anima vt liberè efficiat appetitionem spiritualem, à cognitione obiecti sui dirigi debet: cum ergo nequeat dirigi physicè, seu antecedenter determinari ad eius effectionem; alias eius effectio non esset libera, sed necessaria, necessarium est, vt dirigatur intentionaliter; ac proinde vt obiecti bonitatem præcognoscat: hæc autem ratio in appetitione materiali necessario producta non militat.

27 Quartò principaliter respondeo sensionem materialem tam incorpore, quam in anima rationali, tanquam in duplici subiecto inadæquato recipi. Ita P. Rodericus & Arriaga disp. 3 de anima s. 2. subs. 2. n. 62. aliique plures Neotherci. Quæ solutio, quod magis elucescat, oppones aduersus eam primò. Materia prima est adæquata causa receptiua formæ substantialis materialis: à fortiori ergo erit causa materialis adæquata sensionis materialis accidentariæ: huiusmodi igitur sensio non recipitur simul in anima rationali; alias præter vnam causam materialem adæquatā sortiretur aliam causam materialem. Sed neganda est prima consequentia: nec enim causa adæquata rei perfectioris eo ipso rem imperfectiorem adæquatè causare poterit, vt videre est in Deo, qui Angelum, animamquè rationalem adæquatè, & se solo causat, cum tamen effectus causarum secundarum longè imperfectiores adæquatè non causet, sed tantū in adæquatè atquè in consortio creaturarum, quibuscum ad eos concurrit. Idipsum etiam videre est in homine, qui sine consortio, concursuque speciei intellectionem producere, eiusve causa adæquata esse nequit; & tamen sine adminiculo alterius accidentis secum efficienter concurrentis substantiam alterius hominis generat, eiusque est causa secunda adæquata.

Opponi vlterius aduersus eandem nostram responsionem ordine quartam solet in hunc modum. Si sensio materialis reciperetur in corpore, & anima rationali, haud dubiè esset, & nō esset materialis: esset quidem materialis, vt supponitur: non esset omninò materialis: siquidem esset spiritualis. Spiritualem futurā cōstat: vti enim actus intellectus ab illo, & specie impressa proficiscens sequitur causam nobiliorem, & more intellectus vitalis euadit, non aute instar speciei non vitalis: pariquè ratione actus voluntatis prouenies à voluntate naturali, & habitu supernaturali causæ etiam præstantioris conditionem æmulatur, ac non naturalis sed supernaturalis est ita similiter sēsio recepta in materia, & anima rationali causæ receptiuę magis perfectæ conditionem sequetur, & spiritualis, non materialis euadet. Permitto speciem impressam, eiusque concursum effectiuum in intellectionē, necnon quod vitalis in actu primo non sit: dicoque effectum aliquando imitari causam nobiliorē, vt ex duobus exemplis nuper obiectis liquet; aliquando vero non imitari causam magis nobilem, vt perspicuū est, tum ex conclusione, quæ ex vna præmissa clara, & altera præmissa obscura deducta absolutè incuidens atque obscura euadit; necnon ex homine, qui à corpore & anima intrinsecè causatus, non spiritualis more animæ, sed materialis ad instar corporis euadit. Quæ cum ita sint, sensio recepta in anima & corpore non propterea spiritualis erit, sicut anima nobilior eius causa spiritualis est: nimirum quia spiritualitas per independentiam à materia essentialiter constituitur: qua independentia caret sensio, quantumlibet in anima inadæquate recipiatur. 28

Quintò respondeo ad tertium, ac principale fundamentum opinionis mediæ ad initium capitis propositæ, sensionem scilicet materialem nec in anima, nec in corpore immediate recipi, sed fortassis in toto substantiali, & per se, quod ex iis resultat: eiusmodi autē totum corporeū, ac materiale esse. Quod autem hinc sequitur, totum illud sentire, inconueniens non est: imo benè conuenit communi proloquio, iuxta quod *actiones sunt suppositorum*, necnon etiam cum doctrina Arist. lib. de somno c. 1. vbi sic inquit: *sentire non est animæ solius nec corporis, sed coniuncti, cuius est potentia.* Alij denique apud P. Suarez tom. 1. Metaph. Disp. 14. s. 3. n. 36. sextā responsionē addunt, aiuntq; sensiones omnes spirituales esse, paremque omnino earum, atque intellectionū esse rationem: quare totum argument. 3. esse de subiecto non supponente, cum sensiones materiales, quæ tamē nullæ sunt, supponat. Cæterum hi Authores difficultati succumbunt, facilèque refelli possunt argumento desumpto ex animabus belluinis, quarum sensiones spirituales esse quis asserat, aut ausit. 29

Hactenus de prima opinione media, & quidem fuso calamo. Reliquum est, vt alias duas breuiter perstringamus: nec enim prolixam disputationem postulant. Secunda igitur opinio media est, potentias materiales brutorum ab eorum animabus indistinctas esse: cæterum potentias materiales nostras à nostris animabus realiter distinctas esse, in eoquè à potentiis spiritualibus differre. Fundamenta autem huius sententiæ sunt, quæ pro præcedenti proposita, ac diluta sunt; ea enim, iuxta assertores huius sententiæ, in homine, non vero in belluis militant, & non in his, sed in nobis potentias materiales realiter distinctas arguunt. 30

Tertia ac postrema opinio media est Durandi, potentiam nutritiuā, & generatinā ab anima non distingui, quia cum terminus harum facultatum sit substātia, & sola substantia alterius substantiæ effectiua sit, 31

necesse

necesse quidem est, vt anima per solam suam substantiam nutritionem ac generationem exerceat: hæc autem ratio non militat in intellectu & sensu, voluntate, & appetitu: harum enim facultatum termini sunt accidentia, quæ à potentiis accidentalibus produci possunt, earumque perfectionem non excedunt. Verum & hæc etiam opinio parum firmo fundamento innixa est: sicut enim substantia est immediatè productiua alterius substantiæ; ita à fortiori & accidentis: id quod in Physica lib. 4. tract. 7. ostendimus ex professo: sicut igitur anima per suam substantiam se substantialiter nutrit, ac sibi simile substantialiter generat: ita similiter per suam substantiam cognitiones, & volitiones materiales efficere poterit.

TRACTATVS II.

De Intellectu.

CAPVT I.

Quid sit Intellectus.

1 Illud ante omnia statuendum est, intellectum esse potentiam cognoscitiuam spiritualem, & hanc esse eius germanam definitionem: qua tum à potentiis sensitiuis, tum etiam à potentiis nullo modo cognoscitiuis dissidet. Rursus secundo statuendum est, obiectum adæquatum nostri intellectus esse omne ens, cum experientia teste nullum sit, quod clarè aut confuse non assequamur. Non repugnat tamen aliquis intellectus, qui ad aliqua tantum genera entium cognoscenda essentialiter adstrictus sit: quod licet à multis falsum supponatur, eius tamen probabilitas sublucet ex potentiis materialibus à Deo creatis, quarum aliæ plura, aliæ pauciora, nullæ tamen fermè omnia obiecta materialia cognoscere aptæ natæ sunt, vt rectè arguit P. Arriaga disp. 6. de de anima sect. 1. nobiscum assentiens. Quod autem attinet ad obiectum formale nostri intellectus, licet Thomistæ cum B. Thoma 1. p. q. 64. art. 7. arbitrentur, illud esse quidditatem rei materialis. Scotistæ vero cum Doctore subtili in 1. dist. 3. quæst. 3. malint esse verum: cæterum ambo de nomine altercantur, ac facile conciliari possunt: si enim sermo sit de intellectu secundum se sumpto, eius obiectum formale *quo*, siue ratio formalis sub qua est verum, seu cognoscibile: si autem sermo sit de intellectu prout vnito corpori, eius obiectum formale quod proprium, id est, per propriam speciem cognoscibile est sola quidditas rei materialis, nimirum quia in hoc statu solas res materiales, non vero spirituales per proprias earum species cognoscere potest. Præterea tertio statuendum est contra Capreolum, aliosque Thomistas intellectum nostrum formare proprium, ac distinctum conceptum rei singularis: id quod constat, cùm ex distinctione illa, quam vel ipsi aduersarij agnoscunt inter rem singularem, & vniuersalem: neque enim discernere possent inter vtramque, nisi nō solum vnius, verum etiam alterius proprium, ac distinctum conceptum formarent. Idipsum constat ex his præmissis mentalibus: *omnis homo est animal: Petrus est homo.* Quod autem quidam respondent, subiectum minoris esse in phantasia, & prædicatum in intellectu, videndū est: quia non nisi vna potentia confert, & iudicat: ea ergo tam subiectum, quàm prædicatum concipit: alias quo pacto ea conferre posset? Statuendum quartò est contra eosdem, intellectum nostrum non solum distinctè cognoscere singularia, sed etiam ea cognoscere per proprias species impressas: cur enim dari nequeat species impressa intellectualis obiecti singularis proprias? haud aliter ac eius dari speciem expressam propriam iam iam vidimus.

Statuendum quintò est contrà plures etiam Thomistas, intellectum nostrum cognoscere res singulares directè, & non reflexè in phantasmatis. Primo quia phantasia iuxta ipsos directè cognoscit singularia: ergo à fortiori intellectus, quæ est potentia magis perfecta. Deinde quia sicut intellectus cognoscit directè ipsum phantasma singulare, cur non etiam alia quæque singularia. Stuendum est sextò contra ipsos, singularia prius ab intellectu nostro cognosci, quam vniuersalia: siquidem omnis cognitio nostra in hac vita incipit à sensu; & prima species, quam habet intellectus, est alicuius obiecti per sensum prius cogniti: cum ergo sensus sit singularium, necesse quidem est, vt prima species impressa, atque adeò expressa nostri intellectus sit alicuius rei singularis. Aristoteles autem 1. Physicor. asserens, vniuersaliora esse priora in cognitione minus vniuersalibus, tantum sibi vult in quauis scientia vniuersalia principia, rerum singularium, seu minus vniuersalium notitiæ, & explicationi præmitti debere, & hunc vt plurimum doctrinæ ordinem meliorem esse. Statuendum septimò contra eosdem est, intellectum nostrum posse vno actu cognoscere plura vt plura: eadem enim res realiter plura cōnotare potest, vt patet vel in anima nostra, quæ tot, ac tam distinctas operationes respicit: cur igitur vnus actus plura obiecta vt plura, atque distincta connotare nequeat? Statuendum octauò est contra Albertum, Auerroem, Auicenam, intellectum in hac vita intelligere naturaliter non posse, nisi dependenter ab operatione phātasiæ: tum quia id expressè docet Arist. 3. de anima text. 39. quē plerique Philosophi, ac Theologi sequuntur: tum quia læsa phantasia læditur operatio intellectus: & impedita omnino phantasia, aut vi morbi, aut vi somni, impeditur omnino intellectus operatio: signum igitur est, alteram facultatē nisi adminiculante altera operari non posse: tum etiam quia alias intellectus noster semper, & absque vlla fatigatione intelligeret: haud aliter ac Angelus indefesso conatu intelligit, hoc ipso, quod phantasmatis ad intelligendum non egeat. Tum demum quia experimur absque imaginibus rerum sensibilium obiecta etiam spiritualia nos intelligere non posse: at hæ imagines ad intelligendum per se non requiruntur, vt patet in Angelo, & animo separato. ergo tantum per accidens requiruntur ad intelligendum, videlicet quia necessariæ sunt ad operationem phantasiæ, sine qua intellectus in hac vita intelligere non valet.

CAPVT II.

Diuisio intellectus in agentem, & patientem, aliasque species.

3 In primis statuenda, & explicanda est celebris illa diuisio intellectus in agentem, & patientem siue possibilem, intellectus agens communiter dici solet facultas illa, quæ abstrahit speciē impressam spiritualem à phantasmatibus, siue quæ dependenter ab operatione phantasiæ speciem intellectualem efficienter producit: intellectus patiens, siue possibilis est, qui talem speciem recipit, & per eam est in actu primo proximo ad speciem expressam recipiendam, & efficiendam, atque ad cognoscendum vi illius. Porro autem non parua est controuersia, quænam sit hæc facultas productiua specierum, quæ intellectus agens

nuncupatur ? Primò, namque Alexander lib. 2. de anima & Hurtadus disp. 5. de anima sect. 5. Tuentur, intellectum agentem non esse aliquam potentiam animæ, sed esse Deum ipsum; cuius munus est loco obiecti species producere. Secundò censent Auerroes, Auicenna, & multi Arabes, intellectum agentem, ac productiuum specierum esse intelligentiam, siue substantiam separatam. Ambæ tamen sententiæ mihi displicent: nam præsente causa secunda proportionata parum Philosophicum est ad causam primam confugere, aut etiam præsente causa inferiori ad causam superiorem, ac separatam: alias calor in ligno productus non in ignem præsentem, sed vel in Deum, vel in intelligentiam tanquam principium effectiuum reuocari posset: at intellectus præsertim phantasmate illustratus est causa sufficiens, & proportionata ad productionem specierum impressarum spiritualium, cum species expressas longè perfectiores immanenter producat: perperam ergo talis productio soli Deo, aut intelligentiæ assignatur. His adde Philosophicum illud axioma rerum omnium sensibilium experimento compertum, naturam ab intrinseco habere principia necessaria ad functiones suas obeundas, & perfectiones sibi debitas acquirendas: non ergo à solo Deo, & intelligentia intellectus noster species accipit, aut munus intelligendi exercet.

4 Tertia sententia est Platonis, & sequacium, non dari vllum intellectum agentem, siue productiuum specierum dependenter à phantasmatis, quin potiùs animas hominum cum speciebus rerum omnium ab æterno extitisse, & corpore indutas eius contagione obscurari, ac plerarumque rerum obliuisci, easque postea non addiscere per species à phantasmatis emendicatas, sed solum reminisci per species præhabitas, antequam in corpora dimitterentur. Quarta sententia est, intellectum agentem esse ipsum intellectum possibilem, prout efficit in se species spirituales per solam sympathiam cum phantasia, quin ab eius operatione dirigatur, aut intrinsece moueatur. Verum prima harum opinionũ mihi non probatur: primo, quia falso supponit, animam non esse veram corporis formam, nec simul cum eo creatam esse, sed æternum extitisse de quo infrà lib. 9. tract. 1. cap. 2. & 3. Rursus vbi anima non dependeat à phantasmatis corporeis in prima receptione specierum, primoque earum vsu, non video, cur postea in statu etiam coniunctionis cum corpore eiusmodi speciebus vti non possit absque phantasmatum ope? sicut si voluntas sine cognitione primò amare posset, numquam ea indigeret: at animam corpori coniunctam sine phanthasmatis ope intelligere, aut speciebus vti non posse paulo suprà cap. 1. demonstratum manet. Posterior etiam sententia mihi non probatur: primo quia falso supponit intellectum possibilem, & phantasiam potentias distinctas esse. Deinde, quiquid sit de earum discrimine, sympathia duarum rerum est miraculum quoddam naturæ, quod adstrui non debet absque vrgenti necessitate, quæ certè hic nulla interuenit. Quintò plerique Thomistæ tuentur phantasma corporeum esse causam efficientem adæquatam speciei impressæ spiritualis: quia licet ea longe imperfectius sit, atque in inferiori rerum ordine constituatur, tamen non efficit speciem spiritualem, nisi in virtute intellectus possibilis, cùius instrumentum est: haud aliter ac accidens in virtute substantiæ aliam substantiam se perfectiorem adæquatè efficit. Verum in primis hanc accidentis efficaciam fusè impugnauimus in Physica lib. 4. tract. 7. cap. 1. Rursus cum tantopere crucientur Theologi, vt explicent, quatenus ignis etiam de potentia absoluta in animam spiritualem agat, eamque in inferno torqueat; quî fieri potest, vt naturaliter etiam phantasma corporeum in intellectu spirituali spiritualem speciem efficiat? Præterea cum intellectus noster per principium aliquod sibi intrinsecum speciem impressam iuxta aduersarios in se producat: ecquis non videat, magis congruum, & naturale, magisque accommodatum naturis rerum esse, vt illud instrumentum intrinsecum, atque in eadem anima radicatum sit spirituale, sicuti effectus ipse, cum etiam instrumenta intrinseca causarum materialium materialia sint? Tandem, cur Angelus à rebus corporeis species earum impressas non emendicat, haud aliter ac anima à phantasmatis eas accipit?

Sexto alij arbitrantur, causam efficientem adæquatam 5
specierum spiritualium esse intellectum possibilem, necnon etiam phantasmata corporeum. Cæterum hæc sententia quatenus tribuit phantasmati efficientiã partialem specierum spiritualium, patitur aliquas difficultates quas contra Thomistas proxime expendimus. Præterea nec amor ad cognitionem, nec conclusio ad præmissas, nec intentio ad electionem, nec actus vnus scientiæ ad actum alterius efficienter concurrũt, vt in Dialectica exposuimus: multo ergo minus phantasma corporeum in species spirituales cõcursum efficientem etiam partialem conferre poterit. Quocirca longè probabilior, atque inter nostros communior opinio est, solum intellectum possibilem esse causam immediatè effectiuam specierum spiritualium. Cæterum phantasmatis corporeis præeuntibus tanquam conditionibus, aut velut causis formalibus extrinsecis, siue directiuis: sicuti cognitio amorem, aut præmissæ conclusionem anteuertunt.

Alij seorsim à quauis specierum abstractione diuisionem illam intellectus agentis, & patientis cum Hurtado vbi suprà satis probabiliter explicant vt idemmet intellectus sit agens, quatenus speciem expressam, seu cognitionem efficit, & patiens quatenus illam recipit. Dici etiam potest probabiliter intellectum, quatenus intelligit per intellectionem actiuam, esse agentem; & quatenus per intellectionem passiuam, esse intellectum patientem: Quod enim duplex hæc intellectio admittenda sit, tract. sequent. c. 7. patebit. Præterea si, quod probabilius, species impressæ spirituales nihil aliud sunt, quàm habitus intellectuales ad facile intelligendum requisiti, causa profecto efficiens specierum spiritualium erunt ipsi actus intellectus, quos habitum generare nemini non manifestum est. Intellectus etiam diuidi solet in practicum, & speculatiuum in ordine nimirum ad actus practicos, & speculatiuos, quos elicere potest. Quamuis autem Aristoteles libro 6. Ethichorum capite 1. & libro Magnorum moralium cap. 37. Insinuet, hos intellectus realiter distingui oppositum tamen verius, & communius est, & liquet ex his, quæ tract. Primo huiusmet libri disseruimus. Tandem diuidi solet intellectus in intellectum præteritorum, siuè memoriam, & intellectum absolutè sumptum, ac circa alia quæuis obiecta. Hæc etiam diuisio non est in membra realiter distincta, vt rectè docet P. Suarez lib. 4. de anima capite 10. Vt cum Thomistis alias animæ potentias realiter distinctas esse tueatur.

TRACT.

TRACTATVS III.

De essentia actus intellectus, siue intellectionis.

CAPVT I.

Prima opinio de essentia intellectionis refertur, ac refellitur.

1 IN hac quæstione, quæ vna est ex celebrioribus totius Philosophiæ, prima sententia est, intellectionem non distingui realiter ab intellectu, & obiecto, sed consistere essentialiter in vtriusque aggregato: non aliter similitudo physica, & prædicamentalis similitudini intentionali valdè similis in fundamento, & termino seorsim à quouis alio superaddito essentialiter, & quidditatiue consistit. Huius sententiæ fauet Ioannes de Ripa apud Capreolum in 1. dinstinct. 35. quæstione 1. necnon etiam Durandus multis in locis: si quando vero innuere videtur intellectionem esse formam aliquam omnino intrinsecam intellectui, non tàm ex propria, quàm ex aliorum loquitur opinione, vt constat ex eius verbis in 4. distinct. 49. quæstione 2. ibi: *vel potest dici aliter, & melius, ac securius secundum opinionem illorum, qui dicunt, quod intelligere est quædam forma recepta in intellectu, &c.* Accedit etiam Henricus quodl. 3. quæstione 3. vbi expressè docet, intentionem voluntatis ab eius substantia, & obiecto, in quod fertur neutiquam distingui: haud dubiè idipsum dicturus de cognitione respectu intellectus, & obiecti.

2 Pro eadem etiam sententia referri possunt ex antiquioribus Philosophis Plato in Timeo, Empedocles, & alij plures, qui existimarunt, cognitionem fieri per veram, & vniuocam similitudinem, conuenientiamq; rei cognoscentis cum obiecto cognito: ex quo principio intulerunt, animam, vt est cognoscitiua rerum omnium; ita etiam ex rerum omnium naturis, & principiis esse compactam. Huc spectant versiculi illi Empedoclis.

Terra nam terram: lympha cognoscimus vndam:
Ætheraque æthere: sanè ignis dignoscitur igne:
Sic & amore amor, & tristi discordia lite.

Quod caput est allegari etiam pro eadem opinione possunt verba Bernardi serm 31. in Cantica ibi: *nam neque hoc luminare magnum (solem loquor istum, quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantum sicut illuminat, verbi causa aërem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenus posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate, perspicuitate cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrũ corporis capax est luminis ob multam vtique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cum turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus nullatenus serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsus puritate vigeret, videret omnino inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & solem iustitiæ, illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut illuminat illuminatus potest, tanquam iam in aliquo similis: sicuti est, omnino non potest, tanquam nondum perfectè similis.* Hactenus Bernardus, qui sanè prædictis verbis videtur constituere cognitionem tum sensitiuam, tum etiam spiritualem & intellectiuam in similitudine quadam vniuoca potentiæ cognoscentis & obiecti, & ab vtriusque eam aggregato minimè distinguere.

Cæterum prætata sententia de quidditate, & 3
essentia intellectionis nec est Bernardi, nec est vllatenus probabilis. Quod Bernardus ei non faueat perspicuum est: loco namque citato ex sermone 31. in Cantica non aliud docet, quam multoties ad cognitionem prærequiri specialem similitudinem Physicam inter potentiam cognoscentem, & obiectum cognitum: quod inde colligit, quia si sensus oculorum crassis humoribus obnubiletur, sanè obiectum lucidum, & nulla effusum caligine aut nube non cernet tamen; quia scilicet est ei dissimilis: sin autem arcana luce & radiosa quadam perspicuitate intus vigeat, certè corpus lumine illustratum, & coram se positum apprimè videbit; propter similitudinem vtique, & cognationem cum illo. Ex hoc etiam vlterius explicat, quo pacto ad contemplandum in hac vita Deum conferat putitas mentis, qua ei assimilemur. At aliud est prærequiri ad cognitionem vel ex lege Dei, vel ex natura ipsarum rerum peculiarem quandam similitudinem Physicam inter obiectum & potentiam cognoscentem: aliud verò quod in ea similitudine, formaliter consistat cognitio, nec ab extremis inuicem adsimilitatis distinguatur. Illud prius vult Bernardus, non posterius; quorum alterum alterumque liquet ex contextu verborum, quibus vtitur vbi suprà.

Quod autem ea sententia sit improbabilis haud 4
manifestum est. Namque potest dari intellectus, & obiectum, quin hoc cognoscatur ab illo: quis enim non videat longè plura esse quæ ignoramus, ac nescimus, quam quæ scimus, quæ est intellectus nostri tenuitas? quæ autem nescimus obiecta, etiam dum nesciuntur reipsa dantur: neque non etiam intellectus ndster ea nesciens existit nihilominus, daturque: aut ergo separabilitas realis extremorum non cohæret necessario cum eorum reali distinctione: aut certè obiectum cognosci, ac sciri ab intellectu qui eius esse potest nescius, aliquid erit realiter distinctum ab vtroque, nec in vtriusque poterit aggregato essentialiter consistere.

At dices primò, intellectum cognoscere, haud aliud 5
esse, quam ex vna parte intellectum non nudè sumptũ sed informatum specie intelligibili, & ex alia simul eius obiectum. Sed in primis Durand. neutiquam admittit species intelligibiles, siue impressas. Rursus existere potest intellectus informatus specie intelligibili, necnon obiectum sine eo quod intellectus obiectum cognoscat, vt perspicuum est in dormiente, aut aliud agente: cognitio ergo nec in intellectu, & obiecto, additaque eis specie intelligibili consistet. Recurres propterea secundo ad phantasma corporeum, aiesque intellectum eo illustratum, & simul entitatem obiecti sufficere ad constituendam intellectionem. Verùm si quis hoc pacto respondeat, hærebit semper in eadem salebra quamuis enim ex natura rei ad phantasma siue imaginationem corpoream rei sequatur semper aliqua eius intellectio, ad quid vetat diuinitus dari intellectum, phantasma, & obiectum, quin hoc intelligatur, sed potius intellectui neutiquam obiiciatur? ergo ne in aggregato trium illarum entitatum cõsistet intellectio; siquid iuuat ad distinctionem realem realis separabilitas. Rursus phãtasma ipsum materiale iuxta datã responsionẽ supponitur distingui realiter à potentia, & obiecto: à fortiori ergo intellectio, quæ vt spiritualior, ac magis perfecta, ita & magis indiuisi

indiuisibilis, ac simplex est, haud poterit constitui in aggregato illo per accidens potentiæ intelligentis, phantasmatis, & rei intellectæ. Vlterius ea solutio non habet locum in Angelo, & animo separato: quippe qui sine phantasmatis intelligunt. Tandem sicut intellectus corpori vnitus, nisi dependenter ab operatione phantasiæ, non intelligit, ita voluntas dependenter à cognitione amat, imo hæc posterior dependentia essentialis est, illamque priorem longè superat: atqui cognitio iuxta aduersarios non constituit amorem: cur ergo operatio phantasiæ constituat intrinsecè, & essentialiter intellectionem.

6 Erunt etiam qui suo more ad nostrum respondeant argumentum, haud posse dari intellectum, & obiectum, & voluntatem Dei efficacem, qua obiectum intelligi velit, quin intelligatur, & cognoscatur obiectum: huius ergo cognitionem haud distingui à tribus illis entitatibus, sed in iis seorsum à quocumque alio consistere. Contra tamen sic arguo. Coniunctio materiæ cum forma per vnionem Physicam non est aggregatum materiæ, & formæ, adiuncta etiam volitione Dei efficaci: consimili ratione coniunctio corporis cum loco per vbicationem, aut cum tempore per durationem, aut cum effectu per actionem, nequaquam sita est in aggregato aliquo per accidens extremorum coniunctorum, & diuinæ volitionis, sed potius in entitate media, vt alibi est à nobis probatum, atque probandum. Intellectio ergo, quæ est quædam coniunctio, & vnio intentionalis potentiæ cum obiecto, non in vtriusque, & simul diuinæ volitionis aggregato, sed potius in qualitate, aut actione media, vel alterutra consistet. Iusuper si intellectus noster aliqua exparte per volitionem Dei denominatur intelligens, idque naturaliter, & secluso miraculo, vt putant aduersarij; cur eorum aliqui tantoperè refugiunt, fieri etiam diuinitus posse, vt humanitas Christi per intellectionem increatam Verbi denominetur intelligens? quasi verò intellectio diuina magis apta non esset ad denominandam creaturam intelligentem, quam diuina volitio: tam ergo absurdum est, hanc etiam exparte constituere intellectionem creatã in concreto, quam quod creatura vlla possit intelligere per increatam Verbi intellectionem. Deniquè à priori: quod obiectum habet diuina illa volitio efficaciter decernens vt intellectus creatus intelligat? non intellectum & obiectum; cum hæc duo dari possint, quin intellectus denominetur intelligens: non semetipsam: quid enim refert, volitionem aliquam Dei seipsam velle ac supra se reflectere, vt ego potius cognoscam, intelligamvè, quam ab omni cognitione super sedeam.

7 Aliqui etiam aduersariorum respondent, intellectum cognoscere nihil aliud esse, quam intellectus entitatem, & obiectum ac carentiam impedimentorum ad intelligendum. Sed frustra: quia si cognitio non consistit in entitate aliqua siuè forma media inter intellectum & obiectum, nulla prorsus dari poterunt impedimenta cognitionis: quid enim illa impedire, aut prohibere possunt cum cognitionem impediunt prohibentquè; non sane intellectum; cum hic impedita cognitione non impediatur, sed existat: non etiam obiectum; eadem de causa: non entitatem mediam inter potentiam, & obiectum, cum iuxta contrarios talis entitas sit fictitia: atqui præter ista nihil aliud est, quod impedita cognitione possit impediri.

8 Tandem dicet fortasse aliquis, intellectionem consistere quidem in intellectu, & obiecto: aliter tamen aliterquè: nam in intellectu solo per seipsum inerinsecè, & essentialiter connotante terminum, siuè obiectum tota eius quidditas formaliter consistet: in obiecto verò non nisi extrinsecè tantum ponenda erit, atque ita planè, vt per illud intrinsecè, & essentialiter non constituatur: quando ergo intellectus modò potest connotare obiectum, modò non; quid mirum, si absque interstitio vllius entitatis mediæ realiter distinctæ nunc possit obiectum cognoscerè, nunc non cognoscere? Verùm hæc solutio in simili latè à nobis est impugnata superius libro 3. huius operis tractatu 6. capite 22. interim breuicula eius impugnatio deduci potest ex separabilitate reali eius connotationis siue habitudinis ad obiectum, ab intellectu ipso illud connotante: cum enim fieri possit, soleatquè, vt existat intellectus absque eo quod connotet obiectum, sanè talis connotatio ei nequibit esse intrinseca, & essentialis; vel certè separabilitas realis nusquam arguet distinctionem realem.

Tandem sententiam secundo principaliter impugno, in hunc modum. Quod sensus oculorum v. g. videat colorem præsentem non est aggregatum ex sensu & obiecto illo sensibili, sed potius forma quædam in visu intrinsece recepta: similiter ergo, imò vt verius loquar, à fortiori intellectio, quæ visione materiali perfectior atquè adeo simplicior est, haudquaquam erit aggregatum ex intellectu, & re intellecta, sed forma intellectui intrinseca, eique superadiecta. De consequentia nulla potest esse ambiguitas: probatur antecedens, quia si visio esset aggregatum quoddam ex potentia visiua, & colore visibili, non esset cur in quantauis distantia rem videre non possemus. 9

Huius autem consequentis adeo absurdi, adeoque apertè cum experientia pugnantis suadetur sequela: namque distantia coloris à potentia visiua, quantacumque sit, non propterea tollit, quominus detur aggregatum vtriusque: ergo in si hoc aggregato consistit visio, certè nulla distantia poterit efficere, ne videatur color obiectumque eo delibutum. Deinde eo ipso quod similitudo physica sit complexum quoddam ex fundamento, & termino, sanè alterum horum alteri physicè simile est, quantumcunque alterum spatio loci distet ab altero: pari ergo ratione si similitudo intentionalis siue visio in complexo aut aggregato potentiæ & obiecti sita est, in quantacunque distantia, & intercapedine loci poterit potentia obiectum percipere, ac videre. Porrò hoc in nostra & veriori sententia minime sequitur: nam cum visio sit forma ad quam eius obiectum mediis speciebus à se emissis, & potentiæ impressis concurrit, tam nequibit potentia in quantalibet distantia videre obiectum, quam hoc non potest in quantacunque distantia operari physice, speciésque sui emittere. Quod si, vt fortè probabilius est, non receptione specierum ab obiecto, sed emissione radiorum in illud, perficitur visio, sanè res eodem redit, eadémque proportionaliter ratione explicari potest, cur obiectum quantumcunque distans non possit oculis corporeis cerni. 10

Tertiò eandem sententiam sic refello. Voluntatis nostræ amor non est aggregatum, seu complexum quoddam per accidens ipsius voluntati, & rei amatæ, sed potiùs forma aliqua voluntatis intrinseca, & ab ea producta: similiter ergo intellectio non consistet intrinsecè, & essentialiter in intellectu, & obiecto intellecto, circumscripto quouis alio. Consequentia videtur bona: antecedens 11

autem

autem manifestum : cum enim voluntas nostra liberè amat Deum, verbi gratia, amorem suum efficit, ac producit : aliàs in eo euentu merè passiuè se haberet, ac nihil omnino ageret : quod tamen esse contra rationem liberi arbitrij se se exercentis, atque ad Deum conuertentis & per se patet, & à Concilio Tridentino sessione 6. canon 4. definitum est : at si amor liber nostræ voluntatis, quo fertur in suum creatorem non esset forma aliqua media inter ipsam, & obiectum summè bonum ab ea amatum, sed potiùs in vtroque consisteret, certè liberè amans id obiecti, nihil omnino ageret : neque enim ageret seipsam, nec creatorem suum : in quibus tamen solis eius amor liber iuxta contrariam sententiam potest consistere.

12 Quartò tandem expugno eandem sententiam, quia ex ea manifestè fit, beatos omnes æqualiter visuros esse Deum, & non magis clarè, aut intensè alios aliis eum conspecturos, proindeque meritorum inæqualium præmia æqualia esse futura. Consequens est hæreticum, & contra Iouinianum ab Ecclesia damnatum. Quare nulla ratione tolerandum est, quod Durandus in quartum distinctione 49. quæstione 2. docet, in ipsa, scilicet, essentia beatitudinis nullam vnquam inæqualitatem, aut diuersitatem esse, qualiacumque, aut quantacumque præcesserint merita ; totamque, beatorum inæqualitatem esse non tam substantialem, quam accidentalem, ac penes dotes diuersas corporum proprias, diuersasque illuminationes à visione Dei distinctas.

13 Etenim hoc multis, ac manifestis Scripturæ sacræ testimoniis refelli potest. *Qui parcè seminat*, ait Paulus 2. ad Corinth. 9. *Parcè & metet*. Et ad Ephes. 4. *Vnicuique autem*, inquit, *nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Et 1. ad Corinth. 15. *Alia*, inquit, *claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum : stella enim, à stella differt in claritate ? sic erit in resurrectione mortuorum*. Quæ, & alia testimonia optimè expendit noster Vasquez prima parte, disputatione quadragesima septima, capite primo. Vnsuppositа absurditate consequentis, quam Durandus, vbi supra, huic argumento respondens subdubitanter negat, sequela hunc in modum suadetur. Intellectus omnium hominum beatorum sunt eiusdem, æqualisque perfectionis specificæ : essentia etiam diuina eis obiecta, atque intime præsens in se est eadem : si ergo quæuis visio beatifica in aggregato intellectus, & essentiæ diuinæ formalissimè sita est, sanè quæuis eiusmodi visio cuiuis alteri erit omnino æqualis.

Caput II.

Respondetur ad argumenta pro prima sententia de intellectionis quidditate, & essentia.

14 Obiiciunt primò pro ea opinione eius assertores. Quemadmodum se habet lux ad lucere ita & intellectus ad intelligere : atqui forma per quam lux lucet non est alia præter ipsam lucem adiuncto subiecto quod connotat : ergo etiam forma per quam intellectus intelligit haud erit alia ab ipso intellectu prout obiectum connotante. Hoc argumentum ex Durando proponit Capreolus in 1. dist. 35. quæst. 1. illudque soluit negata minori : quia, inquit, lux & lucere omninò distinguuntur, sicut forma & eius esse. Cæterum hæc solutio mihi displicet ; tum quia falsò supponit esse ab essentia formæ realiter distingui : tum etiam quia vtcunque se habet ea distinctio, sanè vti lux & lucere tanquam esse & essentia distinguuntur iuxta Capreolum, ita non erit cur intellectus, & intelligere, siue intellectio non distinguantur etiam eodem modo ; videlicet tanquam forma & esse, sic quidem vt intellectus sit forma intelligendi, intelligere verò sit eius esse : quod si concedatur Durando vix aut ne vix quidem poterit eius sententia falsitatis insimulari. Quamobrem melius responderi potest negata maiori : non enim sicut se habet lux ad lucere se habet intellectus ad intelligere ; sed sicut se habet lux ad lucere ita se habet intellectio ad intelligere, siue ad intelligi, quod perinde est : & quemadmodum comparatur luminosum ad lucere quod efficit, sic comparari debet intellectus ad intelligere quod similiter producit.

Obiiciunt secundò aduersarij. Si sensio esset forma aliqua recepta in sensitiua potentia, sanè vna sensio foret alteri oppositа : v. g. visio albedines visioni nigredinis : neutra autem harum visionum alteri est contraria, cum simul albedinem & nigredinem videamus : nec ergo visio materialis nec alia sensio erit forma à sensu suo distincta in eoque recepta, sed potiùs in illius & obiecti aggregato consistit ; ac proinde idipsum seruata proportione dicendum erit de intellectione, seu cognitione spirituali. Maior argumenti probatur : quia à formis contrariis contrariæ atque incompossibiles imprimuntur imagines : qua ratione imago externa frontis humanæ, & quæ exterius & obiectiuè repræsentat frontem equinam contrariæ inuicem sunt more exemplarium, quibus repræsentandis destinantur : neque fieri potest, vt eidem ceræ simul imprimantur, quin seipsas mutuo deleant, & confundant : si ergo visio obiecti est imago aliqua illius sensui impressa, in eoque recepta, certè non poterit visio candoris non esse contraria, & incompossibilis visioni qualitatis oppositæ, nimirum nigredinis. 15

Respondeo : si de imaginibus vniuocis, & eiusdem rationis cum suis prototypis sermo sit, necessum quidem semper est, vt contrariarum formarum contrariæ etiam sint, atque incompossibiles imagines, vt quod in argumento adducitur exemplum satis ostendit, vtque aliis multis posset ostendi. At secus philosophandum est de imaginibus, quæ rebus, quas repræsentant, non vniuocè, sed analogicè, & impropriè sunt similes. Hac autem posteriori ratione sensiones omnes dicuntur imagines : vnde non est cur pro contrarietate obiectorum contrariæ & incompossibiles in eodem sensu esse censeantur : distingui ergo possunt ac debent à sensu, & obiectis sensibiliter perceptis : & sic ex eis nullatenus argui potest ad indistinctionem realem intellectionum ab aggregato intellectus, & rerum intellectarum. 16

Obiiciunt tertiò iidem auctores. Nihil certius quam Deum cognoscere tum seipsum, tum alia à se : at id facit, non per formam aliquam à se distinctam, atque in se receptam ; sed præcisè per suum intellectum, & veritatem obiectiuam ipsarum rerum ; aliàs profecto non posset sine intrinseca mutatione sui cognoscere. Cur igitur creatura nequeat similiter cognoscere atque intelligere & non per formam aliquam distinctam in se receptam à se causatam ? Huic argumento respondet Capreolus, vbi suprà, intelligere Dei, & intelligere creaturæ non conuenire vniuocè, sed tantùm analogicè, ac proinde alterum non posse explicari sine forma recepta, & causata, posse 17

verò alterum. Verum quia libro quinto huiusmet operis fusèostensum est,Deum,& creaturam vnìuocè conuenire in ratione entis, substantiæ, spiritus, viuentis,& intelligentis; idcirco aliter respondeo, ab infinitate scilicet,atque omni ex parte illimitata perfectione diuini intellectus proficisci, quod per seipsum & absque vllo actu positiuo realiter distincto non solum possit intelligere, sed etiam actu intelligat: quare cum intellectus creatus, finitus, atque imperfectus sit, sanè non poterit per seipsum, tanquam per formam principalem, actu intelligere. Adiice, rationes, quibus supra probauimus intellectum creatum adminiculo formæ intermediæ sibi superadditæ egere ad intelligendum, haudquaquam militare in intellectu Dei: vnde præter eas non aliam esse disparitatis rationem exigendam inter vtrumque illum intellectum, quod attinet ad præsens institutum.

18 Obiiciunt quartò. Anima nostra sentit, doletque immediatè,vt B.Augustinus de immortalitate animæ & de quantitate animæ, aliisque in locis perspicuè docet: & tamen non sentit per sensionem in se intrinsecè receptam, atque à se distinctam: aut, quod recidit in idem,non informatur intrinsecè per sensiosionem à qua dicatur sentiens: quo fit vt etiam intellectus omni sensu longè perfectior possit intelligere absque physica mutatione sui, & sine intellectione aliqua quæ sit forma in eo intrinsecè recepta: nimirum per seipsum præcisè, ac veritatem obiectiuam rei intelligibilis. Consequentia perspicua est. Antecedens autem suadetur, quoad posteriorem eius partem:nam de priori vix potest esse dubium: si sensio esset forma intrinsecè recepta in anima spirituali, sanè in hac, non obstante eius spiritualitate, recipi posset, & deberet aliqua forma materialis,& extensa:talem enim quis neget esse sensionem internam,aut externam? atqui formam materialem, & extensam in subiecto immateriali & inextenso intrinsecè recipi omninò repugnat.

19 Respondeo, nec tam certum esse atque existimant aduersarij, neque tam è mente Augustini, quod anima nostra denominetur immediatè sentiens, & dolens. Quid enim? si non anima, sed compositum ex ipsa & corpore immediatè sentiat, doleatque: huiusmodi autem compositum vt sentit sic etiam recipit intrinsecè sensionem altera sui parte,videlicet in corpore. Responderi etiam potest, & fortassis probabilius,animam quidem per seipsam,ac prout condistinguitur à corpore sentire,& dolere immediatè: at non quin intrinsecè informetur à sensione. Quod autem hæc sit materialis, & illa spiritualis non obest: siquidem vnio animæ rationalis, qua de loquimur, cum corpore materialis est: & tamen intrinsecè informat animam spiritualem,eamque denominat physicè vnitam: vnde similiter,&c. Itaque sensio materialis vel non inhærebit animæ rationali,sed, vt aliqui putant, ei intrinsecè tantum adhærebit; vel etiam intrinsecè erit in ea tanquam in subiecto inhæsionis, sed tamen non in ea sola, sed simul in corpore tanquam in alio partiali subiecto inhæsionis. Cæterum contra conceptum subiecti materialis tantum esse potest, quod vel sit non solius adhæsionis intrinsecæ, sed inhæsionis respectu formæ materialis, vel quod intuitu illius sit subiectum inhæsionis adæquatum.

20 Quintò tandem obiiciunt aduersarij. Si intellectio creata esset forma aliqua ab intellectu distincta in eoque recepta, certè talis forma separata propriè intelligeret, & simul non intelligeret: implicat ergo contradictionem;& repugnantiam terminorum eiusmodi forma accidentalis,in qua intellectionem creatam suprà collocauimus. Prior sequelæ pars perspicua est, quia nullum accidens per se loquendo habet propriè & formaliter denominationem quam tribuit, sed tantum virtualiter: & nec albedo est propriè alba, nec nigredo nigra, nec longitudo longa, &c. de quo suprà lib.3. tract.8. cap.7. cum sermo fuit de modis habere: forma igitur illa accidentalis,in qua constitui solet intellectio, propriè dici non poterit intelligens Posterior verò sequelæ pars priori ex diametro opposita probatur: quia idcirco diuinus intellectus propriè intelligit, quoniam habet intellectionem per identitatem solam, quin eam recipiat, aut per illam realiter informetur: at forma accidentaria, de qua disputamus, habet intellectionem per identitatem:quidni ergo per eam propriè intelligat, siue animæ coniuncta, siue ab ea separata?

Respondeo, non ideò præcisè Deum intelligere 21
propriè, quia habet intellectionem per identitatem, sed etiam quia est substantia intellectualis ac subsistens; quæ sola capax est propriè intelligendi: quare tametsi forma aliqua accidentaria per identitatem intellectio sit,non propterea strictè intelliget, nimirum quia non est substantia, aut intellectus subsistens. Itaque contradictionis nobis obiectæ prior pars sola sequitur; non vero posterior: proinde obiectio tota nihil habebit efficacitatis. Plura alia argumenta, pro hac sententia in qua versamur, Capreolus vbi suprà refert, atque refellit; quæ tamen, quia minoris momenti, omitto.

Caput III.

Proponuntur, ac reiiciuntur duæ aliæ sententiæ superiori affines de essentia intellectionis.

Prior earum est, intellectionem consistere essen- 22
tialiter in qualitate aliqua intellectui intrinseca, eique superaddita necnon simul in obiecto:ac proinde intelligere esse denominationem partim intrinsecam, partimque extrinsecam intellectui, ab eo tamen realiter adæquatè distinctam. Ita nonnulli Neoterici, qui ex hac doctrina colligunt, cognitionem repræsentantem rei alicuius quidditatem, cuiusmodi est in nobis bona pars conceptuum abstractiuorum, non posse mutare obiectum, aut modò hoc, modò illud percipere,eò nimirum quod quidditas,atque essentia rerum semper eadem,inuariataque maneat, nec vllam subeat vicissitudinem,aut mutationem: cæterum cognitionem tendentem in existentiam alicuius rei, siue in rem prout existentem, quales sunt cognitiones intuitiuæ omnes, aut certè pleræque, posse mutare obiectum, & nunc hoc, nunc illud repræsentare: hinc autem esse, vt propositio modò vera modò falsa esse possit: videlicet si prius affirmet, Petrum, verbi gratia, currere in instanti A. postea verò mutet obiectum affirmetque, Petrum currere in instanti B. quin tamen in hoc posteriori reipsa currat, sed in solo illo anteriori.

Eiusdem sententiæ videtur fuisse Scotus in 3. 23
dist.14.quæst.2. §. *Sed si ista via tertia non placet*, & in 1. dist.1. quæst.2. §. *Actus omnis habens primum obiectum*; quibus locis docet,actum illum,per quem anima Christi videt Verbum, talem quidem esse, vt sit sufficienter ostensiuus creaturarum, quæ in Verbo relucent, easque manifestare posse non simul, sed successiuè, & modò has modò illas; atque hoc sensu verum illud esse, quod à multis dici consueuit,Christum videre omnia in Verbo simul, non actu, sed habitu; nimirum quia simul habet actum intellectus,

qui

qui successiuè possit omnia repræsentare. Hanc eandem sententiam non solum Scoto, verum etiam Guillelmo Varroni tribuit Gabriel in 3. distinct. 14. quæst. vnica opinione 4. Pari modo de visione Dei & omni vniuersim cognitione sentit Bonauentura eadem distinct. 14. quæst. 3. vbi explicat similiter, quatenus anima Christi videat omnia in Verbo simul habitu, non actu, quia scilicet habet vnum habitum cognitionis, vi cuius possit omnia successiuè pro arbitrio suo in Verbo legere, & videre. Hunc autem habitum docet esse ipsam rationem Dei; in hæc verba circa medium quæstionis ibi: *Si ergo aliquo habitu cognoscit omnia, quæ cognoscit Verbum, necesse est quod cognoscat per illam cognitionem, quæ quidem est habitus comprehensoris, vel comprehensionis.* Eandem etiam sententiam sequuntur Marsilius & alij scholastici antiqui, quos longum esset expendere. Illud tamen animaduerte, antiquos huius sententiæ assertores distinguere inter obiectum primarium, & secundarium; & respectum intentionalem ad solum hoc posterius esse cognitioni ex parte extrinsecum tueri: Neotericos verò nihil de hac duplicis obiecti distinctione curare.

24 Refellitur tamen primò hæc sententia: quia frustra fiunt per plura quæ fieri possunt per pauciora: sed sic est, quod intellectio in sola forma ab intellectu recepta possit consistere: non est ergo, cur simul cum ea forma eius obiectum intellectionem constituat. Secundò: amor non consistit in aggregato per accidens qualitatis voluntati intrinsecæ, & rei amatæ: pari ergo ratione intellectio, &c. Antecedens suadetur: quia cum voluntas amat, imperatve efficaciter aliquam actionem externam, motum localem, verbi gratia, eiusmodi amor est prior natura motu locali, eiusque vera causa: non ergo constituitur intrinsecè, & essentialiter per illum: alias eo non prior esset, sed potiùs eo posterior, aut simul prior, atque posterior.

25 Tertiò: oppugnatur eadem sententia: quia eius Auctores consequenter ad sua principia docent eandem propositionem, currente Petro, eius cursum affirmare, & eo non currente oppositum affirmare; imò eandem visionem externam, præsente albedine, eam videre, loco autem albedinis substituta nigredine, hanc, & non illam cernere. Atqui hanc doctrinam apertè falsam esse ostendo: siquidem iuxta eam nullus actus falsus esset, sed potius omnis verus, quo tamen nihil est à veritate magis alienum. Sequelam probo: quoniam vt propositio aliqua affirmans cursum Petri falsa sit, necesse est, vt non currente Petro, eum tamen currere affirmet: nulla autem propositio non currente Petro eius affirmat cursum, sed potiùs quod non curret: mutato enim obiecto propositionis, eius repræsentatio, iuxta hanc sententiam, mutatur. Confirmatur, & illustratur. Propositio affirmans Petrum actu currere, eo non currente, nec seipsa præcisè id affirmat iuxta aduersarios; neque etiam per cursum actualem sibi propositum, & obiectum, cum eiusmodi cursus nullus detur; nec etiam per non cursum Petri, siquidem non cursus Petri haudquaquam est obiectum eius affirmationis, & potius oppositam constituit affirmationem in contraria sententia.

26 Quæ vlterius quartò refellitur: quia ex ea sequeretur, colorem in quantacunque distantia posset videri. Namque visio, iuxta eam, nihil aliud est, quam qualitas aliqua immanens, & eius obiectum: sed huiusmodi qualitas existere poterit, quantumcunque absens sit eius obiectum: ergo & visio. Minor suadetur: ac sumo eandem numero qualitatem videndi: hæc non dependet à præsentia candoris destinatè sumpti, nec cum ea connectitur, vt aduersarij in confesso habent: & quidem satis cohærenter ad sua principia: alias ea qualitas sola, ac per seipsam visio esset; vtpote quæ colorem aliquem determinatum per seipsam respiceret: rursus ea qualitas non dependet indeterminatè, & vagè à candoris, nigredinis, alicuiusve altetius coloris præsentia: quomodo enim fieri potest, saltem in hac rerum serie, vt eadem numero qualitas visiua à quouis obiecto indeterminatè sumpto in suo esse dependeat, & non potiùs pro varietate obiectorum varietur? haud secus ac pro varietate aliarum causarum variantur effectus, vt cernere est in igne, aqua, & reliquis elementis, ac mixtis. Quando ergo obiecta qualitatis visiuæ eam causant, & efficiunt; (alias cur absque vllo obiecto existente ea qualitas existere non posset?) certè non erit, quapropter diuersa obiecta diuersam non causent qualitatem, non vero eandem: iam ergo talis qualitas ab obiecto suo indeterminatè sumpto, ac proinde nullo modo dependebit: quidni ergo in eius absentia, seu distantia quantacunque conseruari possit, potentiamque visiuam actu videntem denominare?

Quintò reiicitur ea sententia: quia ex illa fit, 27
operationes immanentes omnium sensuum externorum posse esse eiusdem omnino speciei. Siquidem qualitas illa immanens visui, est quæ præsente candore visio candoris est, eius generis est, iuxta aduersarios, vt præsente quouis alio colore, eius, & non candoris esse possit intuitio: cur ergo qualitas illa immanens visui, & coloris sibi propositi existens visio, si immaneret auditui, denominari non posset à sono auditio, etsi alteri sensui externo inesset, dici non posset similiter ab eius obiecto vel olfactio, vel gustatio, vel tactus. Eo autem ipso quod eadem-met qualitas indifferenter visio, auditio, olfactio, gustatio, aut tactus pro varietate obiectorum esse possit, certè qualitates, & operationes immanentes sensuum externorum erunt omnino eiusdem speciei.

Postremò oppugnatur eadem sententia: quia in- 28
tellectio, & volitio terminata ad substantiam Gabrielis, v.g. prout condistinguuntur à suo obiecto, inter se specie differunt: huius ergo diuersitatis specificæ munere pro quodam priori altera erit volitio, & altera intellectio: nec eis hæ denominationes extrinsecùs, aut formaliter ab obiecto prouenient. Et quidem non conspicio, in quo consistat vtriusque pro priori intrinsecum, & essentiale discrimen, nisi in eo quod altera sit intellectio, & altera volitio. Antecedens verò argumenti nostri manifestum est: nam si intellectio, & volitio illa, prout condistinguuntur ab obiecto suo, ac pro priori ad illud non essent inter se specificè distinctæ, haud quidem pro obiecto possent distingui, ac proinde essent omnino indistinctæ; videlicet quia obiectum vtriusque vnum idemque est, & non aliud per vnam amatur, nisi quod per aliam cognoscitur, ac è conuerso.

Altera sententia earum quos ad initium huius ca- 29
pitis polliciti sumus referre, & refellere est Godfredi quodlib. 4. apud Conimbr. lib. 3. de anima quæst. 4. cap. 8. artic. 1. ac tuetur, intellectionem consistere in specie impressa solum recepta in intellectu, ab eoque minimè producta. Non placet tamen in primis quia species impressa intellectualis, vt suo loco ostendetur, nihil aliud est quam habitus intellectualis ab actuali intellectione relictus, & ad eius existentiam, primamque productionem neutiquam requisitus: tam ergo dari potest intellectio absque specie impressa quam

quam reperiri potest sine habitu: quî ergo fieri potest, vt vniuersim loquendo in præfata specie consistat?

30 Ad hæc species impressa visui, verbi gratia, nihil aliud fortassis est, quam imago vniuoca obiecti, in pupilla refracta, ibique a nobis conspecta: de quo alibi: sed eiusmodi imago non est visio: ergo nec species. Minor perspicua est: quia eadem imago potest existere in quouis alio perspicuo terminato, v.g. in speculo: atqui visio connaturaliter in speculo existere non potest: aliàs speculum videret. Quod si respondeas videre non posse per visionem sibi inhærentem, quia est subiectum eius denominationis incapax; in contrarium illud est, quod vti albedo, exempli gratia, connaturaliter constitui nequit in subiecto incapaci ad recipiendam denominationem albi, ita similiter ex natura rei impossibile sit, vt visio collocetur existatve in subiecto incapaci, & inepto ad videndum: nec video sanè, quæ hic afferri possit ratio disparitatis.

31 Denique quidquid sit, an species intellectualis, aut sensualis illa sit, quam suprà supposuimus, certè qualiscunque sit vtralibet, id mihi exploratum est, nec sensionem, nec intellectionem dari vnquam de facto, quin à sensu, aut intellectu producantur, quod contra Gotofredum & alios in hunc modum suadeo: sæpè contingit vt quis speciem obiecti recipiat in oculis, quin obiectum videat, vt si aliud agat, ac valdè diuertatur: in sola ergo specie recepta visio de facto non consistit, sed in alia forma subsecuta ad speciem visualem. Quomodo item amor esse potest liber, nisi efficiatur à voluntate? cum omnis libertas posita sit in agendo: ad exemplum ergo amoris debet cognitio ab intellectu effici, & non solum in eo recipi. Præsertim cum Concilium Tridentinum sessione 6. can. 4. ex vna parte definiat, hominem non se habere merè passiuè respectu eorum actuum, quibus disponitur ad iustificationem; & ex alia parte connumeret actum credendi inter dispositiones ad iustificationem necessarias, vt patet ex canone tertio antecedenti: quod si respectu fidei supernaturalis, actusve credendi, sicut oportet ad salutem, non se habet merè passiuè noster intellectus, sed actiuè, non video, cur aliter se habere debeat intuitu reliquorum actuum suorum.

Caput IV.

Dissoluuntur argumenta quædam, pro duabus sententiis de essentia intellectionis, capite præcedenti confutatis.

32 Argues primò pro priori earum sententiarum. Cognitio, siue intellectio creaturarum in Deo, tametsi sit actus secundus respectu diuini intellectus, ab eo virtualiter distinctus, non est omninò intrinseca, & essentialis Deo, sed per creaturas, quas cognoscit, aliquo modo constituitur; aliàs si eiusmodi cognitio esset ei omnino intrinseca, & identificata, fieret sanè vt Deo creaturam aliquam absolutè futuram non cognoscenti, quia futura non esset, eo ipso deficeret aliquod prædicatum omninò intrinsecum & essentiale quod posset habere: haud sine manifesta mutatione, ac vicissitudinis obumbratione: pari ergo ratione cognitio creata, licèt sit actus secundus intellectus creati ab eo realiter distinctus, siue, quod perinde, aliqua eius qualitas, tamen per ipsum obiectum constituetur intrinsecè, & essentialiter in ratione cognitionis. Confirmatur, & declaratur. Cognitio Dei vt perfectior, sic simplicior est cognitione creata: at cognitio Dei, quatenus formaliter cognitio, coalescit essentialiter ex actu Deo immanenti, siue intrinseco, atque ex obiecto ei extrinseco: à fortiori ergo cognitio creata in ratione talis non solum in qualitate intellectui inhærente, verumetiam in eius obiecto consistet.

Respondeo in primis longè verius, ac probabilius 33
esse, quod cognitio diuina, vt talis, ex actu diuini intellectus, & eius obiecto creato haud possit intrinsecè coalescere, aut constitui: siquidem, prius tempore quam existat obiectum, eius existentiam Deus cognoscit verè, & propriè: quod tamen fieri non posset, si cognitio Dei existentiam illam intrinsecè includeret. Deinde si cognitio Dei est prædicatum aliquod ei non omnino intrinsecum, sed ex parte extrinsecum (quod satis ambiguum est, & inter scholasticos Theologos controuersum) ideo est, quia cognitio diuina Deo adesse vel abesse potest, quin propterea prædicatum vllum entitatiuum ei possit adesse, vel abesse, quæ est eius summa, ac perfectissima immutabilitas: hæc autem ratio non procedit in intellectu creato, quippe qui mutabilis est, ac proinde cognitionem contingentem sibi omnino intrinsecam, atque ab obiecto suo adæquatè, distinctam potest sortiri.

Arguunt secundò pro eadem sententia eius as- 34
sertores. Imago Cæsaris, v.g. in membrana aut papyro descripta, tametsi suis coloribus, suisque lineis Cæsarem repræsentet, cæterùm non iis solis eum repræsentat, exprimitur ad viuum, sed potiùs in ratione imaginis eum repræsentantis, per ipsius etiam Cæsaris lineamenta intrinsecè, & essentialiter constituitur: cuius signum est; quia si Cæsar non ea lineamenta, sed alia longè dissimilia haberet; sanè imago illa non Cæsarem exprimeret, sed alium hominem iis præditum lineamentis. Simili ergo ratione, quamuis aliqua imago in intellectu producta, & recepta obiectum intelligat, repræsentetque, haud tamen per seipsam solam id faciet, sed partim per seipsam partimque per obiecti, cuius est imago transcendentalem veritatem.

Respondeo concesso antecedenti, & negata con- 35
sequentia: ideo namque imago Cæsaris partim colores imagini intrinsecos, & partim lineamenta ipsius Cæsaris essentialiter complectitur, quia talis repræsentatio, siue assimilatio est vera similitudo prædicamentalis, ac proinde more reliquarum relationum prædicamentalium in fundamento, & termino consistit: repræsentatio autem cognitionis propria non est similitudo prædicamentalis, & vniuoca inter fundamentum, & terminum, qualitatem videlicet, quæ cognitio dicitur, & eius qualitatis obiectum: aliàs quò minor esset similitudo prædicamentalis, & vniuoca inter cognitionem & obiectum, eo minus perfectè cognitio obiectum repræsentaret, atque cognitio diuina, quæ est eius maxima dissimilitudo, ac distantia respectu obiecti creati multo minori perfectione, & claritate illud repræsentaret, quam à cognitione creata repræsentatur: quod tamen est euidenter falsum. Adiice, cognitionem repræsentare obiectum suum esse, cum non est, videlicet cum cognitio est falsa: tum autem repræsentatio cognitionis quî potest constitui per esse obiecti, quod non datur? Cæterum imago Cæsaris non repræsentat Cæsarem, nisi hic habeat ea lineamenta, quæ ab eius imagine exprimuntur; vt paulò suprà aiebam: quamobrem, &c.

Obiiciunt tertiò aduersarij, pro priori earum sen- 36
tentiarum, quas capite præcedenti profligauimus,

Aristotelem

Aristotelem ei fauere lib.3. de anima capite 5. vbi sic inquit; *Scientia autem ea, quæ est actu, est idem quod res.* At hæc identitas scientiæ actualis cum re scita defendi nequit, si sit qualitas realiter adæquatè distincta à re scita, ac per hanc ne ex parte, constituta: necessum ergo est, vt scientia præter qualitatem immanentem inuoluat intrinsecè rem scitam, ac per eam inadæquatè saltem constituatur, vt sic dici possit aliquo modo idem quod res scita: qua ratione in sacris literis homo vocatur absolutè caro, & ex consequenti idem cum illa reputatur, propter inadæquatam duntaxat cum carne identitatem.

37 Respondeo Aristoteli vbi suprà non esse sermonem de identitate physica, & propria, ita enim verisimilitudinem haberet aliquam argumentum factum, sed de identitate intentionali, & impropria seu metaphorica: hæc autem sarta tecta manet, tametsi scientia realiter adæquatè distinguatur à re scita, & hanc ne inadæquatè includat: sicut enim dissimilitudo physica, & propria inter scientiam & obiectum cohæret cum vtriusque perfecta similitudine intentionali impropriaue nec hæc tollit minuitve illam, aut è conuerso; sic etiam identitas intentionalis,& latè sumpta inter vtrumque haud potest tollere, quominus physicè,ac propriè loquendo adæquatè distinguantur, nec se inuicem vllo modo includant.

38 Quod autem non de identitate physica, & propria,sed de intentionali, & impropria sermo sit Aristoteli, constat ex eiusdem libri tertij de anim. cap.8. ibi: *Atque scientia quidem est res ea quodammodo, quæ sub scientiam cadunt, sensus autem ipsa sensibiles.* Quo loci vocula, *quodammodo*, identitatem, de qua loquitur, impropriam, & adumbratam esse satis demonstrat. Hac eadem ratione explicandus est Aristoteles eodem libro 3. capite 4. ibi: *Atque intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa, actu vero nihil est eorum anteaquam intelligat ipsa.* Et paucis interpositis: *Est etiam intelligibilis & ipse & intelligibilia cuncta: nam in hisce quidem, quæ sine materia sunt, intelligens, & id quod intelligitur idem est: etenim idem est contemplatiua scientia, & id quod ita sub scientiam cadit.* Atque hactenus prima ad Aristotelem responsio. Dici etiam vlterius potest, nihil eum aliud voluisse, quam scientiam esse idem cum obiecto formaliter & in esse obiecti sumpto, quia nimirum obiectum in ratione obiecti siue cogniti per ipsam scientiam constituitur. Quare etsi Philosophus loquatur de identitate physica, & propria, cum tamen eam non admiserit, etiam inadæquatam inter scientiam, & obiectum in esse rei,sed in esse obiecti, sanè aduersariis parum,aut nihil fauet.

39 Qui sequuntur sententiam Gotfredi capite superiori secundo loco relatam, & reiectam obiiciunt, intelligere esse quoddam pati, seu recipere, iuxta Aristotelem lib.3. de anima capite 4.textu 2. intellectio ergo consistit in passione quadam, seu receptione speciei impressæ, & intelligibilis. Nec refert; inquiunt, quod intellectum intelligere significetur nomine actionis: nihilominus enim potest esse reipsa passio, qualis explicata est: haud secus ac obiectum intelligi significatur nomine passionis; & tamen est vera actio, qua obiectum intellectionem, seu cognitionem sui in intellectu mediatè, vel immediatè causat. Respondeo: licèt intelligere sit quoddam pati, nec voce tenus, sed reipsa, vnde tamen colligunt aduersarij intelligere esse pati speciem impressam, & non potius expressam ea posteriorem, ab eaque causatam? Adde secundò, non omne intelligere iuxta Aristotelem esse quoddam pati, sed tantum intelligere passiuum iuxta illum in passione esse positum: de quo infrà.

Arguunt secundò aduersarij ab Auctoritate Au- 40
gustini libro 11. de Trinitate, capite 2. ibi: *Nullo modo tamen eiusdem substantiæ est corpus, quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, & ipsa forma, quæ ab eodem imprimitur sensui, quæ visio vocatur:* quibus verbis formam, seu speciem impressam sensui visionem Augustinus perspicuè appellat. Deinde ibidem inferius sic prosequitur Augustinus: *Illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur à solo imprimitur corpore, quod videtur, id est, à re aliqua visibili, qua detracta, nulla remanet forma, quæ inerat sensui, dum aderat illud, quod videbatur.* His etiam verbis speciem à solo obiecto impressam, ac productam, & nonnisi receptam in sensu sensionem Augustinus appellat. Tandem non longè infrà idipsum repetit in hæc verba: *Tria hæc quamuis diuersa natura quemadmodum in quandam vnitatem contemperentur, meminerimus: id est, species corporis, quæ videtur: & impressa eius imago sensui, quæ est visio, sensusve formatus: & voluntas animi, quæ rei sensibili sensum admouet.* Ac paucis interciſis: *Cum igitur horum trium tam diuersæ substantiæ sint, tamen in tantam coëunt vnitatem, vt duo priora, vix intercedente iudice ratione, discerni valeant: species videlicet corporis quod videtur: & imago eius, quæ fit in sensu, id est, visio.*

Respondeo, Augustinum aut in contraria opinio- 41
ne fuisse; aut non ex propria sententia loquutum esse, sed potiùs ex Platonicorum opinione, qui cognitionem omnem per similitudinem vniuocam rei cognoscentis, & cognitæ fieri arbitrabantur; aut demum non de visione actuali, siue in actu secundo, sed de sola visione in potentia, & actu primo sermonem ei fuisse: atque hac ratione eum interpretatur Capreolus vbi suprà: qui etiam plura alia argumenta pro sententia Godofredi proponit,ac rectè soluit.

Caput V.

Aliæ tres sententiæ de essentia intellectionis proponuntur, ac profligantur.

Quarta sententia de essentia intellectionis est, 42
eam esse actionem immanentem absque vllo termino per illam producto P. Hurtadus disput.16. metaphys. sect.1. subsect.1. cum aliis multis arbitratur ita philosophari Thomistas non paucos: at eos à tam absurda sententia vendicat Ægidius tom.1. de beatitud. lib.4.q.2.art.3.n.4. Quorumcunque tamen sit,quod sit manifestè falsa suadetur. Implicat enim cognitionem aliquam intellectus existere, quin aliquid per eam cognoscatur, aut volitionem aliquam inesse voluntati, quin aliquid per eam sit volitum, amatumve:parique ratione repugnat,vnionem vllam physicam dari absque eo quod denominetur quidpiam per eam vnitum, aut qualitatem quandam, vel quantitatem in rebus existere sine eo quod per illas aliquid quantum, aut quale dicatur, aut certè possit dici: similiter ergo repugnabit actio, per quam terminus aliquis, vel distinctus, vel saltem indistinctus non agatur.

Confirmatur,& declaratur. Actio est id quo causa 43
aliquid

aliquid agit, vt vel ex sola patet apprehensione terminorum: de conceptu ergo essentiali actionis est, vt per eam causa aliquid agat: causam autem aliquid agere & à causa aliquid agi vi actionis correlatiua sunt, ac penitus inseparabilia inuicem: quo fit vt etiam de conceptu essentiali actionis sit, quod per illam causa aliquid agat, atque adeò quod terminum aliquem à se productum sortiatur. Multa alia adferri possent argumenta superiore haud minus efficacia: quibus tamen non est quod immoremur ad falsitatis euincendam sententiam per se, ac sponte sua, vt dictum est, manifestè falsam, atque absurdam.

44 Alia porrò ordine quinta est, intellectionem esse actionem quandam immanentem habentem terminum à se distinctum; eamve qua præter ipsam aliud quidpiam, nempè verbum, producitur ab intellectu. Ita Capreol. in 1. distinct. 27. quæst. 2. Caietan. 1. p. quæst. 27. art. 1. dub. 1. Ferrara. 1. contra gent. cap. 53. Iauellus 9. Metaph. quæst. 16. Ioannes Vincentius in relectione de gratia Christi quæst. 6. dub. 1. Bannez 1. p. q. 27. art. 1 in 2. p. articuli & communiter alij Thomistæ. Quorum tamen plerique cognitionibus sensitiuis, aut etiam appetitionibus, qualescunque sint, terminum distinctum realiter, realiterue productum non tribuunt: aliqui etiam eum largiri nolunt omnibus intellectionibus, sed iis duntaxat quæ circa obiectum absens, non verò præsens versantur.

45 Existimo etiam hanc sententiam esse falsam. Primò quia terminus ille per actionem immanentem intellectus, iuxta aduersarios, productus verbum ipsius est, veraque obiecti sui imago: est igitur intellectio: ac proinde hæc, vniuersaliter loquendo, in actione non cõsistit. Antecedens est eorum omnium, quibuscum disceptamus: posterior consequentia probatione non eget; adeo est perspicua: prior autem hunc in modum ostenditur: imago intentionalis obiecti alicuius est eius similitudo, ac repræsentatio intentionalis: atqui similitudo, & repræsentatio intentionalis obiecti est intellectio: ergo & imago obiecti erit intellectio, & sic terminus actione intellectuali productus, ab eaque indistinctus imagine sortietur vim, ac rationem intellectionis. Huius syllogismi maior est indubitata. Minor verò suadetur: quia si per possibile vel impossibile vniatur absque vlla actione immanẽti talis similitudo, ac repręsentatio intentionalis intellectui, suum certè illi communicabit effectum formalem: cum omnis forma vnita subiecto capaci ei tribuat suum effectum formalem: fierique nequeat vt albedo v. g. vniatur parieti, quin eum denominet album: cæterarum autem formarum, & denominationum quidni par sit ratio? Porrò effectus formalis similitudinis intentionalis est vnum reddere alteri simili intentionaliter; & repræsentationes reddere vnum alteri repræsentatum: similitudo igitur illa, ac repræsentatio intentionalis obiecti, si ponatur diuinitus vnita intellectui seorsim à quauis actione, & causalitate, eum denominabit intentionaliter similem obiecto: & hoc intellectui formaliter repræsentatum: quando igitur formalissimè idem est intellectum intelligere obiectum, ac eum assimilari intentionaliter obiecto, & hoc illi repræsentari; sanè intellectus seorsim à quauis actione, & causalitate vi solius similitudinis, ac termini, de quo supra, poterit intelligere, atque adeo talis similitudo, & terminus verissima erit intellectio.

46 Confutatur secundò eadem opinio. Secunda, & tertia persona sanctissimæ Trinitatis intelligunt verè, ac propriè: & tamen non producunt verbum: intelligere ergo Dei essentiale, ac omnibus personis commune non est producere verbum: cur igitur intellectus creatus non poterit intelligere per solam imaginem obiecti in se receptam seorsum ab eo, quod illam producat? neque enim ob id ad infinitatem euehetur aliquam: siquidem vt finitus, & imperfectus sit, sufficit eum recipere, & causare materialiter imaginem illam obiecti, per quem intelligit, ab eaque immutari. Quocirca consequentia argumenti satis perspicua est: antecedens vero quoad neutram eius partem salua fide catholica negari potest: qui enim priorem illius partem negaret, is filium Dei, ac Spiritum sanctum cuiuis creaturæ rationali, & intellectiuæ postponeret, peiusque Ario insaniret: qui autem posteriorem eiusdem antecedentis nostri partem infitias iret, eo ipso tres Patres assereret, atque insuper verbum principium productiuum sui, & Spiritum sanctum, aut principium sui principij, aut certè principium alterius verbi, quartæque personæ, imò & infinitarum fateri cogeretur.

Huic argumento respondent aduersarij, intellectionem essentialem Dei tribus personis communem, non esse actionem propriè, & formaliter: cæterum esse æquiualenter actionem, quia nimirum perinde Deus eam habet à se, ac si illam immanenter ageret. Hæc solutio multorum plausu, & consensu recepta est: si tamen penitus examinetur, ab omnibus meritò debet explodi. Namque in primis Filius, vel Spiritus sanctus (par enim est vtriusque ratio in præsenti) intelligit quidem, & tamen non habet intellectionem suam à se, sed potius à Patre, à quo generatur, & à quo omnia, præter esse Patrem, accipit: Filius igitur intelligit per intellectionem acceptam ab alio, & à se minimè productam: cur ergo intellectus creatus intelligere nequeat per intellectionem acceptam præcisè ab alio, & à se minimè productam, siue (quod in æquo est) Verbi nullius productiuam. Nec satisfacit, si dicas intellectum essentialem Filij habere à se, intellectionem, & hoc sufficere, vt Filius intelligat, licet verbum non producat. Nam si intelligere omne est agere, ac producere Verbum, sanè vti Filius medio intellectu essentiali dicitur intelligere, sic etiam medio eodem intellectu debet agere, ac producere Verbum: at Filius ne quidem denominatione desumpta ab intellectu essentiali potest dici producens verbum, alias sui ipsius productiuus dici posset: quare quamuis ea solutio quodammodo explicet, quatenus natura diuina sine actione immanẽti intelligat, nõ tamẽ quatenus personę diuinæ possint intelligere, si huiusmodi denominatio consistit in actione. 47

Præterea Deus habet intellectionem à se negatiuè tantum, id est non ab alio, secus verò positiuè: at hoc pacto eam habere à se, est eam impropriè ac metaphysicè habere à se: ergo etiam poterit intellectus creatus intelligere, quin intellectionem propriè à se habeat, sed duntaxat impropriè, ac metaphoricè: quamuis autem intellectionem, & imaginem obiecti sibi tantum vnitam, ac positiuè à se non productam haberet, nihilominus eam impropriè à se haberet: siquidem intellectio illa: & imago vt vt qualitas esset, actio tamen grammaticalis nomine dissentiente vocaretur: vnde per eam intellectus posset, & deberet intelligere. Minor autem præcipua huius nostri discursus est manifesta: etenim filius est negatiuè quodammodo effectus Patris æterni, ab eoque, quod perinde est, negatiuè causatur: id est non causatur ab alia vlla causa, ad modum quo dici solet, Deum esse à se negatiuè, quia non est ab alio: atqui filius propriè non causatur, neque efficitur à Patre æterno, vt exploratissimum est, sed tantum ab eo generatur: similiter ergo causare siue habere à se negatiuè intellectionem non erit eam propriè, non nisi 48

metaphoricè

metaphoricè à se habere: quæ est minor, quam probandam assumpsi.

49 Rursus contra eandem solutionem sic insurgo. Deus non magis habet à se intellectionem qua intelligit quam immensitatem, æternitatem, bonitatem, iustitiam, aliaque quæuis prædicata, quibus afficitur: pari ergo ratione intellectualis creatura, vt intelligat, non debet magis habere à se intellectionem, terminumve illius, quam quoduis aliud accidens, ad hoc vt ab eo denominetur: atque adeò, sicut dicitur durans, vbicata, vnita, aut aliquo modo qualis, quin has denominationes subitura formas illarum debeat immanenter producere, ita similiter intelligere poterit, quin intellectionem producat. Cur obsecro, intellectio Dei conueniat cum reliquis eius prædicatis, in eo quod non minus hæc quam illa sint à se negatiuè, siue, quod iuxta est, non ab alio? & similiter intellectio creata non conueniat cum quibuscunque aliis formis accidentalibus naturæ rationalis creatæ, in eo quod sicut hæ, quin propriè, & positiuè sint ab intrinseco, denominationes tamen suas tribuunt, ita & illa idipsum seruata proportione possit præstare? mitto alias impugnationes superioris argumenti nostri: ac

50 Tertio principaliter argumentor contra aduersariorum sententiam paulò suprà relatam: quia ex ea sequitur, terminum illum intellectione productum, ab eaque realiter distinctum ita se habere vt eius actio sit eo perfectior, & simul non sit eo perfectior, sed minus perfecta: quæ tamen sunt contradictoria, & nullatenus admittenda: perfectior quidem, quia ea actio, iuxta aduersarios, est intellectio, & cognitio, ac per consequens visio Dei, atque vltima felicitas, & beatitudo nostra: terminus verò actionis illius non est aliquid horum: actio igitur illa terminum suum perfectione superat. Deinde imperfectior esset ea operatio, & actio quam eius terminus: siquidem quotiescunque aliquid est extra operationem, & præter illam ea perfectius est, vt penè his verbis docet Arist. 1. ethic. ac 9. met. vtque per se exploratum est: cum enim actio ob id à causa ponatur, vt eius terminus existat, neutiquam ponenda hoc fine sublato, certè non poterit actio termino suo perfectionis, & nobilitatis gradu non decedere: atqui terminus actionis intellectiuæ præter eam est, & ab ea distinguitur secundum aduersarios: perfectior ergo erit quam illa: ac proinde illa haud censenda est perfectior, sed potiùs minus perfecta quam terminus.

51 Consultò dixi, *extra, aut præter operationem:* tum quia operatio, siue actio est terminus sui, siue per seipsam producitur: & tamen non est perfectior seipsa: nimirum quia non est extra seipsam, nec à seipsa distinguitur: tum etiam, quia Verbum est terminus generationis paternæ: nihilominus haud est perfectior generatione Paterna, quia non est extra illam, vt modò loquimur: si namque sermo sit de generatione passiua in diuinis, ab ea nullatenus distinguitur realiter Filius, aut Verbum: si verò de generatione actiua & in relatione Patris sita, non distinguitur ab ea in tertio saltem, sed potius cum illa in tertio, id est in natura diuina verissimam, ac realem habet identitatem.

52 Quartò argumentor aduersùs eandem sententiam: siquidem si sola actio productiua Verbi esset intellectio, & cognitio, sanè terminus per eam productus esset omninò superfluus. Cui enim muneri deseruire, aut in quem finem vtilis esse potest: nec enim confert ad hoc vt per eam intellectus cognoscat; cum cognitio obiecti non sit, sed potiùs eius præsupponat cognitionem: nec etiam confert vt intellectus agat vi illius cognitionem obiecti, cum hæc terminū illum agat, non verò ab eo agatur. Quod autem aliqui aduersariorum respondent, terminum illum conducere vt intellectus possit operari, & agere, vanissimum est: tum quia intellectus potest operari, siue agere absque vllo termino à se realiter distincto, vt infrà constabit, à se inquam vt operante: ergo, &c. tum etiam quia ob id datur actio, & ponitur in rerum natura, vt vi illius terminus existat: non verò ob id terminus adstruēdus est vt actio eius detur: potiusque actio est propter terminum, quam terminus propter actionem: malè ergo philosophantur hi Doctores, vbi terminum illum actionis intellectualis non alio fine dari comminiscuntur, quam vt dari possit actio eius productiua.

Quod vero alij aduersariorum respondent ob id 53
Verbum actione intellectiua productum, ab eaque distinctum admittendum esse, vt in illo tanquam in speculo quodam obiectiuo & idolo obiectum intellectui reluceat, ac proponatur infrà latè impugnabitur. Inferius etiā ex professo ostendetur ratione & auctoritate Augustini, & aliorum Patrum, verbum nostrū interius esse verè cognitionē obiecti, quod loquitur, dicitque: at iuxta aduersarios verbum nostrū est terminus eius actionis per quam intellectus immanenter operatur, ab eaque realiter distinguitur; & quidē in eo quod distinguatur, quæ esse potest repugnātia? ergo cognitio nostra, saltem aliqua, non actio est, sed terminus.

Sexta sententia de intellectionis essentia est, eam 54
consistere in actione immanenti haud quidem sine termino omni, sed tantum sine termino à se realiter distincto: vel, quod in æquo est, eam sitam esse in qualitate quadam intentionali per seipsam producta, atque ab intellectu pēdente. Ita Conimb. lib. 3. de anim. c. 8. q. 3. art. 3. & q. 4. art. 2. quibus non pauci recentiores adstipulantur. Verum hæc etiam sententia à vero procul aberrat. Primò, quia in nullo effectu ponenda est cōnexio essentialis cum sua causa absque vrgenti necessitate, aliàs fingi poterit, calorem, v. g. quem ignis in se producit, ab eo essentialiter pendere, & nequaquam posse etiā miraculosè produci à solo Deo, aliave causa secunda loco huius ignis substituta: sed nulla necessitas cogit adstruere connexionem essentialem intellectionis cum intellectu: ea ergo adstruenda non est, ac proinde intellectio non est actio, nec per seipsam à potentia intellectiua essentialiter dependet.

Vlterius posset intellectus habere obiecti imagi- 55
nem sibi solum vnitam, & à se non productam: quæ enim in hoc repugnātia? deinde per eam intelligeret, vt in impugnatione præcedentis sententiæ statuimus: omnis ergo intellectio in actione distincta, aut etiam indistincta à termino non consistit. Præterea imago obiecti, siue Verbum per seipsum intellectui non vnitur, sed per vnionem à se realiter distinctam, vt huius sentētiæ assertores non renuunt: cur ergo per seipsum ab intellectu producatur? Tandem quemadmodum intellectus per actionem immanentem intelligit, Verbumque producit, ita etiam ignis, Verbi causa, immanenter agit, vbi sese calefacit, exiccat, illustrat, atque in centrum propellit: atqui harum actionum immanentium termini per seipsos non producuntur; sed per modos à se realiter distinctos: similiter ergo terminus actionis intellectiuæ per seipsam seorsim à quouis alio non producetur?

Caput VI.

Expenduntur, quæ supersunt sententiæ de essentia intellectionis.

SEptima de conceptu quidditatiuo, & essentia- 56
li intellectionis sententia est, intellectionem consistere

consistere in sola qualitate quadam absoluta, & per seipsam nec producta ab intellectu nec in eo recepta. Ita Ochamus, & Gabriel in 1. distinct. 27. quæst. 2. & dist. 1. q. 2. Maior in 3. dist. 14. q. 2. Heruæus quodl. 2. quæst. 8. Ægidius de mensura Angelorum quæst. 10. Alliacensis etiam, & Paludanus ac Richardus. Item ex nostris Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 141. cap. 4. à num. 7. & tom. 1. in 1. 2. disp. 9. cap. 4. Valentia tom. 1. disputatione 6. quæst. 5. punct. 1. Arriaga disp. 6. de anima sect. 2. subsectione 4. & Salas tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. tract. 2. Referri etiam pro eadem sententia solet Suarez libro 2. de attributis diuin. capite 11. & lib. 3. de anima cap. 5. & disputatione 42. metaphys. sectione 5. num. 13. & disputatione 48. sectione 2. sed eam opinionem reuera non sequitur eximius Doctor, sed potius octauam statim referendam. Pro eadem etiam opinione septima citari solent Durandus, Henricus, Scotus, Bonauentura, & Marsilius, aliique antiquorum: vereor tamen ne non ei, sed primæ, & secundæ superius ad huius initium tractatus relatis subscribant.

57 Verumenim illorum qui expressius eam tuentur pace mihi videtur omninò falsa. Quia intellectus immanenter agit, atque efficit in se imaginem rei, quoties hanc intelligit: quis enim ferat, reliquas substantias etiam inanimes immanenter operari, seseque efficienter mouere, aut ad proprias sedes aut ad proprias cognataque passiones; nobilissimas verò, & intellectuales substantias immanenter non operari, sed potiùs sola receptione intelligere, vt Gotfredus, & quidam alij sunt arbitrati? Ast eiusmodi actio immanens intellectus nostri est intellectio, & cognitio obiecti: hæc ergo vniuersim loquendo haud potest consistere in sola qualitate, ac termino per actionem producto. Minor argumenti, in qua sola difficultas est plurifariam suaderur.

58 Ac primò, quia intelligere est exprimere in se imaginem obiecti seu rei intellectæ: at ita exprimere imaginem obiecti est eam in se producere: ergo intelligere est immanenter agere; ac proinde intellectio aliqua est actio immanens. Maior constat ex communi omnium sensu, & persuasione. Minor autem declaratur: namque pictorem exprimere in æquore alicuius lintei, aut papyri imaginem Cæsaris, v. g. est eam producere, suisque lineis, & coloribus absoluere: similiter ergo in præsenti, &c. Secundò, cognoscere nihil aliud est quam obiectum sibi intentionaliter repræsentare: ita autem repræsentare est agere: siquidem repræsentare physicè, & localiter est facere rem alicui physicè præsentem, vt latinæ linguæ vel mediocriter perito constabit; ac proinde etiam repræsentare intentionaliter rem aliquam erit eam facere intentionaliter præsentem, siue producere in intellectu præsentiam rei intentionalem eiusque imaginem. Vlterius tertiò attendere intellectum nostrum ab obiectum aliquod est illud cognoscere, vt liquet ex sola apprehensione terminorum: atqui attendere importat propriè conatum intellectus: cognoscere ergo erit conatus, & actio intellectus.

59 Ad hæc, in nobis dicere, ac loqui interius est intelligere, cogitare, siue cognoscere: at dicere, siue loqui interius est producere in intellectu Verbum, siue imaginem rei: ita ergo producere est formalissimè intelligere, ac cognoscere: atque adeo productio ipsa erit intellectio. Minor in explorato est. Maior vero suadetur auctoritate Augustini tom. 3. lib. 15. de Trinitate, cap. 10. vbi ex illo Sapientiæ 2. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè*, & ex illo Matthæi 9. *Dixerunt intra se hic blasphemat:* & ex illo Lucæ 5. *Cæperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi dicentes:* & iterum ex illo Matthæi 15. *Cogitabat intra se dicens:* ex his inquam & aliis Scripturæ locis colligit dicere, & loqui interius idem esse, ac cogitare, & intelligere: sic enim ait loco citato: *Quid est enim dixerunt intra se nisi cogitando.* Et paulò infrà: *Quædam ergo cogitationes loquutiones sunt cordis.* Et paucis etiam intercisis: nec tamen, *quia dicimus cogitationes esse loquutiones cordis, ideo non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt: foris enim, cum per corpus hæc fiunt, aliud est loquutio, aliud visio: intus autem cum cogitamus vtrumque vnum est.* Hactenus Augustinus, quem, vt alios Patres omittam, sequitur Fulgentius libro tertio, ad Monimum capite nono, ibi: *Cum enim mens apud se Verbum habet, vtique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.*

Octaua opinio est de essentia intellectionis, eam 60
consistere in actione, passione, & illarum termino, siue verbo per eas producto ab eisque realiter distincto. Ita P. Hurtado disputatione 6. de anima sectione 1. & subsect 1. Arrubal tom. 1. in primam partem disputatione 19. num. 4. ac Pater Suarez locis superius allegatis. Cæterum ne hanc sententiam magis quam superiores possum probare. In primis enim iuxta eam omnis prorsus intellectio creata in actione immanenti consistet: cuius tamen oppositum verius esse multis argumentis capite præcedenti ostendi. Deinde iuxta eam omnis intellectio creata terminum ab actione distinctum essentialiter includit, haud aliter ac homo materiam, aut formam suam inuoluit: atqui aliqua intellectio in actione præcisè consistit, ac terminum eius intrinsecè & essentialiter non includit, sed duntaxat eum extrinsecè connotat, vt in impugnatione præcedentis sententiæ hoc ipso capite probaui paulò suprà: ergo, &c. Præterea terminus actionis immanentis per quam intellectus operatur nonnisi per vnionem, à se distinctam vnitur intellectui: talis autem vnio simul cum termino non constituit essentialiter intellectionem: ergo nec passio, siue eductio eius termini ab illius vnione de eorum etiam sententia distincta constituet essentialiter intellectionem. Consequentia me iudice manifesta est: prior antecedentis pars negari nequit ab aduersariis cum iuxta eos intellectio sit qualitas absoluta, & non modus.

Posterior vero antecedentis pars apertè probatur: 61
siquidem vt vnio illius qualitatis per quam paries est albus non constituit intrinsecè albedinem, sed solum eam vnit, atque adeo constitutam præsupponit: eademque est ratio caloris, frigoris, & cuiuscumque alterius qualitatis absolutæ, ita similiter non conspicio, curnam vnio illius qualitatis, qua homo denominatur intelligens, intellectionem constituat, & non potius eam supponat prius constitutam: id quod ipsi Auctores quibuscum consertatio est in confesso habent.

Tandem impugnatur eadem octaua sententia. 62
Candorem non constitui intrinsecè, & essentialiter actione, & passione, quibus à lilio, v. g. immanenter producitur, sed duntaxat in sola qualitate eam actionem, & passionem terminãte apud omnes confessa res est, ac manifesta: à fortiori igitur intellectio, quæ candore, & quauis alia qualitate materiali longè perfectior, atque adeo simplicior est, non in aggregato per accidens termini actionis, & passionis, sed in solo termino, solaue actione consistet. Quocirca meritò Vasq.

tom.

tom.1. in primam sæcundæ d.9. cap.5. n.29. hanc sententiam singularem, nec firmo nixam fundamento pronuntiat.

63 Nona sententia est intellectionem quidem in sola qualitate absoluta sitam esse : cæterum denominationem intelligentis inuoluere intrinsecè, & essentialiter non solum intellectionem vnitam intellectui, verumetiam actionem, ac passionem illius : hisque circumscriptis intellectionem vnitam animæ eam reddere non posse intelligentem. Hæc tamen sententia, quatenus docet conceptum, ac denominationem intelligẽtis includere, semper actionẽ, passionemque, iis argumentis, impugnationibusque obnoxia est, quibus cap. præced. oppugnaui Thomistas, omnem intellectionem creatam in sola actione immanenti constituentes : quatenus verò docet denominationem illam intelligẽtis inuoluere terminum, iis etiam rationibus impeti potest, quibus hoc capite omnẽ intellectionem creatã vniuersim in qualitate sitã non esse probabam. Quapropter hunc in modũ arguo: sola cognitio vnita intellectui denominat illum cognoscentem: sicuti sola albedo vnita subiecto capaci, illud album, ac solus calor calidum, siccitas siccum, leuitasque leue denominant : sed sola qualitas actionem, & passionem de facto terminans est cognitio : sola igitur illa, etiamsi circumscribatur quodcunque aliud, intellectum, cui vnitur, cognoscentem denominabit, atque adeo in huiusmodi denominatione actio, & passio necessariò non includuntur. Antecedens est aduersariorum: consequentia, nisi fallor, est manifesta. Rursus secundò argumentor. Sola actio immanens Verbi productiua est intellectio, vt supra hoc capite, probaui : sola igitur illa pro priori naturæ ad terminum suum determinabit intellectum ad id, vt intelligens sit, eique hanc denominationem impertiet.

64 Decima sententia de essentia intellectionis est, eam esse modum quendam intellectus ei per se essentialiter vnitum, eumque absque vnione media in obiectum aliquod ferentem, tametsi non sine actione media ab eo immanenter producatur. Ita P. Zuñiga de Trinit. cui suffragantur non pauci recentiores. Verum hæc etiam sententia mihi parum arrider. Primò, quia vt sæpè sæpius in simili argumentatus sum, haud quaquam est adstruenda connexio essentialis formæ cum suo subiecto absque prementi aliqua necessitate; alioqui profectò fingi posset, candorem, calorem, nigredinem, frigiditatem, & si mauis, grauitatem, ac leuitatem, humiditatem, ac siccitatem, atque, vt paucis expediam, omnes omninò qualitates absolutas, quæ communiter tales existimantur, non qualitates absolutas esse, sed modos: atqui nulla necessitas est, quæ nos cogat intellectionem omnem adstruere essentialiter connexam cum intellectu suo, eamque quam non solum in lapide tanquam subiecto adæquato, verum ne in alio intellectu possit diuinitus collocare : eiusmodi ergo connexio admittenda non est, quæ tamen euitari nequit, vbi omnis intellectio sit modus.

65 Vlterius secundò, iuxta eam sententiam intellectio non est actio nec seipsa essentialiter ab intellectu efficitur : item non est passio nec seipsa absque eductione media in intellectu recipitur : cur ergo sit vnio, aut seipsa essentialiter intellectui adhæreat, atque intrinsecè coniungatur ? Insuper latè probatum manet, actionem intellectus ea entitate modali de aduersariorum sententia ordine naturæ anteriorem, pro anterioritatis seu prioritatis huius signo esse intellectionem : haud ergo omnis intellectio potest esse sita in illo modo. Ad extremum; cum res est physicè præsens tempori, aut loco per durationem, vel vbicationem, hæ quidem ambæ non sunt modi, sed qualitates absolutæ, de quo alibi : pari ergo ratione, cum intellectus redditur intellectus intentionaliter præsens obiecto, & hoc intellectui, id fiet per qualitatem absolutam, & non per modum vllum.

Postrema in hac implicatissima, ac tam controuersa quæstione sententia est, intellectionem esse modum quendam seipso essentialiter ab intellectu productum, receptum, eique vnitum; atque eius naturæ vt actionem, passionem, aut vnionem à se distinctam nequeat terminare. Ita Ioan. Cardin. de Lugo in manuscriptis philosophicis, & nonnulli postea Neoterici. Quominus tamen hæc sententia mihi placeat, faciunt eadem argumenta, quibus opinionem proximè superiorem reieci. Qua enim de causa, aut quo fundamento, vel qua premente necessitate statuitur omnis intellectio essentialiter connexa cũm intellectu? aut cur essentialiter ab eo dependeat tam in genere causæ materialis quam in genere etiam efficientis? cum albedo, nigredo, caliditas, aliæque qualitates materiales longè magis imperfectæ eam connexionem cum suis subiectis, tantamque ab illis dependentiam non sortiantur? 66

Deinde quæ repugnantia est in eo quod imago obiecti, & productio, siue expressio illius in eadem realiter entitate iuxta aduersarios modò identificatæ, absque illa tamen identitate produci possint? haud secus ac animal, & rationale in homine identificantur; & tamen in equo, & Angelo absque illa producuntur identitate: tunc autem imago obiecti seorsim ab actione, & actio seorsim ab imagine esset intellectio, animãque denominaret intelligentem, vt constat ex dictis suprà. Post hæc: quis non videat, durissimum esse, amorem Dei super omnia à voluntate auxilio intrinseco adiuta productum, nihilominus ab auxilio extrinseco ne diuinitus proficisci posse, esto per auxilium extrinsecum alio quidem actu possit quis amare Deum super omnia. Tandem iuxta hanc sententiam nulla intellectio creata non est actio, & nulla non est Verbum; quæ duo tamen superius sunt expugnata. 67

CAPVT VII.

Quid demum de essentia intellectionis sentiendum sit?

MEa sententia est, actionem productiuam, & expressiuam imaginis, quam de re aliqua habemus in intellectu, esse veram propriamque intellectionem, siue cognitionem obiecti, idque pro priori signo naturæ quo terminum suum anteuertit. Deinde imaginem ea actione productam, & expressam esse etiam veram, perfectamque intellectionem, eamque à solo Deo productã & ab intellectu duntaxat receptam ei tamen daturam effectum formalem, ac denominationem cognoscentis. Quapropter duplicem in nobis esse intellectionẽ propriè, ac perfectè talẽ: alterã actiuã, alteram verò passiuam: alteram absolutam, ac ab intellectu separabilem, alteram verò relatiuam, & seipsa essentialiter cõnexam cum intellectu in genere causæ efficientis, ab eoque inseparabilem: alteram, qua formalissimè producitur Verbum, obiectique imago in intellectu exprimitur, alteram vero quæ formalissimè in ipso Verbo & imagine obiecti sita sit. 68

Explicatur, & probatur hoc, appositissimo exẽplo. Quantumlibet omnipotentia Dei vna, ac simplicissima sit; & Angelus etiam ab ea factus inter omnes substantias creatas maximè vnus, ac simplex sit; tamẽ hoc 69

non obstante, omnipotentia Dei Angelum de nihilo creatura nonnisi duplici actione id præstare potest, altera actiua, altera passiua: altera æterna, temporali altera: altera in decreto Dei efficaci, altera verò in ipso Angelo sita: pari ergo ratione, quamuis intellectus meus passibilis vnus sit, in vnumque tantum obiectum tendat attendatque, duplici tamen intellectione, actiua scilicet & passiua superius explicatis egebit.

70 Hic quoque exemplo non minus accommodato idipsum explicari potest, ac probari. Cum Deus vel se, vel alia à se cognoscit, duplicem habet intellectionem: vnam absolutam, relatiuam alteram: vnam, quæ communis tribus personis sit, & qua nulla earum non intelligit ex æquo, & per verissimam ac immediatam cum illa identitatem realem; aliam verò quæ solius secundæ personæ per identitatem propria sit, nec ad alias personas pertineat, nisi per meram circuminsessionem; certum enim est, Verbum filiumque Patris, quatenus secunda persona est in intellectione notionali consistere: vnde hanc non magis communem esse posse per identitatem tribus personis & adæque cuilibet earum, quam conuenire eis nequit quod quæuis earum Verbum, filiusque sit. Porrò intellectio absoluta Dei tribus personis communis, & intellectio relatiua, & notionalis soli Filio propria per identitatem ita comparantur inuicem, vt sint virtualiter distinctæ, ob prædicata illa contradictoria, quæ vtrique competunt. Hinc igitur nostra sententia suadetur, & declaratur. In Deo quodcunque obiectum cognoscente duplex datur intellectio, altera absoluta relatiua altera: pari ergo, imò vrgentiori ratione, noster intellectus, cuius simplicitas est minor, & numerositas actuum maior, haud poterit in obiectum vllum ferri absque duplici intellectione, quarum altera in actione, altera verò in actionis termino consistat. Quemadmodum autem intellectio absoluta, & intellectio relatiua distinguuntur in Deo virtualiter intrinsecè, ita similiter intellectio absoluta, & ea quæ relatiua est in nobis realiter distinguentur: haud secus ac intellectio & volitio, etsi in Deo tantum virtualiter distinguantur, at in nobis sunt realiter distinctæ.

71 Pro vlteriori etiam declaratione, ac probatione nostræ sententiæ tertium adiicio exemplum, & quidem nisi fallor ad rem satis aptum. Quantumuis homo vnus, idemque sit, in eo tamen duplex distingui solet intellectus, nimirum agens & patiens. Quid mirum ergo, si in vno eodemque intellectu duplex à nobis intellectio circa quoduis obiectum distinguatur, altera passiua, actiua altera? nec enim prima fronte magis absurdum apparet in eodem intellectu circa idem obiectum duplicem esse intellectionem, quam in eodem homine circa idem obiectum duplicem intellectum reperiri. Quin imò mihi satis probabile est, intellectum agentem, & intellectum patientem in eo inter se differre quod alter intellectionem in actione sitam, alter verò intellectionem in solo termino positam respiciat.

72 Quartò argumentor ad homines contra P. Hurtadum & alios aduersariorum existimantes, materiam primam, quantumuis vnam, formæ substantiali quantumlibet etiam vni physicè vniri, atque copulari non vna vnione, sed duabus realiter distinctis: qui ergo hoc pacto sentiunt, disputantque, quid est quod grauatim ferant, vnum intellectum semper cognoscere obiectum quantumlibet vnum, non vna tamen, sed duplici cognitione, siue vnione intentionali, passiua altera, & altera actiua? Argumentor quintò: obiectum, iuxta plures Philosophos, est semper cognoscibile non vna, sed duplici realiter cognoscibilitate, vna intrinseca & essentiali, altera extrinseca & accidentali, nec tam in entitate rei solum posita, quam in denominatione à cognitione possibili foris proueniente: mirandum ergo, si seruata aliqua proportione inter cognitionem actualem, qua de loquimur, & cognoscibilitatem, intellectus noster nisi per duplicem cognitionem, vnam actiuam, & aliam passiuam cognoscens non denominetur.

Argumentor sextò, nostramque sententiam tribus exemplis declaro. Omnis creatura Deo similis est, iuxta non paucos, per duplicem similitudinem physicam, alteram partim intrinsecam, partimque extrinsecam, & in fundamento, & termino more aliarum similitudinum inter res creatas positam; alteram vero omninò essentialem, & à creatura, quæ Deo assimilatur omninò indistinctam: argumento ergo facto à similitudine physica ad intentionalem, quidni intellectus creatus seu Deum siue aliud quoduis obiectum duplici cognitione percipiat, bifariamque ei assimiletur intentionaliter? Deinde Pater æternus generat physicè Filium, non vna, sed duplici realiter generatione, vna actiua, & altera passiua. Similiter ergo, cum cognitio sit quasi generatio, seu productio rei in esse cogniti, haud sine duplici cognitione continget in nobis vnquam vel cognoscere obiectum vel, quod perinde est, hoc à nobis cognosci, aut intelligi. Quid plura? In Dial. lib. 10. tract. 1. ex professo à nobis ostensum est, cuiuis cognitioni, cui ne diuinitus subesse potest falsum, duplicem inesse veritatem realiter distinctam, alteram essentialem, & omninò intrinsecam, alteram verò accidentalem, & in aggregato cognitionis ipsius, & obiecti sitam. Similiter ergo in præsenti, &c. 73

Septimò nostram sententiam explico, & probo. Actio productiua verbi, & expressiua imaginis rei, quam cognoscimus, est vera, propriaque intellectio: deinde Verbum ipsum, & imago producta est eadem veritate, ac proprietate intellectio. Atqui actio, & terminus intellectus immanenter operantis inter se realiter distinguuntur. Ergo duplex intellectio in nobis realiter est distinguenda. Quod actio, & terminus nostri intellectus realiter distinguantur, satis probatum manet in superioribus: & vlterius confirmatur; quia si terminus immanenter productus ab intellectu esset essentialiter actio, in eoque ab aliis differret effectibus, maximè quia vitalis esset, ac proinde essentialiter esse deberet ab intrinseco: hæc autem ratio nulla est: tum quia terminus, quo de agimus, est vitalis, non physicè, sed intentionaliter, ad quod genus vitæ non est necesse produci ab intrinseco, ne dum esse ipsam productionem, sed satis est repræsentare intentionaliter aliquod obiectum, aut erga illud affici: tum etiam, quia licèt omnis vita permittatur in motu ab intrinseco consistere, certè vbi intellectio sit vitalis, satis superque est quod per actionem vitalem à se distinctam sit ab intrinseco: cur ergo sit ipsa essentialiter actio, nec in termino debeat interdum collocari. 74

Quod vero actio productiua verbi sit quædam intellectio, constat ex eo quod sit expressio imaginis, qua res intellecta relucet: necnon repræsentatio obiecti: & attentio ad illud: ac vera eius dictio, & loquutio vt cap. præcedenti in impugnatione septimæ sententiæ fusè edocui. Et præterea suadetur ex Aug. l. 15. de Trinit. c. 15. ibi: *Cum verbum nostrum cogitatione nostra dicatur, &c.* Et iterum ibid. *Et verum Verbum nostrum intimum, nisi nostra cogitatione non dicitur.* Eodem etiam modo loquitur Ansel. in Monol. c. 34. ibi: *Quoniã autẽ idẽ est summo spiritui scire quod intelligere,* 75

intelligere, siue dicere, necesse est quod eodem modo sciat omnia quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit. Ex his testimoniis constat dictionem seu productionem Verbi esse formalissimè intellectionem quandam.

76 Iam verò quod Verbum dictione, ac locutione productum sit etiam formalissimè intellectio, ac cogitatio, siue cognitio obiecti, & supra probatum manet, cum Thomistas, aliosque intellectionem omnem in sola actione collocantes impugnaremus, & vlterius multis, ac luculentissimis Patrum testimoniis potest suaderi. Atque in primis Aug. lib. 15. de Trinit. c. 15. sic ait: *Cogitatio quippe nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata Verbum nostrum verum est.* Et c. 12. ibi: *De visione scientiæ visio cogitationis exoritur, quod est Verbum linguæ nullius: Verbum verum de re vera nihil de suo habens, sed totum de illa scientia, de qua nascitur.* Et lib. 9. de Trinit. c. 8. ibi: *Conceptum autem Verbum, & natum idipsum est, cum voluntas in ipsa notitia conquiescit.* Et c. 11. ibi: *Cum Deum nouimus, quamuis meliores efficiamur, quam eramus, antequam nosse mus; maximeque cum eadem notitia etiam placita digneque amata Verbum est, sitque aliqua Dei similitudo illa notitia, tamen inferior est, cum in inferiori natura est.* Et tom. 10. de Natiuit. Ioan. Baptistæ serm. 1. sic habet: *Hoc iam sollicitè requiramus, quid inter Verbum sit, & vocem: Scripturæ sanctæ Verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus: Verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur: vocem verò, per quam Verbum profertur in medium. Vox sonus est, index cogitationis, Verbum verò ipsa cogitatio.* Et l. 7. de Trinit. c. 2. ibi: *Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia.* Hactenus Augustinus.

77 Augustino consentit Anselmus in Monolog. c. 31. ibi: *Cum enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxit, quæ imago in cogitatione Verbum est, eiusdem hominis, quem cogitando dico: habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit secum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sui impressione formatam: quæ imago eius Verbum eius est.* Et c. 46. eiusdem operis ibi: *Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est mente eam dicere: Verbum verò rei est ipsa cogitatio, ad eius similitudinem ex memoria formata.* Hoc ipsum etiam docet Ioan. Damasc. lib. 1. fidei orthodoxæ c. 18. ibi: *Verbum est naturalis mentis motio secundum quam mouetur intelligit, & cogitat, veluti lux ipsius existens, atque splendor.* Ex quibus Patrum testimoniis, aliisque quæ afferri possent, liquido constat, quod etiam Verbum mentis sit intellectio, cogitatio, notitia, siue cognitio.

Caput VIII.

Vlterior prosecutio nostræ sententiæ de essentia intellectionis.

78 Porrò autem, ne quis existimet, nostram de conceptu intellectionis sententiam nouam esse, ac singularè, quod in primis sit B. Thomæ ostèdo: siquidem Verbum ab intellectu productum est iuxta eum intellectio. Deinde actio etiam productiua Verbi est etiam intellectio iuxta ipsum: duplicem ergo intellectionem circa quoduis agnoscit obiectum, alteram in actione alteram verò in qualitate sitam. Prius suaderur ex l. 4. contra gent. c. 11. ibi: *Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta, & Verbum: est igitur in Deo intelligente seipsum, Verbum Dei, quasi Deus intellectus, sicut Verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus.* Et paulò inferiùs: *Intellectui nostro accedit in tempore Verbum interius conceptum quod est intentio intellecta.* Et iterum ibid. *Est autem de ratione exterioris verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit, & format intentionem, siue rationem intellectam, quæ est interius verbum.* Et paulò infrà: *Intellectus enim noster aliqua naturaliter cognoscit, sicut prima intelligibilium principia, quorum intelligibiles conceptiones, quæ verba interiora dicuntur, naturaliter in ipso existunt, & ex ipso procedunt.*

Rursus in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. idipsum docet in 79
hæc verba: *Si inquiratur quid sit illud Verbum, quo aliquis sibi loquitur, non inuenietur esse nisi conceptio intellectus.* Et q. 4. de verit. art. 1. sic disputat: *Vnde Verbum interius est ipsum interius intellectum.* Et art. 2. ibi: *Verbum intellectus nostri secundum cuius similitudinem loqui possumus de Verbo in diuinis est ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum quod dicitur conceptio intellectus* Et art. 3. ad 3. *Dicendum quod notitia est de ratione Verbi quasi importans essentiam Verbi.* Et art. 5. corp. ibi: *Hoc nomen Verbum imponitur ad significandum aliquod absolutum cum aliquo respectu adiuncto: est enim idem Verbum quod sapientia genita.* Hæc hucusque Angelicus præceptor.

Ex quibus sic argumentor. Verbum est qualitas 80
per actionem intellectualem prædicta: sed iuxta B. Thomam locis superius allegatis intellectio præsertim quatenus denominat obiectum intellectum, est Verbum: ergo & qualitas de qua supra. Adde quod 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. sic loquitur: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Quibus verbis clarissimè docet, qualitatem esse intellectionem eamque præcisè receptam in intellectu seorsim à quauis origine, & actione intellectus tribuere ei veram denominationem, & habitudinem intelligentis.

Posterius etiam suaderur, nempe quod Angelicus 81
præceptor intellectionem in actione productiua Verbi saluari posse existimet. Namque in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. sic ait: *Conceptio autem intellectus est vel operatio ipsa, quæ est intelligere, vel species intellecta.* Et quæstione 4. de verit. articulo 2. ad 2. sic inquit ibi: *In nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est exprimere ex se aliquam conceptionem, nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere, in nobis propriè loquendo est dicere.* Et 1. part. quæst. 34. articulo 1. ad 2. ibi: *Non enim intelligere significat actionem ab intellectu exeuntem, sed in intellectu manentem.* Et 4. contra gentes cap. 11. ibi: *Est autem de ratione interioris Verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit, & format intentionem, siue rationem intellectam, quod est interius Verbum.* Annon his testimoniis perspicuè docet, intelligere esse operationem, & etiam esse actionem; rursus intelligere esse dicere, seu producere Verbum; ac tandem intelligere esse concipere, & formare Verbum, quod etiam idem est ac illud producere?

Postquam autem per partes ostèdi B. Thomam iam 82
in actione iam in qualitate, siue Verbo, intellectionem

constituere; operæpretium erit, non partitim, sed vna eademque opera, vnoque eius, eoque luculentissimo testimonio idipsum breuiter ostendere. Itaque in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. *Sic*, inquit, *vnde oportet vel dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quæ est similitudo rei intellectæ; & sine vtroque istorum non potest quis intelligere: vtrumque enim istorum est quo quis intelligit formaliter.* Quod autem P. Hurtadus disp. 6. de anima sect. 1. docet B. Thomam hoc loci non constituere intellectionem modò in actione, modò in qualitate, ac similitudine diuisim sumptis, sed potiùs collocare intellectionem in vtraque collectim vsurpata, ita vt neutra seorsim ab alia, & prout ab ea condistinguitur, esse possit intellectio; hoc inquam falsum esse constat. Primò ex testimoniis quæ ex S. Doctore superius allegaui. Tum etiam quia ex distinctione immediatè antecedente palam est, cum dicitur tam actionem quam qualitatem, siue similitudinem esse intellectionem, id intelligendum esse de alterutra seorsim sumpta, ac prout disiuncta ab altera. Tum denique quia quod dicitur in testimonio, de quo est controuersia, *vtrumque* esse intellectionem, non tollit quominus alterutra seorsim ab alia, & prout condistinguitur ab illa sit intellectio; haud secus ac cum dicitur de Petro, v. g. Paulo vtrumque currere, non significatur neutrum non intellecto altero currere, sed potiùs alterutrum, prout condistinguitur ab alio, & separatim sumptum, proprio sibi motu currere.

83 Nostram sententiam ostendo etiam esse sapientissimi P. Ludouici Molinæ 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. ibi: *Quemadmodum calefacere non est aliud quam producere calorem, & albefacere non est aliud quam producere albedinem: ita cognoscere non est aliud, quam potentiam cognoscentem vitaliter hoc est per actionem, quæ efficienter per eam ab anima quæ principium vitæ emanet exprimere in seipsa imaginem rei cognoscendæ: cognitio namque operatio est vitalis, quam proinde necesse est emanare à viuente per potentiam cognoscentem. Imago autem, quæ per cognitionem exprimitur appellari solet tum notitia, tum species expressa.* Rursus num. seq. sic ait: *Quando ergo homo rem aliquam cognoscit, vtique per actionem vitalem, qua eius rei imaginem,* 18 *& notitiam in seipso exprimit, dicitur cognoscere tanquam per actum cognoscendi: per notitiam verò ipsam, & imaginem expressam tanquam per terminum actionis.* En ait iterum atque iterum cognitionem, siue intellectionem esse operationem, actionemque vitalem imaginis intentionalis expressiuam, seu productiuam, nec aliter consistere in actione, quam in ea consistunt calefactio, & albefactio. Alia verò ex parte docet vbi suprà, terminum actionis cognoscitiuæ esse etiam cognitionem, & intellectionem: tum quia asserit, per eum nos cognoscere: tum quia illum vocat notitiam obiecti: notitia autem est formaliter cognitio siue intellectio quædam, haud secus, ac noscere, à quo deriuatur notitia, idem est atque cognoscere, & intelligere.

84 Pergit noster Molina quo solet acumine & 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. memb. 2. idipsum quod prius docuit, & ad veritatem, & ad mentem D. Thomæ testatur accedere, in hæc vtique verba: *At verò D. Thomas verissimè arbitratus intellectionem esse actionem, per quam producitur conceptio, siue imago expressa rei quæ intelligitur; nosque intelligere per intellectionem tanquam per actionem, per conceptum verò ac imaginem expressam tanquam per terminum productum eo pacto quo paries fit albus per albefactionem tanquam per actionem, aut passionem, & per candorem tanquam per terminum productum per albefactionem, &c.* His postremis verbis ait ita se habere terminum actionis intellectualis ad denominationem intelligentis; *sicuti se habet terminus albefactionis ad denominationem albi:* ex quo fit vt quemadmodum terminus albefactionis se solo, & prout distinctus à quauis actione est albedo, subiectumque album denominare valet; ita similiter terminus actionis intellectualis se solo, & prout condistinctus ab omni actione iuxta eum sit intellectio, & animam reddere possit intelligentem. Primis autem eiusdem testimonij ex eo adductis verbis asserit B. Thomam verissimè arbitrari *intellectionem esse actionem*, per quam producitur conceptus, siue imago rei. Nec refert quod statim subiiciat, ita per actionem productiuam verbi, siue imaginis nos intelligere, sicut per productionem albedinis *paries fit albus:* ex quo videtur sequi, quod actio productiua Verbi non tam sit, iuxta eum, intellectio, quam intelligi factio, vt sic dixerim, sicut actio productiua albedinis haud est, iuxta illum, albedo, sed albefactio; hoc inquam non refert: quia comparat intellectionem cum actione albedinis productiua, quatenus hæc est forma albefacti; & statim eandem confert intellectionem cum ipsa albedine, quatenus albedo est forma albi: quod enim ait, *sicut paries fit albus* importat formalissimè denominationem albefacti, & simul denominationem albi, nec magis vnam quam alteram: quare quod vult est, ita nos denominari intelligentes per actionem intellectualem, sicut paries denominatur albefactus, aut fiens albus, vt sic loquar, per actionem albedinis productiuam, & similiter dici nos intelligentes per verbum actione vitali productum, sicut paries dicitur albus per terminum albefactionis.

Verum ne quis sit tergiuersandi locus en aliud ex- 85
pressum, manifestumque eiusdem Molinæ testimonium citata q. 12. art. 2. disp. 1. ibi: *Verbum etenim non concurrit ad cognitionem rei obiectæ, tanquam quid cognitum, in quo videlicet, vel per quod cognoscatur obiectum, sed tanquam ratio cognoscendi, & terminus cognitionis necessario exprimendus ad perceptionem obiecti. Itaque viso immediatè ad diuinam essentiam tanquam ad rem visam terminatur: ad verbum autem non tanquam ad rem visam, sed tanquam ad rem ipsa visione per se genitam.* Quibus verbis in primis asserit, Verbum, siue terminum ab intellectu interius productum, esse rationem cognoscendi, ac proinde cognitionem. Deinde docet, visionem Dei producere in intellectu Beati eius Verbum, quod perinde est, ac pro priori naturæ ad verbum dari visionem Dei in actione sistam, adeoque cognitionem siue intellectionem.

Hactenus explicui, quo pacto intellectio creata de 86
facto existens constituta sit, & qui mecum eandem eius amplectantur constitutionem. Superest explicare, quales intellectiones Deus creare possit: siquidem haud nisi intellectionum etiam possibilium conditionibus intellectis intellectionis in communi essentia plenè potest innotescere. Afferendum igitur vlterius est, non repugnare intellectionem, quæ non tantum in qualitate intellectui intrinseca, sed etiã in obiecto insuper eius qualitatis veluti collectim consistat: quin etiam haud repugnare intellectionem, quæ formaliter sita sit in ipso intellectu, & eius obiecto. Probatur primò, quia similitudo physica ex fundamento, & termino intrinsecè, & essentialiter coalescit cur ergo repugnet, similitudinem intentionalem aliquam in qualitate intellectuali, & obiecto, aut in ipsomet intellectu, & obiecto consistere, quamuis de facto, vt aiunt, aliter se res habeat, vt ex argumentis ad huius initium tractatus propositis liquet? Secundò, quia obiectum intellectionis vt sic non est extra rationem intellectionis, vt videre est in intellectione reflexa, quæ à

suo

suo obiecto non distinguitur, in eoque ab intellectione, seu cognitione directa distinguitur, quod ita non sit ab obiecto suo distincta. Cur ergo implicet contradictionem intellectio, quæ in intellectu, aut aliqua eius qualitate, ac simul in obiecto vtriusque, homine v.g. aut lapide sita sit.

87 Rursus asserendum est, non repugnare intellectionem aliquam, quæ sit essentialiter actio, ac seipsa seorsim à quauis actione distincta, ac præuia ab intellectu proficiscatur. Ratio huius est, quia de ratione actionis, & termini non est, vt inuicem realiter distinguantur. Etenim quæuis creatura est terminus diuinæ omnipotentiæ, ab eaque producitur: aliunde verò est essentialiter actio, & seipsa à Deo, eiusque omnipotentia producitur: de quo alibi. Item filius Dei est terminus generationis paternæ, ac simul est ipsa generatio passiua. Ad hoc: possibilis est effectus aliquis Physicus causæ etiam creatæ, qui simul actio sit, ac per seipsum producatur: quæ enim in hoc implicatio terminorum est? Similiter ergo in præsenti, &c.

88 Præterea asserendum est, non repugnare intellectionem, quæ, quin actio sit, seipsa tamen intellectui vniatur, & non qualitas absoluta, vt de facto, sed modus sit. Quemadmodum enim intellectio aliqua esse potest actio, quidni & alia queat esse vnio per actionem producta? Et sicut subsistentia, cum iuxta plures aduersariorum sit modus de facto, nihilominus de potentia absoluta esse potest forma absoluta, ac denominationem suam per vnionem distinctam tribuere, haud aliter ac subsistentia verbi nonnisi vnione distincta facit humanitatem Christi subsistere: sicut inquam hoc ita se habet, cur etiam intellectio, quæ modo qualitas absoluta est, nequeat esse modus in alio rerum ordine?

89 Postremò asserendum est, intellectionem aliquam non repugnare, quæ simul actio vnioque sit. Nec enim actio, & vnio identificati inuicem repugnant, sed potius in eadem realiter entitate cohærent, cum actio, qualiscunque saltem de facto sit, seipsa agenti creato vniatur: aliàs si per vnionem à se distinctam ei vnitur, ea vnio per aliam actionem producetur, & rursus hæc productio per aliam vnionem vnietur, & vlterius hæc vnio alia actione producetur, ac sic vniones, & actiones infinitæ, & prorsus innumerabili alternatione multiplicabuntur, quod est per absurdum. Quando igitur vnio & actio in eadem entitate compossibiles sunt; quando item intellectio actio esse potest, necnon vnio, vt superiùs ostensum est, cur vtraque simul esse nequeat?

Caput IX.

Satisfit argumentis contrà nostram sententiam superiùs explicatam de essentia intellectionis.

90 Asserui duobus capitibus præcedentibus in primis actionem productiuam verbi, prout ab eo realiter distinctam, eoque natura priorem, esse intellectionem obiecti. Secundo verbum ipsum, prout condistinctum ab actione, atque in sensu diuiso illius, esse etiam intellectionem, seu cognitionem rei. Tertio non repugnare intellectionem, quæ in aggregato actus, seu potentiæ, necnon etiam obiecti formalissime consistat. Quarto nullam etiam esse repugnantiam in intellectione, quæ nec sola actio productiua verbi sit, nec solum verbum, sed potius actio, & verbum, terminúsue absque vlla vtrinque distinctione reali. Quinto non implicare etiam intellectionem, quæ non qualitas absoluta, sed modus sit, ac seipsa intellectui vniatur. Sexto tandem intellectionem aliquam possibilem esse, quæ sit essentialiter actio, & vnio. Quæ asserta, quoniam non omnibus placitura sunt, idcirco ea ab argumentis contrariis libet breuiter vendicare.

Obiiciunt ergo primò contra primam assertionem 91
aliqui. Si intellectio est actio, sanè intelligere erit agere & intelligi erit agi: intellectus igitur intelligens obiectum illud aget, & rursus agens, producensque verbum illud intelliget, atque cognoscet: paritque ratione obiectum, quoties intelligitur, toties agetur, ac producetur; verbumque, vt non intelligitur, sic etiam non producetur. Obiiciunt secundo aduersarij contra eandem assertionem terminus actionis, per quam intellectus operatur immanenter, se solo est imago, ac similitudo, seu repræsentatio obiecti, atque adeo est intellectio, seu cognitio illius: haud aliter atque in Deo etiam datur intellectio quædam absoluta, & essentialis seorsim à quauis actione, vel origine. Quando ergo terminus actionis, de qua loquimur, est intellectio, certè ipsamet actio non habebit rationem intellectionis: quo pacto quia terminus calefactionis calor est, sanè ipsa actio caleaactiua calor neutiquam censetur.

Ad primum tamen argumentum respondeo: aut 92
sermo est de agere præcisè, atque in communi sumpto: & ita intelligere, licet sit realiter agere, ab eo tamen virtualiter intrinsecè distinguitur, meritoque huius distinctionis, quamuis non realis, reali tamen æquiuolentis poterit intellectus aliquid intelligere, quod non agit, & agere, quod non intelligit: idemque de intelligi, & agi, seruata proportione dicendum est: haud secus ac in actu contritionis v.g. quia amor, & odium virtualiter distinguuntur, amor Deum, quem amat, non odit, & odium peccati illud non amat: de quo plura superiùs lib. 2. tract. 4. à cap. 4. Quod si sermo sit de agere non præcisè, atque in communi sumpto, sed de tali agere, nimirum de agere, seu exprimere imaginem rei in intellectu, certè intelligere, & agere in hoc sensu ne virtualiter quidem distinguuntur, sed potius sunt omnino eadem. At ex eo quod intelligere obiectum, sit agere verbum ipsius, quis colligat, vel iure possit, aut obiectum agi, aut verbum intelligi, siue cognosci ab intellectu? Hac ratione, etsi albefactio, siue dealbatio iuxta omnes sit actio quædam, inde tamen non infertur, eum, qui dealbat parietem, eo ipso parietem producere, aut qui agit, vel applicat albedinem, eam dealbare.

Ad secundum argumentum respondeo, terminum 93
quidem actionis intellectualis esse intellectionem, ob rationes superiùs latè propositas: cæterum inde non fieri actionem ipsam non esse etiam intellectionem, sicut, quamuis volitio Dei sit actio, non sequitur, eius etiam obiectum, siue terminum non esse actionem, siue dependentiam essentialem, actualemque rei à Deo: & quamuis in diuinis intellectio absoluta, & communis tribus personis sit propria intellectio, non efficitur propterea, intellectionem notionalem, propriamque Filij, strictè etiam intellectionem non esse. Recole quæ supra disseruimus cap. 6. ex iis enim constabit manifesta disparitatis ratio inter calefactionem, & eius terminum, & intellectionem etiam, eiusque terminum; cur nimirum, etsi solus terminus calefactionis: non verò ipsa calefactio calor sit, hoc tamen non obstante terminus dictionis internæ intellectio ita sit, vt ipsa etiam dictio, siue productio verbi

similiter intellectio obiecti dici possit, ac debeat. Ratio à priori est, quia actiones, quæ sunt in genere vitæ spiritualis, & intellectiuæ id habent ratione suæ peculiaris perfectionis: vt terminis suis non dent esse cognitionem, quin ipsæmet prius sint formaliter, & in actu secundo cognoscitiuæ, ac verissimè intellectiones.

94 Contra secundam assertionem nostram arguunt quidam primo; Actio productiua Verbi, provt ab eo condistinguitur, & pro priori ad illud est intellectio, cum aliis de causis, tum quia exprimit imaginem obiecti, tum quia obiectum repræsentat, siuè intellectui præsens facit, nec non quia est attentio ad illud, ac denique quia est dictio illius: cum igitur actio præfata sit intellectio, quî fieri potest, vt eius terminus sit etiam intellectio, sicut quia actio productiua caloris est calefactio, sanè terminus eius actionis calefactio esse nequibit. Arguunt secundò aduersarij: si terminus actionis intellectualis, & ab ea realiter distingueretur, ac prout sic condistinctus intellectio, & cognitio seipso esset, proculdubio posset separi diuinitus ab ea actione, & sine illa recipi in intellectu: ita autem duntaxat receptus in intellectu ei denominationem suam impertiret, eamque faceret intelligere. Consequens autem falsum est: primò quia illa intellectio esset, & non esset vitalis: vitalis quidem, quia intelligere omnium consensu viuere est: non vitales, quia vita consistit in motu ab intrinseco; tum autem intellectio non esset ab intrinseco: secundo quia amor more intellectionis solum in voluntate receptus, esset voluntarius, quia id ei essentiale est, & non esset voluntarius, quia non esset à principio intrinseco cum cognitione.

95 Arguunt tertio aduersarij contrà eandem assertionem. Intellectiuum est essentialiter actiuum: intellectio igitur, quæcunque sit, essentialiter erit actio: ac proinde nulla poterit in qualitate, seu Verbo consistere. Arguunt quartò. Essentia modi est vnum ad aliud determinare, & indifferentiam tollere aliquorum extremorum: atqui, cum intellectus sit indifferens, vt cognoscat vel non cognoscat obiectum hæc indifferentia determinatur per intellectionem: intellectio igitur est modus: malè ergo asseruimus de ea quod sit in absoluta qualitate sita.

96 Ad primum horum dicendum est, actionem productiuã Verbi esse quidem intellectionẽ: cæterum hoc non obstante eius etiam terminum esse intellectionẽ: vti paulò suprà in simili aiebam: cur autem, licet terminus actionis calefactiuæ non sit calefactio, nihilominus terminus actionis intellectualis esse possit, debeatque intellectio, ad instar actionis per quam exprimitur; & quæ inter vtrumque terminum sit disparitatis ratio, facilè colligi potest ex dictis suprà cap. 5. in impugnatione quintæ sententiæ. Ad secundum dicendum est, in primis non deesse, qui Verbum, tametsi intellectio sit, provt condistinguitur ab actione, renuant tamen absque actione in intellectu recipi posse: sicut è contrario, quãvis actio distinguatur à termino suo, sinè eo tamen diuinitus etiam reperiri nequit vspiam sed de hoc plura cap. sequenti, vbi etiam palam fiet, intellectionem, tametsi absque actione vlla immanenti in intellectu reciperetur, futurum tamen vitalem vita non Physica, quæ in motu ab intrinseco consistit, sed vita intentionali, quæ in mera obiecti repræsentatione, & amore sita sit: parique ratione amorem in voluntate
97 duntaxat receptum futurum non Physicè, sed intentionaliter voluntarium.

Ad tertium dicendum est, eius antecedens esse falsum: non enim implicat contradictionem intellectiuum aliquod nullo modo productiuum suæ intellectionis, sed potius eius merè passiuum, ac receptiuum. Negari etiam potest consequentia: sicut enim volitiuum est essentialiter cognoscitiuum; & tamen volitio non est cognitio, quidni etiã intellectio possit non esse actio, tametsi concedatur intellectiuum omne esse actiuum? At quartum dicendum est, modum determinare non solum in actu primo sed etiam in actu secundo per seipsum essentialiter indifferentiam eorum quæ interiacet extremorum: intellectionem autem hac ratione non determinare indifferentiam intellectus ad obiectum eò quod per seipsam ei non vniatur.

Vlterius contra tertiam assertionem nostram ita 98
argumentantur eius aduersarij Intellectio est actus immanens, & vitalis: at si intellectio aliqua possibilis in obiecto exparte consisteret, haud dubiè esset actus non immanens aut vitalis, sed potius transiẽs; vtpotè cuius aliquod constitutiuum essentiale, nimirum obiectum, non intra intellectum esset, sed eum extra. Deinde arguunt contrarij. Obiectum cognitum, siuè intellectum intellectionis causa est: *ex obiecto* enim, *& potentia paritur notitia*, vt cum Augustino omnes in confesso habent: atqui causa distinguitur adæquatè à suo effectu: ergo & obiectũ ab intellectione, ac proinde eam intrinsecè, & essentialiter non constituit.

Hæc tamen argumenta momentosa non sunt. Non 99
prius. Namque veritas formalis actuum intellectus eum denominat verũ, eique immanens dicitur more actuum ipsorum, quorũ proprietas est, nimirum quia licet ex actu & obiecto quãdoquè coalescat partimq; intrinseca, & partim extrinseca intellectui sit, tamen eius constitutiuum principale, entitas scilicet actus veri, semper intellectui immanet, & est intrinseca. Similiter ergo intellectio illa immanens, qua de loquimur, dici posset actus immanens, quantumlibet aliquod eius constitutiuum nempe obiectum esset extra intellectum: videlicet quia præcipua eius pars intellectui nihilominus immaneret. Adde, quod esse actum omninò, ac totaliter, vt aiunt, immanentem, & vitalẽ, solius intellectionis de facto existentis non verò possibilis dici debeat proprietas. Posterius etiam argumentum numero superiori propositum expositione fermè non eget: vt enim obiectum sit causa intellectionis, cognitionisue satis est, vt eam intrinsecè constituat, ab eaque realiter inadæquatè distinguatur: qua tantum ratione albedo v. g. album causat ab eoquè distinguitur.

Præterea contra quartam assertionem nostram 100
Hurtadus, & alij argumentantur primò in hunc modum. Actio est via, & tendentia in terminum suum: at via & tendentia in terminum debet ab eo realiter distingui, haud aliter ac via localis à terminis suis, à quibus incipit, & in quos desinit, necessario distinguitur: actio ergo, quæ est via, & tendentia quædam ab agente ad effectum, non poterit non distingui ab effectu, atque adeò intellectio nequit in vllo rerum ordine esse qualitas per seipsam producta. Arguunt secundo iidem: potentia actiua, vt actiua, realiter distinguitur ab effectu, cuius est actiua: aliàs cum ea reduplicatione sumpta non esset ad aliud, sed potius suimet ipsius foret actiua: ergo etiam potentia agens, vt agens, distinguitur realiter ab effectu: cum ergo potentia agens, vt agens, inuoluat actionem, & pro formali sit ipsa actio, sanè hæc ab effectu suo necessario distinguenda est, ac proinde cum eo in intellectione realiter non identificatur.

Hæc tamen argumenta magnoperè non vrgent. 101
Ad primum respondendum est, actionem non esse

propriè,

propriè, & rigo rosè viam ad terminum, siuè effectum: quot enim locorũ spatia, quot flexus, atque anfractus, quot montium, valliumque discrimina causam ab effectu præsertim sibi intrinseco separant? tantum ergò impropriè, ac metaphoricè actio dicitur via ad effectum suum; quia nimirum agens sine illa ad effectum peruenire, eumque consequi non potest, sicuti si non pateat via, & aditus ab extremo ad extremum sanè non poterit quis ab vno eorum ad aliud peruenire, illudque tenere. Porro vt actio sit metaphoricè, & translatitiè via, media qua causa peruenit ad effectum, eumque consequitur, satis est vt actio ab effectu ratione nostra distinguatur, quantumlibet via propria, & localis ab extremis, quæ interiacet, realiter distinguatur. Quæ cum ita sint, quidni possibilis sit intellectio, cuius actio, quantumuis via quodammodo ad illam, ab ea tamen sola ratione, non verò realiter sit distincta.

Alterum etiam argumentum, cui nituntur aduersarij, perquàm est imbecille. Quemadmodum enim 102
potentia actiua, vt actiua, ab actione possibili, per quam tanquam per formam constituitur, vt plures censent distinguitur realiter inadæquatè, non autem realiter adæquatè; ita similiter potentia agens, vt agens, eadem de causa distinguitur ab actione exercita, non tam realiter adæquatè, quam distinctione reali inadæquata. Quod si actio, & terminus idem sint, consequenter potentia actiua, vt actiua à termino suo, siue effectu prout possibili distinctionem sortietur realem inadæquatam: ac pari ratione & distinctione, secernetur potentia agens vt agens ab effectu vt exercito. Cæterum aduersarij non probant, nec possunt probare, potentiam actiuam, aut etiam agentem quatenus talem debere esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. Fateor tamen, si, quod probabile est, potentia actiua transcendentaliter refertur ad suos effectus, aut, quod perinde est, si est omninò intrinsecè, & essentialiter actiua, eo ipso illam esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. At non propterea potentia agens per actionem à se distinctam erit ad aliquid à se realiter adæquatè distinctum, cum in ratione agentis ipsam actionem, ad quam refertur, necessariò inuoluat; denominatioque agentis ei intrinseca omninò, & essentialis non sit, sicut denominatio illa, qua actiua dicitur.

Tandem quintæ, & sextæ assertioni nostræ quidam refragantur, & sic aduersùs eas arguunt. Intellectio, qualiscumque sit, longè perfectior est candore v.g. atqui candor non vnitur per seipsum parieti, nec cum eo essentialiter connectitur: à fortiori ergo intellectio, quæ vt perfectior candore sic eo magis absoluta à subiecto, magisque independens esse debet, ei non poterit per seipsam essentialiter vniri, cum eoue connecti. Quo etiam argumento concludi potest, intellectionem multo minus seipsa connecti posse cum intellecto velut cum subiecto informationis, ac simul etiam velut cum causa efficienti. Arguunt secundo aduersarij contra easdem assertiones. Si eadem indiuisibilis entitas intellectiones esset simul qualitas intentionalis, siue similitudo ac imago obiecti, necnon actio vitalis, atque etiam passio, siue vnio sui cum subiecto, sanè simul pertineret ad tria prædicamenta, nempe ad prædicamentum qualitatis, & illud quod est actionis, atque etiam ad passionem prædicamentalem. Consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. 103

Nihil tamen ponderis est in his impugnationibus. Ad primam earum facilè dici potest, intellectionem, quantumlibet essentialiter connexam cum intellectu, aut velut cum subiecto cui seipsa vniatur, aut velut cum causa efficienti à qua per seipsam proficiscatur, aut vtroque simul modo; aliis tamen ex capitibus posse esse perfectiorem candore & similibus qualitatibus absolutis: haud aliter ac vnio hypostatica, quamuis forma quædam modalis sit, formas tamen substantiales absolutas sin minus omnes, saltem multas perfectione superat. Ad secundam impugnationem contrariam dicendum est, non inconuenire, nec absurdum esse, si eademmet realiter entitas non solum ad tria prædicamenta spectet, verum etiam ad trecenta, si darentur. Hactenus toto hoc tractatu de essentia intellectionis quoad id an consistat in intellectu ipso & obiecto, an in qualitate, aut actione, &c. Porrò eandem intellectionis essentiam quoad alias eius conditiones, & terminos sequentibus capitibus huiusmet tractatus explicare pergo. 104

CAPVT X.

An intellectio vt sic essentialiter postulet concursum effectiuum potentiæ vitalis, ita vt in ea, ne miraculosè possit à solo Deo produci?

CApreolus, Ferrara, & alij Thomistæ suprà in impugnatione quintæ sententiæ de natura intellectionis relati censent, intellectionem, vt intellectio est, ne diuinitus quidem existere posse in intellectu absque concursu, & actione illius; nimirum quia intellectio omnis est formalissimè actio ipsa per quam intellectus exprimit in se imaginem obiecti, eiusque verbum sibi ipsi loquitur: cæterum non inficiantur terminum eius actionis, quem intellectionem esse renuunt, de potentia Dei absoluta collocari posse in intellectu absque illius effectione, & concursu vitali; ita tamen vt intellectus per illũ minimè intelligeret. His annumerandi sunt Suar. & Hurtad. vbi suprà, qui, tametsi terminum actionis intellectiuæ in intellectu absque huius concursu effectiuo diuinitùs posse censeant; non tamen intellectionem; quippe quam non solum in termino intellecto, verum etiam in eius actione, & passione sitam esse arbitrantur. 105

Contrà tamen sic argumentor. Intellectio vt sic non consistit in actione, aut sola, aut simul cum termino sumpta, sed nonnunquam in solo termino sarta tecta conseruatur: quamuis ergo actio intellectualis sine actione omni in intellectu reperiri nequeat, inde tamen non sequitur illicò, intellectionem non posse in intellectu absque eius actione existere posse: quapropter fundamentum quo innituntur aduersarij nullum est, vt constat ex iis quæ supra inter quintam, & octauam sententiam de essentia intellectionis profligandas adduximus. Deinde, vt ibidem ostendimus, vtque eodem redit, qualitas terminans actionem immanentem intellectus, prout ab hac condistincta, est intellectio ac se sola, & seorsim ab actione intellectui effectum suum formalem, & denominationem intelligentis potest tribuere: cum ergo eiusmodi qualitas iuxta aduersarios diuinitus collocari queat in intellectu absque vllo eius concursu effectiuo, sanè etiam intellectio sine vllo tali concursu in eo poni, eumque intelligentem reddere apprimè poterit. 106

Alij, quorum meminit P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. art. 2. disp. 9. cap. 5. num. 18. tuentur, qualitatem, quæ cognitio, aut volitio est, in ratione quidem qualitatis diuinitus poni posse in intellectu eam nullo modo producente: at si consideretur ea qualitas, non vt qualitas præcisè est, sed prout cognitio, sic 107

sic eam collocari non posse in intellectu absque actione, quam vt qualitas, simulquè, vt cognitio terminat, ac præsupponit. Hæc etiam sententia facile conuelli potest. Namquè inprimis iuxta eius assertores non solum qualitas illa, vt qualitas est, verumetiam prout habet rationem cognitionis, aut intellectionis ab actione productiua sui realiter distinguitur: quemadmodum ergo, vt qualitas est, ab actione immanenti separari potest, atque in intellectu nihil omnino agente, sed potius mere passiuè se habente collocari; cur etiam provt cognitio separabilis non sit ab eadem actione sui productiua, & absque illa in intellectu possibilis? Ad hæc, qualitas ab intellectu producta, vt qualitas est, non distinguitur realiter à seipsa, prout cognitio est, sed ad summum virtualiter, aut ratione nostra: quî ergo fieri potest, vt ratio quaritatis à ratione cognitionis secũ identificatæ, realiter separari, & absque illa alicubi poni possit? & quidem, si potest, haud conspicio, cur candor, tametsi sine pariete conseruari, & absque illo alicubi esse queat, ab eo tamen realiter distinguatur.

108 Alij etiam, quorum mentionem facit P. Vasquez vbi paulo suprà num. 20. Docent, qualitatem illam, quæ intellectio dicitur, aut volitio, non esse essentialiter connexam cum actione, aut efficacitate facultatis intellectiuæ determinatè, aut etiam vagè, & indeterminatè sumpta: quinimò absque illa posse supernaturaliter qualitatem illam siuè intellectionem à solo Deo poni in subiecto alieno, & intelligendi prorsus incapaci, cuiusmodi est lapis, aut lignum: cæterùm ne diuinitus fieri posse vt qualitas illa, siuè intellectio in intellectu absque huius concursu effectiuo ponatur: quia, inquiunt, hinc foret, vt intellectus in talli euentu intelligeret quidem, eo quod intellectio vnita subiecto capaci non possit, non tribuere suum effectum formalem; & rursus non intelligeret quia intelligere est viuere, & attendere ad obiectum, quæ duo satis intelligi non possunt absque conatu, & efficacitate intellectus. Cæterùm eiusmodi prædicata contradictoria neutiquam sequerentur ex eo quod lapis v. g. aut lignum qualitatem illam diuinitus susciperent, vt intuenti constabit.

109 Hæc quoque opinio priori solidior non est, facilique potest momento euerti. Primò namque intellectio constituta in lapide secundum totam suam essentiam à solo Deo esset producta, iuxta aduersarios: haberet ergo tunc causam efficientem adæquatam: ergo vt iterum poneretur in intellectu, non indigeret alia causa efficiente, à qua de nouo produceretur: effectus enim habens iam causam efficientem adæquatam, alia causa efficienti non eget; aliàs iam prior eius causa efficiens adæquata non esset, vtpote quæ alterius causæ efficientis consortio ad producendum effectum egeret: vt ergo intellectio illa in lapide constituta poneretur in intellectu, subiectoque sibi connaturali, haud indigeret concursu effectiuo ipsius intellectus, sed solum concursu eius passiuo, siue in genere causæ materialis, vt dictum est. Poni ergo potest diuinitus in intellectu, quin hic ad illam in genere causæ efficientis concurrat; præcisè per hoc quod in genere causæ materialis ad eam concurrat: iam ergo hi Authores ex eo quod concedunt ad id quod negant inuitabili consequentia deducuntur.

110 Præterea longè plus requiritur ad producendam intellectionem in subiecto extraneo, & sibi non connaturali, quam ad eam producendam in subiecto extraneo, & sibi non connaturali, quam ad eam producendam in subiecto proprio sibique debito: illudque prius multo difficilius est, quam hoc posterius: haud aliter ac operosius, difficiliusque est, formam ignis extræ centrum, seu locum naturalem, quam in centro producere, & conseruare, eamque in subiecto humido: & frigido tueri, & continere, quam in subiecto sibi connaturali, calidoque, & sicco. Atqui potest Deus producere, & conseruare intellectionem in lapide v. g. Absque concursu effectiuo vllius causæ creatæ, vt fatentur aduersarij: ergo etiam poterit à fortiori producere intellectionem in subiecto sibi connaturali, idest in intellectu absque vllius causæ creatæ efficacitate, ac proinde sine ipsius intellectus effectiuo concursu. Si enim quod magis operosum, ac difficile est operari potest sine concursu effectiuo intellectus, aut alterius creaturæ, cur id quod minus operosum, ac difficile est, videlicet constituere intellectionem in intellectu ad illum suapte natura propendente operari nequeat, asque consortio, & concursu vllius causæ efficientis creatæ.

Rursus iuxta hos Doctores idcirco intellectio à 111
solo Deo in lapide constitui potest, quia lapis est subiectum intelligendi incapax. At si Deus solus absquè efficacitate vllius causæ creatæ intellectionem in intellectu cõstitueret, illam sanè in subiecto intelligendi incapaci collocaret: non est ergo cur eam ita non possit in intellectu collocare. Minor, quæ solùm probatione eget, hac ratione probatur: intellectus iuxta principia horum Authorum intelligere nullatenus potest absque actione immanente terminata ad intellectionem: ergo sine illa actione est subiectum incapax intelligendi, atque adeò Deus se solo, & absque actione, & efficacitate intellectus in eo intellectionem constituens, illam in subiecto intelligendi incapaci constitueret.

Quocirca debuissent aduersarij iuxta sua principia 112
affirmare, alteram tantũ cotradictionis partem sequi ex positione intellectionis in intellectu merè passiuè se habente, nimirum quod intellectus nullo modò obiectum cognoscere, huiusque denominationis omnino incapax esset ob defectũ actionis immanentis: non aliter ac intellectio constituta in lapide, quæ est huius incapacitas, eum intelligentem nullatenus redderet. Tandem absolutè verius est, intellectum absque vllo concursu effectiuo in intellectionem per eam intelligere posse: quatenus autem intellectus vi intellectionis solum in se receptæ viueret, attenderetque ad obiectum, ac proinde quam leue sit fundamentum, quo ad contradictionem vrgere nos conantur isti Auctores paulò inferius constabit.

Alij vlterius, quos sequitur P. Vasquez vbi suprà 113
disputatione illa nona. C. 5. tuentur absolutè quidem, & nulla facta mentione de alieno subiecto, & ad intelligendum incapaci, ne diuinitus fieri posse, vt intellectio ponatur in intellectu absque concursu actiuo illius, quantumvis intellectio iuxta ipsos in sola qualitate ab omni actione distincta consistat. Mouentur autem hoc argumento: si intellectio constitui posset in intellectu absque actione, & concursu effectiuo illius, sanè intellectus in tali euentu intelligeret, cum sufficientia formæ, & capacitas subiecti tum minimè deessent, Atqui intellectus ne diuinitus intelligere potest absque actione, & concursu effectiuo in intellectionem: ergo neque illam recipere. Quod autem intellectus absque efficacitate propria diuinitus intelligere nequeat probatur.

Primò quia implicat contradictionem, intellectum intelligere, & non attendere ad obiectum quod intelligit: at attendere formalissimè importat actionem, & conatum intellectus: sine his ergo implicat intellectum intelligere. Secundò, quia repugnat 114
intelle

intellectum intelligere, & non viuere hoc ipso quod intelligit: sed viuere est agere, & moueri ab intrinseco: ergo repugnat intellectum intelligere; quin agat, & immanenter operetur. Tertiò; diuinitus etiam fieri nequit, vt voluntas amet; quin amor eius ei voluntarius sit: amorem autem, aliudue quoduis esse voluntarium est esse à principi intrinseco cum cognitione, atque adeo immanenter agi: fieri ergo non potest, vt voluntas amet absque eo quod amotem suum immanenter producat: cumque par intellectus, & voluntatis hactenus ratio sit, certè intellectus etiam quin agat, intelligere nequibit. Maior autem huius sillogismi per se manifesta est, quid enim voluntarium essentialiter erit nisi voluntatem diligere, & amare voluntarium sit. Huc spectat illud B. Thomæ 2.2. quæst. 23. art. 2. corp. ibi *non enim motus charitatis ita procedit à spiritu sancto mouente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantũ, & nullo modo sit principium huius motus, sicut cum aliquod corpus mouetur ab exteriori mouẽte. Hoc enim est contra rationem voluntarij, cuius oportet principiũ in ipso esse, sicut suprà dictum est. Vnde sequeretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem, cum amor de sui ratione importet, quot sit actus voluntarius.* Hæc B. Thomas.

115 Quarto quia si posset intellectus intelligere absq; concursu actiuo in intellectionem, certè non esset cur humanitas Christi non posset intelligere per intellectionem verbi diuini: potissima enim ratio, ob quam humanitas Christi subsistens per subsistentiã Verbi, per eius tamen intellectionem censetur non intelligere est, quit nequit ea facultas intelligere nisi quæ intellectionem immanenter agit: cum ergo humanitat Christi intellectionem increatam Verbi agere nequeat, sane per eam intelligere non poterit. Hæc autem ratio funditus cortueret si posset intellectus intelligere absque actione immanente: aut ergo hoc negandum est, aut non negandum, quod omnes ferè Theologi negant humanitatem Christi intelligere posse per intellectionem increatam Verbi cui hypostaticè vnitur.

116 Quintò si intellectus noster intelligere posset per intellectionam à se improductam, & voluntas itidem amare per amorem à se non elicitum, fieret quidem indissociabili consequentia, vt possibilis esset creatura aliqua intellectiua suaptè natura, quæ tamen intellectionem suam producere non posset, & volitiua etiam, quæ non solum amorem suum non produceret, verum etiam eius neutiquam esset productiua. Consequens autem est absurdum: vt per se apparet, vtque inde etiam constat quod intellectio eius creaturæ nec in actu primo nec in actu etiam secundo vitalis esset, parique ratione nec formaliter nec radicaliter ad suum attenderet obiectum: vitalitas enim & attentio concursum effectiuum & conatnm intellectus important; quos tamen nec in actu primo nec in actu secundo, nec formaliter nec radicaliter ea creatura connotaret. Similiter etiam amor eius creaturæ non solum propriè, eo in actu secundo voluntarius non esset, sed etiam ne impropriè quidem, aut in actu primo.

117 Sextò: si voluntas amaret per amorem à se improductum, tunc cognitio dirigeret, & non dirigeret voluntatem ad amandum, quæ contradictoria sunt, & consequenter voluntatis sine actione immanenti amantis contradictionem arguunt, ac repugnantiam: vnde etiam fit, quod repugnet similiter intellectum intelligere sine eo quod intellectionem immanenter agat. Dirigeret quidem cognitio voluntatem ad amadum eo in euentu, quia in nullo potest voluntas amare absq; directione cognitionis: propterea enim requiritur essentialiter cognitio ad amandum, vt ad amandum dirigat, vti manifestum est: tam ergo repugnat, voluntatem amare sine directione cognitionis, quam amare absque cognitione. Rursus cognitio non dirigeret, nec excitaret voluntatem ad amãdum in ea hypothesi, qua supponimus ipsam nihil agere, quia cognitionem dirigere, & excitare voluntatem est eam illuminare vt aliquid agat vi eius illuminationis siue illustrationis: secluſa autem quacũque eius actione, & efficacitate, ad quid eam cognitio diregere, & excitare posset: aut quo pacto non esset otiosa, & friuola ea cognitionis directio? sicuti frustra omninò, & supernacaneè dirigeret quis cæcum ad ambulandum, si hic præter cæcitatis malum claudicaret, actionemque deambulandi non posset exercere.

118 Confirmatur, & declaratur. Si voluntas potest diuinitus amare per amorem in se receptum, atque à se non productum. sanè poterit Deus infundere voluntati amorem propriori signo naturæ ad omnem cognitionem: nec enim debet antecedere cognitio actionem amoris à voluntate profectam, quippe quæ nulla daretur in euentu de quo loquimur: nec etiam actionem amoris à solo Deo prouenientem: vt enim Deus agat amorẽ creatum non à cognitione creata sed à cognitione propria, & increata dirigitur, ac proinde sola hæc antecedere debet productionem amoris à solo Deo efficienter pendentis. Porrò autem cognitio in eo euentu non diriget voluntatem ad amandum, tametsi illa reuera amet: siquidem denominatio amantis in sola voluntate, & amore ei vnito consistit formaliter, atque adeò cognitionem in hypothesi facta antecedere debet prioritate quidem naturæ, ac rationis: cognitio igitur non diriget ad denominationem illam tribuendam, quam iam tributam præsupponit: ea enim directio sera esset, atque inutilis. En quatenus ex voluntate habente se mere passiuè ad amorem sequitur, eam posse amare, quin dirigatur ad amandum à cognitione vlla, cum tamen alia ex parte alicuius cognitionis directionem esse necessariam ad denominationem amantis, & per se manifestum sit, & superius ostensum.

119 Hæc tamen opinio, quamuis tot innixa fundamentes, haud ægrè potest euerti. Ad primam rationem pro ea adductam respondeo, distincta duplici intellectione, altera actiua, qua videlicet imago obiecti in intellectu exprimitur, siue efficitur, altera passiua, qua circumscripta omni vera actione intellectus, intentionaliter assimilatur obiecto per eius imaginem in se receptam: deinde etiam distincta duplici attentione, altera Physica, & propria, quæ conatum, & efficacitatem intellectus importat, altera intentionali, & impropria, qua intellectus per imaginem obiecti in se receptam in obiectum intentionaliter fertur, siuè tendit, eiquè quodammodo præsens fit. His igitur præmissis intelligere actiuè attentionem Physicam, propriamquè inuoluit, atquè adeò actionem immanentem intellectus; dempta qua ne diuinitus potest intellectus eo pacto intelligere: cæterum passiuè intelligere non inuoluit essentialiter attentionem Physicam, & propriam, siuè conatum verum intellectus, sed duntaxat attentionem intentionalem, atquè impropriam: ac proinde interueniente hac sola attentione absquè illa priori in actione sita fieri poterit diuinitus, vt intellectus intelligat.

120 Ad secundam etiam rationem contrariam respondeo, distincta etiam duplici vita, altera scilicet physica, altera intentionali: vita physica consistit in motu

tu vero ab intrinseco, nec quocunque, sed eo quo quis de loco in locum indeterminatum, & quem voluerit mouetur, aut per intus sumptionem augetur, aut cognitionem, & amorem in se efficit: vita intentionalis sita est in sola obiecti perceptione seorsim à quouis motu ab intrinseco siue actione immanenti neque non in obiecti percepti prosecutione, aut fuga. Distinguenda etiam est vt supra sæpè, duplex intellectio, altera actiua, & passiua altera, quarum prior in vero motu ab intrinseco non verò posterior consistat. Quibus suppositis, intellectus per intellectionem in se duntaxat receptam non actiuè: sed passiuè viueret, atque adeo non physicè, sed intentionaliter censeretur viuere, ad quod genus vitæ actio immanens non requiritur.

121 Ad tertiam rationem contrariam similiter respondeo, in euentu, quo voluntas per amorem in se duntaxat receptum amaret, fore vt eius amor esset voluntarius etiam in actu secundo, non physicè, sed intentionaliter, sicuti de vita physica dicebam: ad id autem genus voluntarij necessum non esse, vt actus voluntarius sit ab intrinseco, aut actionem immanentem terminet, sed satis, superque esse vt per eum voluntas sponte sua in obiectum feratur, illudque amplectatur. Adiice, tria argumenta facta vel nihil probare, vel certè id conuincere aduersus Patrem Vasquez, intellectionem, & amorem vt sic non in sola qualitate, vt ipse arbitratur, sed in qualitate, & actione, & passione esse sitam: namque intellectioni essentiale esse videtur, quod sit attentio: atqui attentio est conatus, & actio intellectus, intellectio ergo non solum aliqua, vt nos supra fassi sumus, sed vt sic & vniuersaliter sumpta erit essentialiter conatus, & immanens actio. Rursus intellectioni essentiale est, quod sit vita: ergo & quod vt sic sumpta sit motus ab intrinseco, siue actio in genere immanentium. Præterea amori nihil iuxta ipsum P. Vasquez magis essentiale est, quam quod sit voluntarius: ratio autem voluntarij consistit in esse ab intrinseco cum cognitione: amor ergo essentialiter, ac per seipsum est ab intrinseco, atque adeo veram actionem includit.

122 Ad quartam rationem contrariam respondeo: si intelligere actiuè sumatur, & perinde sit atque exprimere, siue efficere in se imaginem obiecti, fieri etiam diuinitus nequit, vt humanitas Christi per intellectionem verbi intelligat: intellectio enim Verbi non potest esse actio, per quam humanitas assumpta denominetur agens immanenter, vt est certo certius. Quod si intelligere non actiuè, sed quasi passiuè sumatur, quod humanitas Christi non possit ita intelligere per intellectionem Verbi, non ideo est, quia intelligere nulla res potest absque actione immanenti, sed quia intelligere, etsi non sit semper agere, tamen idem semper est, ac vel agere, vel certè subiectum intelligendi capax intellectionem recipere, sibive vnitam habere: quamuis autem humanitas Christi intellectionem Verbi sibi vnitam habeat, intelligendi tamen per eam incapax censenda est ob rationes communes Theologorum aut certè ob alias à nobis suo loco proponendas.

123 Ad quintam rationem contrariam respondeo, nullam esse contradictionem, aut repugnantiam terminorum in substantia illa creata, quæ intellectiua, & volitiua sit, quin intellectionis, aut volitionis suapte natura sit productiua. Quod autem in contrarium adducitur, talem substantiam, nec, cum intelligeret, habituram attentionem aliquam ad obiectum à se intellectum, nec, cum veilet, habituram amorem voluntarium, nec etiam vllatenus victuram intelligendo, aut volendo, paulò supra solutum est in simili: doctrinaque ibique tradita huic loco adeò conuenit, vt in ea huc vlterius applicanda operam ponere superuacaneum esse mihi videatur.

Sexta, & postrema ratio contraria postulat, vt explicemus, qua ratione cognitio dirigat voluntatem 124
ad amandum, esto voluntas supponatur se habere merè passiue ad amorem, eamque non agere, neque efficere vi cognitionis, qua illuminatur. Dici igitur primò potest, directionem cognitionis ad amandum consistere in eo quod voluntas nequeat recipere amorem, per eumque amare quin cognitionem habeat obiecti, posse verò è contrario cognoscere obiectum, quin illud amet: hæc ergo prioritas logica, siue in subsistendi consequentia sufficit ad hoc vt cognitio ad amandum dirigat, esto voluntas vi cognitionis eam illuminantis amorem non efficiat. Quod si aliquando, vt voluntas diuinitus amare nequit, quin obiectum cognoscat, sic etiam intellectus aut naturaliter, aut etiam de potentia absoluta cognoscere nequeat, absque eo quod voluntas amet; atque quod raro euenit, ab amore ad cognitionem, & simul etiam à cognitione ad amorem teneat consequentia; nihilominus tum etiam cognitio diriget ad amandum: videlicet quia ex conceptu communi cognitionis, & amoris valet consequentia ab amore ad cognitionem, non è conuerso: in hunc modum: voluntas amat, ergo cognoscit; non tamen, voluntas cognoscit, ergo amat. Quare quod spectata natura huius cognitionis, & amoris, consequentia sit vtrinque reciproca, per accidens est, est parum interest ad directionem impediendam.

Secundo dici potest, idcirco cognitionem dirigere 125
voluntatem ad amandum, etiamsi supponatur amor ab ea non effici, sed duntaxat in illa recipi quia amor est prior cognitione non solum logicè, atque in subsistendi consequentia verum etiam physice, ac naturæ, & causalitatis ordine; eò scilicet quod voluntas in ratione amantis constituatur intrinsecè, & essentialiter per hoc quod obiectum amoris sui cognoscat: quare si obiectum non cognosceret, quamuis amorem eius sibi vnitum, ac diuinitus infusum haberet, in eo tamen euentu non amaret: defectu enim cognitionis esset subiectum incapax amandi: denominatio autem amantis non solum formam subiecto vnitam, verum etiam capacitatem subiecti, cui vnitur, intrinsece complectitur. Hinc est vt prius natura esset voluntatem cognoscere, quam illam mere passiuè se habere; haud aliter ac omnis pars constituens toto constituto prior est: ratione ergo huius prioritatis cognitio ad amandum dirigeret, etiam cum voluntas sine efficacitate propria amaret.

Tertiò dici potest etiam satis probabiliter, cogni- 126
tionem dirigere voluntatem ad amãdum, quamvis hæc ad amorem merè passiuè supponatur se habere: nimirum quia cognitio est conditio sine qua voluntas amorem recipere etiam diuinitus non potest: atq; adeo, cum intrinseca sit voluntati, eam ad amandum, siuè, quod perinde est, ad recipiendum amorem disponit: cognitionẽ autem disponere est ad amandum dirigere intentionaliter: vnde cognitio diriget ad amandum tametsi supponatur disputandi gratia voluntas duntaxat recipiens amorem, eiusque nullatenus effectiua. Confirmatur, & declaratur: accidentia recepta in materia eam Physicè disponunt ad hoc vt à forma animetur viuificetur, aliauè ratione substantialiter compleatur: & tamen materia respectu formæ, ad quam ita disponitur, merè passiuè se habet: cur ergò cognitio voluntatem ad amandum intentionaliter disponere, aut dirigere nequeat? tametsi

voluntas

voluntas respectu amoris ad quem disponitur merè passiuè se habeat, eumquè minimè efficiat.

127 Hinc ad confirmationem argumenti respondendum est, ne diuinitus fieri posse vt amor voluntati vniatur, eive à Deo infundatur absque eo qnod pro priori naturæ signo eam cognoscentem præuideat diuinus intellectus. Quod autem opponitur, cognitionem tum necessario non antecessuram in præuisione diuina atque naturæ ordine actum amoris, quatenus esset à Deo, nec quatenus esset à voluntate creata, vanum ac friuolum est: nam sicuti dispositiones accidentariæ natura priores sunt introductione formæ substantialis, non quod causam efficientem ad formam disponant, sed quod eam à tali causa recipiendam præparent; ita similiter in euentu nostræ disputationis cognitio creata necessario antecedere deberet infusionem amoris, non quod ad amandum intentionaliter disponeret, aut quod in æquo est dirigeret, sed quod in voluntate ad receptionem amoris à Deo foret intentionalis dispositio, nec tam Dei quam voluntatis directio, eaquè verissima.

128 Hæc dicta sunto iuxta tertiam argumenti, in quo versamur solutionem. Namque iuxta primam eius solutionem responderi posset ad eius confirmationem fieri quidem diuinitus posse, vt voluntas pro priori naturæ ad cognitionem obiecti, eius amorem recipiat: in eo autem euentu prius natura amaret quam cognosceret: cæterùm prius Logicè, & in subsistendi consequentia cognosceret, quam amaret: siquidē ea hypothesi admissa valeret tamē semper hæc consequentia: voluntas amat in toto instanti reali, ergo cognoscit, non tamen è cōuerso: quodsufficeret ad qualē qualem directionem cognitionis ad amandū. Hæc solutio videbitur alicui fortasse nō improbabilis. Mihi tamen omnino non placet: nam quamuis pro eo priori, quo ante cognitionem obiecti voluntas amaret, nō ferretur in incognitum negatiuè, sed tantantum in incognitum præciſiuè: at ne in incognitū hæc posteriori modo ferri posse voluntatem, longè verius est: quemadmodum enim pro priori quo intellectus cognoscit aliquod obiectum, ab huius veritate transcendentali præscindi non potest, sed necessum est vt iam tum intelligatur obiectum positiue verum; ita similiter euenire non potest vt prorsus priori naturæ signo voluntas amet, quin pro eodem priori intelligatur obiectum ab ea cognitum nec sufficiet ad denominationē amantis non dari in voluntate cateriam cognitionis, sed opus est ne ab illa præscindi, cum tribuitur præfata denominatio. Quocirca melius potest responderi ad confirmationem principalis argumenti iuxta eius secundam solutionem, casu quo amor in abstracto sumptus antecederet in voluntate cognitionem obiecti, fore tamen è conuerso vt cognitio esset ordinè naturæ prior amore in concreto sumpto, siuè denominatione amantis,; videlicet quia illam tanquam pars intrinsecè constitueret: hæc, autem antecessio sufficit ad directionem: nec enim est cur hæc semper sit ad amorem, & non possit aliquando esse ad duntaxat amandum.

Hactenus opinio Patris Vasquez citata disp. 6.
129 cap. 5. Et quorundam quos refert. Aliorum sententia est, intellectionem vt sic, & quācunque in partiā solo Deo poni posse in potentia vitali, eiquè quāvis merè passiuè se habenti, ac nihil omnino agenti tribuere posse veram denominationem intelligentis, Ita Okamus in 1. dist. 1. q. 2. Concl. 2. Gabriel ib. art. 2. concluſ 4. Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2 & 3. Alliacensis in 1. quæst. 2. art. 1. Marsil. in 3. q. 10. art. 2. Maior in 3. dist. 14. qu. 2. Scotus in 3. dist. 13. §. ad 3. quæst. Andreas de Vega lib. 3. in Concil. Tridentin. cap. 8. Gregorius in 1. dist 42. q. 1. art. 2. Arriaga disp. 6. de anima. sect. 2. subsect. 4. necnon alij Doctores Scolastici tum antiqui, tum recentiores. Sed immeritò: nam vt constat ex dictis suprà intellectio aliqua nempè actiua consistit in actione immanenti potentiæ vitalis, & intellectiuæ: eiusmodi autem intellectionem haud posse etiam diuinitus poni in potentia vitali nihil immanenter agente videtur manifestum: Quid enim id esset quam idem à seipso separari, & actionem immanentem sine actione al cubi collocari? quo tamen nihil magis impossibile aut absurdum.

Mea ergo sententia est, intellectionem bifariam 130
sumi posse, nimirum aut pro sola actione immanenti, ac vitali, aut pro sola qualitate. Quod si intellectio in primò sensu vsurpetur, ne diuinitus quidem absque actione, & conatu intellectus in intellectu poni potest, vt breuiter ostensum est numero superiori, vtquè latius ostendi potest ex iis, quæ supra cap. 6. in impugnatione septimæ sententiæ de essentia intellectionis disputaui: atque pro hac opinionis nostræ parte laudari possunt omnes illi Auctores qui intellectionem in actione constituunt, & certè nec pauci sunt, nec ignobiles. Sin autem intellectio in posteriori sensu sumatur, prout videlicet in qualitate absoluta consistit, & non tam actiuè quam passiuè; ita quidem poterit diuinitus collocari in intellectu, eumquè denominare intelligentē, absque eius efficacitate, & concursu vitali, haud secus ac calor v. g. in igne absque ignis actione, & influxu per miraculum poni potest à solo Den: quæ enim vtrinque disparitatis ratio est? si qua certè esset maximè quia qualitas illa in qua intellectio passiua sita est in eo differt à calore quod nequeat diuinitus non esse vitalis & coniuncta cum attentione ad suum obiectum; quoditem qualitas volitionis esse debeat voluntaria: atqui hanc rationem discriminis aliasque id genus nullas prorsus esse demonstratum est suprà: nequè non etiam ex superioribus facillimè solui possunt argumenta omnia quæ opponi possunt aduersus nostram sententiam, quoad eius vtramquè partem. Proinde, &c.

Caput XI.

An intellectio vt sic proprium subiectum essentialiter postulet, ita vt in alieno, & ad intelligendum incapaci ne diuinitus possit collocari.

Asserendum est primo, intellectionem qualitati- 131
ue seu passiuè sumptam in alieno subiecto v.g. in lapide diuinitus collocari, & ab intellectu separari posse. Ita Hurtard. in locuplet. edit. d. 6. de anim. s. 1 §. 123. & Gabriel in 3, dist. 3. q. vnica n. 2. Asserendū est 2. intellectionem, siuè imaginem obiecti, estò non qualitas absoluta, sed modus in alia rerū serie foret, nihilominus poni posse in extraneo subiecto, non tamen nisi proprio subiecto simul retento: vt si Deus intellectum nostrum cum lapide penetraret: tunc enim intellectio intellectui seipsa vnita vniri posset lapidi per vnionem distinctam: haud aliter ac vnio essentialis formæ ligni cum materia ita comparata est, vt quæuis eius pars alteri per aliam vnionem continuetur, tamesi per seipsam subiecto suo vniatur, in eoque recipiatur:

& non secus, atque subsistentia Verbi naturæ diuinæ per identitatem etiam vnita nihilominus vniri sustinet alienæ naturæ, nempe humanitati Christi, eamque terminare per vnionem realiter distinctam. Atque huic etiam assertioni fauet Hurtadus citata sect. 1. subiect. 2. §. 134.

132 Asserendum est tertiò, intellectionem actiuè sumptam, siuè pro expressione imaginis intentionalis aeceptam posse etiam poni in extraneo subiecto. Ratio est, tum quia, licet ea intellectio sit vnio Physica sui cum intellectu, id non vetat quominus alteri subiecto non intellectiuo per aliam copuletur vnionem, vt iamiam vidimus: tum etiam, quia tametsi de facto actio illa in qua id genus intellectionis consistit per seipsam vniatur intellectui, ne multiplicentur entitates sinè necessitate, tamen possibilis forsan est actio intellectualis terminata ad imaginem seu verbum, quæ non per seipsam, sed per aliam vnionem intellectui vniatur: intellectio autem in ea actione sita; cur ab intellectu separari, & in

133 lapide solo supernaturaliter collocari nequeat:

Obiicies tamen contra primam assertionem, fore vt intellectio constitura in lapide denominaret, & simul non denominaret lapidem intelligentem. Quod lapis vi intellectionis in se constitutæ non foret intelligens manifectum est: lapis enim non est substantia intellectiua aut rationalis sed rationis expers. Quod esset etiam simul intelligens probatur primò, quia denominatio intelligentis aliarum instar id habet vt adæquatè coalescat ex forma intelligendi, & subiecto, & vtriusquè vnione: atqui constituta intellectione in lapide nec subiectum, nec vnio, nec forma intelligendi deessent: ergo nec denominatio intelligentis: secundò è contario fundamento: quia concretum accidentale, cuiusmodi est denominatio intelligentis, importat solam formam: sed si intellectio constitueretur in lapide daretur in eo forma intelligendi: ergo & concretum, seu denominatio intelligentis. Maior probatur quia in prædicamento quantitatis v.g. ponitur quantum duntaxat concretè sumptum: at non ponitur in eo subiectum, quippe quod est substantia, & ad prædicamentum substantiæ pertinet: sola ergo quantitas pro formali in eo ponitur: ac proinde quantum est sola forma, non subiectum: quidni ergo idem dicatur de cæteris concretis accidentalibus eorumquè formis.

134 Respondeo tamen, intellectione constituta in lapide hunc duntaxat non intellecturum, nec fore vt sequeretur vtraque pars contradictionis. Ad Primam probationem contrariam dicendum est, denominationem intelligentis esse formam vnitam subiecto, non cuiuis tamen, sed solum capaci: vnde propter incapacitatem lapidis ad intelligendum intellectio ei vnita nequaquam eum denominaret intelligentem. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, concretum accidentale haud esse solam formam, sed vlterius intrinsecè includere subiectum, siue in recto, siue saltem in obliquo: alioqui concretum accidentale, eiusque abstractum reipsa nunquam distinguerentur; & præterea quoties concreta, siue denominationes differrent, eo ipso formæ deberent esse diuersæ: nec mirum cum cõcreta nihil includerent ratione cuius possent diuersificari, nisi solas formas: at nunquam distingui concretum, accidentale, & abstractum à parte rei, est perabsurdum, vt patet ex mysterio Eucharistiæ: Eucharistica enim quantitas est abstractum realiter distinctum & separarum à suo concreto, nempè quanto: si quidem nec panis per eam dicitur quantus, nec Christus, vt omnes in confesso habent.

Nec minus absurdum est, quod non possint dari 135
diuersa concreta, differentesquè denominationes, nisi à formis diuersis: etenim, vt aliis supersedeam exemplis, nihil exploratius, quam ab eadem numero cognitione sequi in intellectu denominationem cognoscentis & in obiecto denominationem cogniti, quarum alterutra distinguitur ab altera. Quod autem opponitur subiectum substantiale non poni in prædicamento in quo constituitur concretum accidentale v. g. quantum: ergo quantum est non subiectum, sed sola forma: hoc, inquam, nihil dictu est, quia cum concretum dicitur poni in prædicamento ponitur etiam in illo eius subiectum, non se solo sumptum, sed prout subest denominationi accidentali, v. g. quanti: hac autem ratione subiectum, quantumuis substantiale, poni in prædicamento accidentis alicuius, & extra prædicamẽtum, genusvè substantiæ, non est incõueniens absonumve. Adiice, quod supponitur in argumento, quantum v. g. solum, non verò quantitatem abstractè sumptam spectare ad prædicamentum, cum grano salis, vt aiunt, accipiendum esse, nec nisi sub distinctione esse posse verum: de quo suprà lib. 3. huius operis tract. 1.

Contra secundam assertionem nostram obii- 136
ciunt aliqui, intellectionem modalem collocatam in alieno subiecto fore eo ipso modum, & simul rem absolutam, quod tamen repugnat: modum, vt supponitur: & rem absolutam, quia terminaret vnionem à se realiter distinctam, ac separabilem; eam scilicet vi cuius esset in subiecto non intellectiuo. Respondeo, non futuram rem absolutam, quia res absoluta censetur ea, quæ nullum subiectum modificat, nullique essentialiter alligatur; aut vnitur per seipsam: at intellectio modalis, quam concedimus possibilem, aliquod subiectũ modificaret, eique per seipsam, & non per vnionem distinctam vniretur, atque adstringeretur: quod igitur alieno subiecto esset vnita per vnionem distinctam, haud argueret eam esse rem absolutam. Aut si mauis dicito, eam fore simul modum, & rem absolutam; non respectu eiusdem, sed intuitu diuersorum, nec in hoc vllam esse repugnantiam.

Contra tertiam assertionem nostram obiiciet 137
fortasse aliquis: si actio aliqua intellectualis possibilis, siue intellectio actiua vniretur intellectui per vnionem distinctam sequeretur processus in infinitũ vnionũ, & actionum: quippe eius actionis possibilis vnio produceretur per actionem distinctam, & hæc secunda actio vniretur per aliam vnionem distinctam, & rursus hæc secunda vnio distincta produceretur per actionem distinctam, & vlterius hæc tertia actio distincta terminaret vnionem distinctam, & ista aliam actionem similiter distinctam, & sic nullo fine. Respondeo: in primis quid si diuinitus non repugnat processus in infinitum in alia retum serie? Deinde esto vbiuis, & per quamcunque potentiam impossibilis, haud tamen sequitur ex nostra assertione: ratio est: quia, si vnio & actio non possent vllatenus coalescere in eandem realiter entitatem, sequeretur talis processus in infinitum actionum, & vnionum, vt in argumento rectè ostenditur, vtquè suprà concessimus capite 8. ad eius finem. Cæterùm si intellectio actiua, siuè actio intellectiua vniatur potentiæ per vnionem distinctam, & hæc vnio sit indiuisibiliter actio, nec agatur consequenter ab intellectu per actionem distinctam, neque etiam actio productiua illius vniatur per vnionem distinctam, cessabit

bit stabit processus omnis in infinitum, vt intuenti constabit.

CAPVT XII.

Quid sit illud verbum, in quo intellectionis passiuæ essentia est à nobis constituta & quæ eius differentia ab alijs verbis?

138 VErbum vt sic triplex est, nimirum interius, aut exterius, aut partim interius, partimque exterius: vt autem ab hoc vltimo incipiam, verbum partim interius, partim exterius est res ipsa, prout ab intellectu cognita, siue cogitata. Sic dicitur exodi nono: *cras faciet Dominus verbum istud:* vbi verbum haud dubiè rem à Deo cognitam, ac volitam, & media cognitione, & volitione faciendam significat; Hac etiam, ratione, vt notat Gabriel, accepisse videtur Augustinus verbum lib. 15. de Trinit. cap. 10. ibi: *De his ergo nunc disserimus, quæ nota cogitamus, & nota sunt nobis, etiam non cogitentur à nobis: sed certè si ea dicere velimus, nisi cogitata non possumus; nam etsi verba non sonent in corde suo, dicit vtique, qui cogitat:* & infra idipsum repetit ibi; *necesse est enim cum verbum loquimur, id est quod scimus loquimur, &c.* vbi iam verbum pro eo quod scimus sumitur.

139 Quamuis autem huiusmodi verbum à multis censeatur esse impropriè verbum, nescio tamen quo iure: siquidem verbum est, quod obiectum audienti repræsentat, seu formaliter, seu obiectiove, ac causaliter: quo pacto vox externa verbum propriè dicenda est, vt statim dicetur, tametsi non sit repræsentatio formalis rei, sed tantum causaliter, ac velut obiectum prius cognitum, & auditam rem audienti repræsentet: atqui res cognita repræsentat semetipsum audienti, ac cognoscenti, quamuis non tanquam repræsentatio formalis, siue ratio formalis cognoscendi, tamen velut obiectum cognitum, quod immediatè, vel certè media specie impressa cognitionem causet sui.

140 Verbum exterius est vox significatiua ad placitum à creatura rationali prolata. Hæc vltima conditio communiter, & merito adiici consueuit, quia voces psittacorum, verbi gratia, non sunt verba. Porrò quamuis aliqui cum Durando in primum distinct. 27. quæstione secunda, numero 27. censeant, verbum exteriùs impropriè verbum esse, probabilius tamen, ac veriùs est illud propriè, strictéque verbum esse: id quod beatus Thomas prima parte quæstione 34. articulo primo & cum eo Caietanus, Vasquez, & plerique Scholastici docent: vtque inde costat, quia vox, *Verbum*, primo imposita est ad significandum verbum exterius, & postea paulatim ea vsi sunt homines ad denotandum verbum interius, mentale, cuius notitia vt difficilior, sic etiam serior fuit: at vox omnis proprie, ac strictè significat id, ad quod significandum primo instituta est.

141 Quod autem obiicit Durandus vocem non esse verbum, nisi quatenus est significatiua ad placitum: hæc autem denominatio est ei extrinseca, ergo & denominatio verbi ei erit extrinseca, atque adeo impropria: hoc, inquam, parum vrget: nam plura per denominationem extrinsecam talia, nihilominus propriè talia sunt, vt patet in rebus cognitis, quæ quidem dicuntur propriè cognitæ, cum tamen non nisi extrinsecè cognoscantur: quare vox exterior, etsi extrinsecè sit verbum, propriè tamen erit verbum. Quod verò obiiciunt alij Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 10. ibi: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen:* hoc etiam nihil aduersaris fauet: nam sicuti Deus est magis ens, quam creatura, quin tamen hæc ob id impropriè sit ens, ita verbum interius poterit esse magis verbum, quam exterius, tametsi hoc etiam sit propriè verbum.

Verbum vlterius est, quo interiùs aliquid intellectui, aut phantasiæ repræsentatur. Quamuis autem aliqui, quos refert, & reiicit Canariensis prima part. quæst. 27. art. 1. doceant verbum intellectus esse impropriè, ac metaphoricè verbum, fallùntur tamen. Primò, quia verbum mentis est id, quod obiectum audienti repræsentat: at verbum mentis, siue sit intellectio ipsa, siue eius terminus, atque effectus, propriè quidem, & strictè obiectum audienti repræsentat, nimirum menti, quæ sibi ipsi loquitur, verbumque illud in se producit, ergo, &c. Minor in conspicuo est: nam verbum mentis est ratio formalis repræsentandi obiectum: propriissimè ergo illud repræsentat. 142

Rursus sancti Patres intellectionem nostram, internamque cogitationem absolutè appellant verbum ita certè loquuntur, ac sentiunt præter alios Augustinus, Damascenus suprà cap. 7. in septima probatione nostræ sententiæ de essentia intellectionis à nobis citati: idipsum etiam docet Augustinus aliis in locis, ac præsertim eo, qui relatus manet num. præcedenti, quique referetur capite sequenti: cur igitur intellectio nostra propriè verbum non censeatur? Præterea, si interior cogitatio intellectus non propriè, sed impropriè Verbum esset, sequeretur quidem Filium Dei, Patrisque sapientiam esse impropriè tantum, & metaphoricè verbum; quod scripturis omnibus, ac præcipuè Ioannis Euangelio repugnat. 143

Verbũ interius aliud est imaginationis, aliud intellectus. Quod enim intellectus sit verbũ cõstat ex duobus numeris præcedentibus. Quod autem in imaginatione, siue cogitatiua sit quodámodo verbum, colligi potest tum ex beati Thom. 1. p. q. 27. art. 1. ibi: *ipsa imaginatio vocis verbum dicitur:* tum etiam ex beato Damasceno lib. 1. de de fide cap. 18. ibi: *verbum est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligit, & cogitat.* vbi non solum per motum localem oris, & eius organorum, nec solum intelligendo, quod est proprium intellectus, verum etiam cogitando, quod aliqua ratione commune est phantasiæ, verbum proferri edocet: tum etiam quia facultas imaginatiua in multis intellectum imitatur, sensusque superat exteriores: merito igitur eius interior effectus, per quem sibi obiectum repræsentat, verbum nonnulla ratione dici poterit. Cæterum terminus cuiusuis potentiæ sensitiuæ exterioris verba dici neutiquam solent; aut quod perinde est, nec voluntas sibi loquitur, aut semetipsam audit, nec etiam visus exterior, aliaue potentia materialis etiam externa sibi loquitur, seue auscultat. 144

Vtriusque autem ratio potissima est, quia voluntas sibi obiectum non repræsentat, sed potius ad obiectum fertur, & ab eius bonitate attrahitur: at verbum est, quo aliquid potentiæ repræsentatur. Sensus etiam exteriores obiecta semper existentia, & & quodammodo præsentia postulant, nec in obiecta, aut non existentia, aut omnino absentia ferri ex natura rei possunt: quare cum verba sint potissimè instituta ad rem repræsentandam, quando absens 145

absens est, atque ita significent rem, cum præsens est, vt etiam absentem possint significare, mirandum non est, quod actus sensuum exteriorum Verba non dicantur, sicut actus intellectus, & quodammodo etiam Phantasiæ Verba solent nominari. His accedit communis loquendi vsus his posterioribus actibus, & non illis Verbi significationem accomodans: atque hic vsus, vt aliæ rationes deessent, ad acceptionem illam Verbi tuendam sufficeret. Tandem Verbum intellectus quintupliciter accipi posse ex Augustino probat Gabriel in 1. dist. 27. quæst. 3. quem, si lubet, consule. Ex dictis ergo hactenus, facile est respondere ad quæstionem titulo capitis præstitutam: siquidem solum Verbum interius intellectus nostri est intellectio passiua, de qua suprà, quænam autem sit eius Verbi ab aliis differentia patet ex eius & aliorum Verborum explicatione toto hoc capite tradita.

CAPVT XIII.

An omni intellectioni creatæ essentiale sit, vt cum Verbo cohæreat.

146 NEgatiue respondent Capreolus in primum distinct. 27. quæst. 2. Caiet. 1. parte quæst. 27 art. 1. Ferrara primo contra gent. cap. 5. Et communiter reliqui Thomistæ. Primò quia verbum ob id necessarium est, vt intelligenti obiectum repræsentetur, siue præsens efficiatur: cum igitur intellectus, & phantasia res absentes cognoscunt, sanè eiusmodi rerum verba non habere non possunt: haudquaquam enim cognosci possunt absque eo quod vtrique illi facultati repræsententur quando autem tales res in seipsis immediate absentes, & non præsentes sunt necessum est vt medio illarum Verbo præsentes fiant, vti dictum est. Ast hæc ratio non militat in intellectu humano, aut Angelico cum seipsos immediatè, aut cum essentiam diuiuam intime præsentem clare intuentur; nec etiam in sensibus externis, qui obiectorum suorum præsentiam Physicam postulant: Vnde nec intellectus Angelicus, aut humanus cum seipsum, aut cum Deum clarè intuetur, Verbum formabit; nec etiam sensus exteriores obiectorum suorum verbum vllum, aut similitudinem, speciemve expressam habebunt: haud igitur omnis intellectio cum Verbo, haud etiam, quod plus est, omnis cognitio non intellectiua cum specie expressa cohæret.

147 Arguunt secundò Thomistæ. Beatus videt immediate diuinam essentiam: videt enim eam sicuti est, quod est eam immediate videre: at non immediate, sed mediate eam videret, si videns Deum formaret de eo verbum, siue similitudinem speciemve expressam: ergo &c. Maior videtur perspicua. Minor suadetur: quia dato alicuius rei Verbo, in eo tanquam in speculo & idolo obiectiuo res apparet: nec alia verbi, siue speciei, ac similitudinis expressæ necessitas, aut vtilitas esse potest: Deum ergo per verbum de eo formatum videre est eum non immediate, sed mediate intueri.

Arguunt tertio ex Augustino lib. 15. de Trinit. c. 9. vbi illud Apostoli *videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem*, ita explicat; *cum igitur speculi & ænigmatis nomine quæcunque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possint, quæ accommodatæ sunt ad intelligendũ Deum eo modo quo potest; nihil tamen est accommodatius, quam id quod imago eius non frustra dicitur, &c.* Tum sic: nomine speculi, & ænigmatis intelligit Augustinus similitudinem, speciemque expressam, siuè verbum: tam ergo sentit, sine verbo nos Deum intuituros, quam quod eum iuxta doctrinam Apostoli visuri sumus, & non per speculum, nec in ænigmate.

Arguunt quarto ex B. Thoma 1. p. q. 12. art. 2. vbi 148
expresè videtur negare, Deum videri posse per similitudinem creatam, aut, quod perinde est, per verbum: quid clarius illis eius verbis in corpore articuli paulò antè eius medium, *sed ex parte visarei, quam necesse est aliquo modo vniri videnti per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest.* Quam propositionem variis rationibus probat, ac tandem sic concludit corpus articuli, *non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam diuinam repræsentet, vt in se est.*

Argues quintò pro eadem sententia ex doctrina 149
Nominalium: si qua ratione Beati viderent Deum intuitiuè, & clarè, haud sinè Verbo, maximè quia visionem beatificam in se immanenter producunt: visio autem ita ab eis in se producta nequit non esse similitudo, & imago siuè species expressa, verbumque verum: at hęc ratio est nulla probabilius enim est beatos visionem Dei non tam in se producere, quàm à solo Deo recipere: tum quia non producunt efficienter lumen gloriæ quod est imperfectius visione: hanc ergo, quæ est perfectior à fortiori in se non efficiunt: tum quia si eam efficerent; se beatent: iustos autem non à se sed à solo Deo beari exploratum videtur: item quia alioqui possent pro libito Deum non videre: vt enim alias actiones suas possunt cum volunt cohibere, quidni & visionem beatificam, eius si sunt causæ effectiuæ? deniquè quia visio Dei est præmium beatorum: præmiantis autem non vero eius qui præmiatur proprium est præmium conferre & efficere.

Postremo argui potest: visio Dei non est aliqua 150
entitas media inter intellectum illustratum lumine gloriæ, & essentiam diuinam: quin potius est aggregatum, complexumvè ipsius luminis gloriæ, & essentiæ diuinæ: nulla igitur in vidente Deum datur similitudo Dei expressa, atque producta ab ipso, ac proinde nec verbum vllum, Hæc consequentia est perspicua: siquidem in intellectu beati nulla Dei similitudo, siuè repræsentio formalis diuinæ essentiæ præter eius visionem beatificam datur: hæc autem supposita veritate antecedentis ab eo non exprimitur, nec producitur: cum non aliud sit quam aggregatum luminis gloriæ, quod à beato non efficitur, sed ei absquè propria efficacitate infunditur, & essentiæ diuinæ, quæ simili ratione à nullo efficitur, nec est effectibilis.

Antecedens autem argumenti suadetur: quia pos- 151
sibilis est intellectio, ac visio aliqua consistens formaliter in qualitate intellectui intrinseca, & ipsomet obiecto viso, ita vt præter vriusque aggregatum, haud importet aliud quidquam, quod à nobis admissum probatumquè est suprà cap. 8. talis ergo censenda est visio beatifica: tum quia beatitudo nostra formalis, & immediata hac ratione erit longè perfectior, vt potè quæ Deum ipsum intrinsecè, & essentialiter, non vero extrinsecè, siuè terminatiuè, aut per modum obiecti complectitur: tum etiam quia perfectio luminis gloriæ hac ratione magis crescet, vtpotè quod nos immediatè, & nonsolum media alia qualitate à se producta Deum faciet videri, nosque beare: tum demum ne sine necessitate multiplicentur entitates.

Rursus

152 Rursus idipsum antecedens suadetur ex B. Thom. 1. p. quæst. 27. art. 2. ad 3. ibi *sicut aliæ formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, vniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum; & faciunt ipsum in actu; ita diuina essentia vnitur intellectui creato, vt intellectum in actu, per seipsum faciens intellectum in actu.* Hæc ille: ex quibus sic argumentaberis: visio Dei est quæ immediatè facit Deum intellectũ, visumquè în actu: at essentia Diuina, iuxta B. Thomam, vbi paulo suprà, facit immediatè per seipsam Deum intellectum in actu: ipsa ergo adiuncto lumine gloriæ est intellectio ac visio
153 Dei Beatifica.

Præfata tamen sententia Thomistarum mihi omninò displicet. Proinde ad quæstionem titulo capitis præfixam aliter respondeo, responsionemque nonnullis assertionibus trado. Assero ergo primo. Nullus intellectus creatus de facto intelligit sine Verbo: nullus item sensus internus, aut externus cognoscit materialiter sine obiecti cogniti specie, aut similitudine expressa, tametsi in sensibus, præsertim externis, ea similitudo haud dicatur propriè Verbum, ob rationes capite præcedenti perstrictas. Ita Suarez, Vasquez, Molina; Conimb. Hurtadus & communiter cæteri Auctores nostri, necnon etiam ex Scotistis, & nominalibus, non pauci. Probatur autem: quia omnis intellectus creatus producit cognitionem quamvis suam: cognitio autem producta ab intellectu est Verbum: omnis igitur intellectus creatus intelligit producendo verbum, ac proinde nullus sine Verbo intelligit. Minor est perspicua: quia cognitio vtique passiua, qua de loquimur, est similitudo, ac repræsentatio; consequenterque cognitio producta ab intellectu est repræsentatio, ac similitudo producta à facultate intellectiua, adeoque Verbum.

154 Maior autem argumenti suadetur. Primò quia voluntas amorem Dei supernaturalem, quo disponitur ad iustificationem, efficienter in se producit, nec respectu eius se habet merè passiuè, vt definitum est à Concilio tridentino sess. 6. Can. 4. Quemcumque ergo alium amorem voluntas tum humana, tum quæuis alia in se efficient: similiter ergo omnis intellectus creatus intellectionem quamuis suam in se efficiet. Secundò quia cæteræ causæ creatæ non intellectuales producunt efficienter in se perfectiones suas immanentes, v. g. ignis calorem, aqua frigiditatem, quibus gaudent, & sic in aliis: cur igitur intellectus omnis creatus intellectionem suam, qua perficitur, immanenter non efficiet? Tertiò quis neget, intellectum omnem creatum intelligendo viuere Physicè, ac plusquam intentionaliter? cum per motum localem, ac vegetationem intellectione longissimis interuallis imperfectiores Physicè tamen viuamus: atqui vita Physica consistit in motu ab intrinseco, siue speciali quadam effectione immanenti: immanenter ergo efficit intellectus omnis creatus id cognitionis per quam intelligit. Quartò, quia rationes aduersus eam effectionem adductæ nullius sunt momenti, vt constabit hoc ipso capite paulo infrà.

155 Secundo principaliter probatur superior assertio; quia si qua ratione omnis intellectus creatus posset intelligere aliquando sine Verbo, maximè quoniam sæpè intelligit obiectum præsens, non vero absens, vt cum aut se, aut Deum intuetur: at hæc ratio est nulla, siquidem Angelus verbi gratia, Non est magis sibi præsens, dum se cognoscit, quam Deus sibi etiam ipsi: sed Deus quantumuis sit sibi intimè præsens, non tamen sine verbo à se producto se cognoscit: pari ergo ratione Angelus non sinè verbo à se producto, atquè expresso se cognoscet: par autem est ratio cuiuscunque alterius intellectus creati. Tertio probatur eadem assertio ex Beato Thoma 1. p. q. 27. art. 1. corp. vbi sic inquit: *Quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.* Hæc ille. Quæ autem hactenus adduximus pro necessitate verbi ad intelligendum de facto, ea omnia procedunt in sensu, eumque si rectè applicentur, haud posse sine similitudine, vel specie aliqua expressa cognoscere conuincunt.

Assero secundò: intellectio actiua, id est, in actione sita, diuinitus absque verbo reperiri non potest, nedum de facto reperitur. Assertionem probo: namque intellectio illa nequit esse alia actio præterquam actio productiua imaginis, siue similitudinis rei illius, quæ cognoscenda est: atqui imago, & similitudo expressa, siuè, quod perinde est, terminans actionem immanentem est Verbum: intellectio igitur actiua est productio Verbi: cum ergo productio diuinitus reperiri nequeat absque termino producto, sanè intellectio actiua, ex quo est productio verbi, absque eo dari vllatenus nequibit. Quod autem aliqui aduersarij volunt, intellectionem, de qua agimus, interdum esse actionem sine termino à se distincto, vanum est: namque intellectio illa debet esse actio producens similitudinem, & imaginem rei secum saltem identificatam, cum de conceptu essentiali omnis intellectionis sit, vt rem intellectui assimilet, ac representet: iam ergo in intellectione illa dabitur similitudo producta, atque adeo Verbum saltem ab intellectione indistinctum. 156

Assero tertio. Possibilis est intellectio passiua, sine qualitatiua sine verbo formaliter, & in actu secundo tali. Ratio est, quia potest intellectus noster diuinitus saltem intelligere absque eo quod producat, aut exprimat in se intellectionem, siue imaginem obiecti: quin potius respectu illius se habere potest mere passiue, vt superius manet demonstratum: at in illo euentu non daretur in intellectu passiuè intelligente verbum formaliter, & in actu secundo tale; cum verbum ita sumptum sit intellectio ipsa passiua, siue imago, ac similitudo obiecti, non quæcunque, aut qualiscunque, sed in actu secundo, & formaliter expressa, ac producta à potentia vitali, quæ per eam intelligit. Rursus secundo: possibilis est intellectio veluti passiua, quæ partim in ipso intellectu, partimque in obiecto formaliter consistat; de qua suprà: sed talis intellectio daretur absque verbo formaliter, & in actu secundo tali: Verbum enim sic vsurpatum est similitudo, & imago rei ab intellectu expressa, atque producta, ea ratione qua dictum est: in intellectu autem per eiusmodi intellectionem partim intrinsecam partim extrinsecam intelligente nulla daretur similitudo, ac imago formaliter producta: nec enim intellectus, nec eius obiectum possent ab intellectu produci. Idemque esset de intellectione, quæ in obiecto, & qualitate intellectui omnino infusa, ab eoque nullatenus producta consisteret. 157

Assero 4. Ne diuinitus, aut per miraculum possibilis est intellectio etiam passiua sine Verbo saltem æqualeter, siue in act. 1. tali. Ita Auctor. pro ass. 1. citati ac suadetur in hũc modũ: intellectio passiua creata est similitudo, & imago intentionalis obiecti: huiusmodi 158

autem imago, & etsi non sit ab intellectu producta, potest tamen ab eo produci: qua ergo ratione non est verbum in actu secundo tale, quia in actu secundo non procedit ab intellectu in alia vtique rerum serie; eadem ratione erit tum verbum in actu primo, quia potest ab intellectu procedere: ac proinde sine verbo iuxta hunc posteriorem sensum sumpto, haud poterit vnquam reperiri. Quod si intellectio passiua, siue qualitas assimilans intellectui obiectum talis fingatur, aut verè supponatur esse naturæ, vt ne possit quidem ab intellectu produci, aut effici, sanè ea non erit verbum etiam in actu primo formaliter tale: eò nimirum quod non tantum non exprimatur ab intellectu formaliter, sed nec possit ab eo exprimi, aut produci: at erit æquiualenter in actu etiam secundo verbum: perinde enim denominare poterit intellectum cognoscentem, eique obiectum intentionaliter præsens facere, ac si esset verbum intellectuale formaliter tale.

159 Contra secundam ac tertiam assertionem nostram vix sunt argumenta vlla, quæ solutione indigeant: si quæ autem indigent facile solui possunt ex dictis supra cap. 9. Porrò contra primam assertionem nostram, postremamque ea tantùm militant argumenta, quæ pro sententia Thomistarum ad initium huiusmet capitis proposita sunt. Ad quorum primum respondeo, cum obiectum aliquod sensu externo percipitur, esse quidem eo ipso præsens sensui illud percipienti, idque per seipsum: similiterque cum intellectus creatus seipsum, aut Deum cognoscit, intueturque, similem, imò maiorem interuenire præsentiam obiecti: cæterum præsentiam hanc obiecti, quod per sensum externum percipitur, vel per intellectum, esse pro priori naturæ ad cognitionem; non præsentiam intentionalem, sed tantum physicam, & localem: ac proinde opus esse verbo, aut similitudine, siue specie expressa vt sensui externo & intellectui creato, quæcumque obiecta intentionaliter repræsententur, adeoque vt quæcumque ab iis cognoscantur: certo namque certius est, nihil vnquam cognosci, sine obiecti præsentia intentionali.

160 Ad secundum argumentum pro sententia Thomistarum respondeo, verius esse, Deum absque verbo à beatis nó videri: nec verò propterea erit, vt ab eis non videatur immediatè: namque verbum vt cap. sequenti constabit haud defuit ad cognitionem Dei clarâ, aliamve vllam tanquam obiectum prius cognitum, sed tanquam ratio formalis cognoscendi: quare tametsi Deus ab intellectu beati videatur non sine verbo, haudquaquam hoc obstabit, quominus ab eo immediatè videatur: non aliter ac materia immediatè vnitur formæ substantiali, quantumlibet modus vnionis mediet inter vtramque veluti ratio formalis vniendi.

161 Ad tertium, & quartum argumentum respondeo, Augustinum, & Thomam loqui de similitudine obiectiua, in qua scilicet prius cognita Deus cognoscatur: & hanc solam similitudinem eos negare in beatis Deum intuentibus: hinc autem non fit ab eis in intellectu beatorum negari verbum quippe quod non est similitudo obiectiua, vt dictum est, latiusque dicetur infra: sed similitudo formalis intentionalis, siue ratio intentionaliter assimilandi inter se rem cognitam, & potentiam cognoscentem; nec quæcunque ratio, sed expressa, & producta immanenter à potentia, quam obiecto assimilat.

162 Ad quintum argumentum respondeo concessa maiori, & negata minori, in qua negatur beatos immanenter efficere visionem beatificam. Prima autem eius minoris probatio nulla est: nam à principio multi, inter quos Pater Vasquez tom. 1. in 1. 2. quæstione 3. artic. 2. disputatione 9. cap. 6. numero 33. negant lumen gloriæ esse imperfectius visione beatifica: quod ita sit, an secus, in præsenti non definio. at disputandi gratia verum esse transeat: certè quamuis talis sit, nihil obstat nostræ sententiæ: siquidem intellectus humanus vi naturali nequit efficere calorem, & tamen efficit naturaliter intellectionem calore perfectiorem: voluntas etiam nostra non efficit, sed tantum recipit habitum charitatis; & tamen vt ex Tridentino prænomitum est, efficit in se amorem supernaturalem Dei habitu charitatis iuxta aduersarios perfectiorem: homo item non potest volare, & tamen potest discurrere, quod est perfectius: mille alia id genus: quæ cum ita sint, cur beati lumen gloriæ imperfectius visione tantum recipientes, non possint tamen visionem, quamuis lumine illo perfectiorem, efficere?

Secunda probatio eiusdem minoris non est magis momentosa: namque absurdum non est, iustos 163
in patria efficiendo suam visionem beatificam eo ipso se beare, minus principaliter vtique, & ita vt à solo Deo tanquam à causa principali beentur: quo etiam pacto in via se sanctificant iuxta illud Ioannis Epist. 1. cap. 3. *Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se.* Tertia etiam probatio eius minoris non vrget: neque enim beati alias actiones suas ideo possunt cohibere, quia sunt earum causæ effectiuæ qualescumque, sed præcisè quia illarum sunt principia efficientia libera: at visionem beatificam efficiunt quidem, sed tamen non liberè: quanquam ergo eam efficiant, non propterea consequens est, vt Deum videre, si velint, possint. Postrema probatio minoris à nobis negatæ cæteris efficacior non est: etenim vt præmiantis proprium est magis principaliter ad præmium concurrere, ita & præmiati esse potest illud instar causæ minus principalis efficere: quis enim neget, Deum merita meritis cumulare, & præmiare? at ad merita supernaturalia quæ aliorum supernaturalium, & antecedentium præmia de congruo sunt, ipsemet homo efficienter concurrit, in consortio vtique Dei magis principaliter ad ea concurrentis.

Ad sextum, & vltimum argumentum respon- 164
deo, visionem beatificam esse entitatem mediam inter intellectum illustratum lumine gloriæ, & eius obiectum, nec consistere in aggregato prædicti luminis, & obiecti. Ad primam probationem contrariam dicendum est, possibilem quidem esse cognitionem in obiecto, & qualitate ab intellectu tantum recepta formaliter sitam: quominus tamen eiusmodi credamus esse de facto visionem beatificam, faciunt, quæ superiùs adduximus in probationem primæ assertionis nostræ. Atque vt ea huc breuiter applicemus, an quia possibilis est amor liber supernaturalis partim in obiecto, partim in qualitate voluntati intrinseca, ab eaque proueniente consistens ob id censendum est, talem esse amorem liberum, quo Deum nunc supernaturaliter amamus? an item quia possibilis fortè est calor in subiecto, & qualitate aliqua formaliter situs, iudicandum ob id est, talem esse calorem, qui modo existit, & non potius aliquid à subiecto realiter adæquatè distinctum? par ratio est frigoris, & similium accidentium. Quid multa? esto possint beati non viuere physicè per visionem Dei; quod tamen de facto per eam viuant, exploratum est: non autem ita per illam viuerent, si, vt potest ea consistere in

aggregato

aggregato luminis gloriæ & obiecti, ita de facto in illo consisteret.

165 Nec refert quod ita constituta argueret maiorem perfectionem, tum in seipsa, tum in lumine gloriæ: in se, quia in ratione visionis includeret intrinsecè Deum: in lumine gloriæ, quia lumen hoc immediatè, & per seipsum saltem inadæquatè bearet formaliter: non inquam hoc refert: quia non omnis maior perfectio essentialis possibilis concedenda est visioni beatificæ; sicut nec omnis intensiua possibilis ei conceditur, vt omnibus est in confesso. Nec momenti etiam est quod obiicitur, multiplicari à nobis entitates sine necessitate: quod enim necessarium sit adstruere visionem entitatiuè, & essentialiter mediam inter lumen gloriæ, & eius obiectum, satis superque probant rationes à nobis supra adductæ inter probandam primam assertionem nostram iam citatam.

166 Ad alteram probationem negati antecedentis ex B. Thoma adductam dicendum est, essentiam diuinam facere se videre; & quidem id facere immediatè, & per seipsam; at in genere causæ efficientis, non vero verò in genere causæ formalis, & intrinsecæ: hinc autem solum colligi, quod ipsa gerat immediatè munus speciei impressæ, nec media vlla alia à se distincta efficiat visionem, non verò quod eius sit constitutiuum formale immediatum, & intrinsecum in consortio luminis tanquam alterius veluti compartis: de hoc enim ne verbum Angelicus præceptor eo loci. Fateor tamen quam sexto argumento supra viam aperui ad defendendum Deum de facto videri sine verbo non esse omninò improbabilem, sed potiùs esse multò expeditiorem iis, quæ hactenus à Thomistis sunt excogitatæ: at ne ei viæ quamuis minus intricatæ insistendum puto, sed potiùs planam communemque nostrorum Beatis verbum concedentium sententiam tuendam existimo.

Caput XIV.

An in Verbo veluti in speculo res necessario, & essentialiter debeat intelligi.

167 NOn debere; nec aliud esse verbi munus, quam vt sit ratio non obiectiua, sed formalis cognoscendi obiectum, illudque potentiæ intentionaliter assimilandi, haud aliter ac vnio physica materiam vnit formæ tanquam ratio formalis vniendi magis quam vt terminus vnionis à se distinctæ, tuentur Suarez, Molina, Vasquez, Valentia, Hurtadus, & reliqui nostræ scholæ Auctores: quorum sententiam vt magis veram, magisque probabilem ipse amplector. Primò, quia verbum nostrum est formalissimè intellectio, vt supra non solum ratione, verumetiam auctoritate Augustini, Anselmi, Damasceni, ac Thomæ fusè ostendi, cum meam de natura intellectionis sententiam explicarem: verbum autem non terminatur ad seipsum, sed immediatè ad obiectum, nec sui, sed obiecti similitudo est, vt vel aduersarij fatentur: intellectio igitur ad obiectum immediatè, & non prius ad verbum terminatur. Quod si de intellectione actiua, non tam in verbo quam in eius productione sita, fermo sit, eiusmodi intellectio id intelligit, cuius imaginem exprimit, ac producit, cum ea ratione intelligere rem nihil aliud sit quam eius exprimere, & producere imaginem: atqui intellectio illa actiua siue actio intellectiua per se loquendo non producit in intellectu imaginem ipsius imaginis, sed imaginem solius obiecti, hominis, verbi gratia, si hic illi proponatur: hominem ergo, non eius imaginem, verbumve intelligit.

Præterea intellectus est facultas longissimis interuallis perfectior visu, & quouis alio sensu exteriori: at sensus exteriores de plerorumque aduersariorum sententia ad obiecta sua cognoscenda similitudine aliqua expressa prius, aut si mauis, concomitanter cognita non egent: à fortiori ergo intellectus simili similitudine, siue verbo ad cognoscenda sua obiecta minimè indigebit. Et quidem non conspicio cur sensus exteriores immediatè obiecta sua attingant, intellectus vero iis subtilior ad sua etiam obiecta non possit immediatè, & absque interstitio verbi prius cogniti penetrare. 168

Vlterius voluntas amat rem quamcunque immediatè, & non in aliquo obiecto prius amato, eiusque affectum terminante, id, quod ipsi Thomistæ non diffitentur; ac nulli non esse debet in confesso: quis enim, vt Deum amet, creaturam sibi prius amandam necessariò proponat, quasi Deum amare non posset, nisi in obiecto creato eum amaret, cum potius, vt Deum amare possimus, nihil vtilius sit, quam vt amorem nostrum à creaturis auertamus? Quemadmodum ergo voluntas immediatè amat obiectum extra se positum, & non in aliquo termino sibi intrinseco, ac prius amato: ita similiter absque immanenti aliqua similitudine à nobis cognita, res extra collocatas intellectu percipere poterimus. 169

Post hæc: sicuti verbum de aduersariorum sententia immediatè, & non in aliquo medio ad rem verbo manifestam fertur, cur etiam cognitio, siue sit verbum, siue non, ad rem cognitam immediatè non feratur, eamve immediatè cognitam non denominet? Tandem: quoties duo obiecta non æquè primo, sed potiùs alterum in altero cognoscimus, id facilè animaduertimus, atque experimur: quis alium in speculo intuens intuitionis suæ inscius esse, aut num immediatè, an verò mediatè, & in speculo eum videat, ambigere possit? at cum Petrum, v.g. absentem cognosco, eum in verbo, tanquam in speculo obiectiuo, & similitudine prius cognita à me cognosci non experior; quin potius aut nihil, aut certè eum immediatè mihi innotescere experientia mihi constat: constantissimè ergo tuendum est, res etiam absentes in verbo prius cognito minimè à nobis cognosci. 170

Ast oppositum communiter tuentur Thomistæ cum Caietano, Capreolo, & Ferrarienſi. Adduçunt pro se primò Beatum Thomam quæst. 4. de veritate art. 1. ibi: vnde verbum interius est ipsum interius intellectum: & art. 2. ibi: *Verbum intellectus nostri secundum cuius similitudinem loqui possumus de Verbo in diuinis est id, ad quod operatio nostri intellectus terminatur, quod est ipsum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus.* Eodem modo loquitur quæst. 9. de potentia art. 5. & cap. 1. super Ioannem, & lib. 4. contra gentes cap. 11, & in primum distinct. 27. art. 2. & 1. p. quæst. 34. art. 3. cuius verba his in locis ferè omnia supra laudauimus, cum nostram de natura intellectionis traderemus sententiam. Alia etiam eius testimonia affert Capreolus in 1. dist. 27. quæst. 2. ad initium. 171

Verum B. Thomas nil tale de verbo tradit, quale eius assectæ comminiscuntur: etenim, cum docet intellectionem nostram ad Verbum terminari, non vult eam cognoscere verbum, sed illud duntaxat producere, eoque medio cognoscere solum obiectum: cum autem locis allegatis inquit, verbum esse intellectionem intellectam, neutiquam vult verbum ipsum intelligi vt quod, siue esse obiectū cognitum, 172

sed potius esse intellectum, seu cognitum vt quo, hoc est rationem formalem cognoscendi: ad eum modum quo album pro albedine in recto sumpta, & parietem de obliquo connotante interdum vsurpatur: vt colligere est ex hac propositione, *album immediatè disgregat visum.*

173 Quod vero hæc sit B. Thomæ mens satis constat ex eius libro quarto contra gentes cap. 11. vbi postquam præmiserat, ac latè proposuerat, verbum esse intentionem intellectam, mox subiungit hæc verba: *Aliud est intelligere rem & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur: vnde & aliæ scientiæ sunt de rebus, & aliæ de intentionibus intellectis.* Ex quibus constat, verbum iuxta B. Thomam nunquam vt quod, & propriè cognosci, nisi cum est cognitio non directa, sed reflexa. Addiderim fortassis esse aliquando sermonem Angelico Præceptori, non de verbo interiori, sed de verbo partim interiori, partimque exteriori, siue, quod perinde, de obiecto cognito, dum verbum docet intelligi.

174 Adducunt Thomistæ pro se secundo Aristotelem lib. 2. de anim. text. 60. ibi: *Differentia tamen est, nam ea, quæ actu sensum efficiunt, extra sunt: ipsum inquam visibile, & audibile, & sensibilium cætera: cuius causa hæc est: actu namque sensus singularium est: scientia verò vniuersalium est: hæc autem in ipsa anima quodammodo sunt: quapropter intelligere quidem cum quisquam voluerit in ipso est situm: sentire autem non collocatur in ipso: necesse est enim sensibile ipsum adesse.* Ex quibus hoc confici potest argumentum: obiectum sensus cuiusuis externi est extra illum: obiectum verò intellectus est intra eum: quorum alterum, alterumque affirmat Aristoteles loco adducto: at id non alia de causa nisi quia sensus obiectum externum in ipsa talis obiecti entitate immediatè cognoscit: intellectus verò obiectum externum in verbo sibi intrinseco, ac similitudine quadam immanenti percipit.

175 Respondeo, Aristotelem eò loci tantum velle, animam habere intra se phantasmata, & species intelligibiles, mediis quibus possit obiecta, quamuis absentia sint, cognoscere, quoties ei placuerit: quare obiecta intellectus esse quodammodo intra animam: cæterum obiecta sensuum externorum, ne hac quidem ratione intra animam esse; cum species, & repræsentationes aliquæ eorum, quatenus à sensu interno, & intellectu distinguuntur, intra animam non supersint: quo fit vt sensus externi nihil ex natura rei percipere queant cum obiecta exteriora coram non adsunt. Hæc tantum docet Philosophus, non verò quod verbi obiectiuè cogniti vlla sit necessitas ad intelligendum, magis quam ad sentiendum.

176 Opponunt tertiò Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 15. ibi: *Cum verbum nostrum cogitatione nostra dicatur.* Et paulò infrà: *Et verum Verbum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicitur.* Necnon Anselmum in Monolog. cap. 31. ibi: *Cum enim cogito notum hominem mihi absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione verbum est.* Respondeo, Augustinum id tantum velle, intellectionem nostram actiuam terminari ad verbum: non tamen illud intelligendo, aut cognoscendo, sed duntaxat illud producendo exprimendove. Quod autem attinet ad Anselmum, ita explicandus est, quemadmodum explicui suprà secundo loco B. Thomam.

177 Arguunt quintò aduersarij. Verbum internum repræsentat rem intellectui: repræsentare autem non potest nisi ipsum cognoscatur: ergo ita debet cognosci. Id suadetur quia verbum externum non potest aliquid alicui repræsentare, quin ipsum auditu percipiatur, cognoscaturque: similiter ergo, &c. Respondeo, voces repræsentare ac significare rem velut signum instrumentale, cuius definitio est esse, id quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius: quid mirum ergo, si prius auditi & percipi debeant, vt in notitiam rerum adducant? at verbum mentis non significat, nec repræsentat veluti signum instrumentale, sed tanquam signum formale; siue ratio formalis cognoscendi: vnde sicut ratio formalis dealbandi, nempe albedo, propriè alba esse non debet, ita pariter ratio formalis cognoscendi nimirum verbum internum cognosci per se loquendo non postulat.

Arguunt sextò, & vltimò. Intellectio est actio 178
productiua verbi: at ad verbum terminatur actio productiua verbi: ergo & intellectio vtique actiua ad verbum terminatur: at nulla forma extrinsecè terminari potest ad aliud, cui effectum suum formalem non tribuat: intellectio igitur terminata ad verbum, ei effectum suum formalem, videlicet denominationem intellecti, & cogniti impertiet. Respondeo, intelligere actiuè rem aliquam est imaginem rei in intellectu exprimere, ac producere: vnde ea ratione intelligere rem est ad illam mediatè tantum terminari: nec alia terminatio præter hanc mediatam erit vtilis, vt intellectionis actiuæ denominatio, effectusque formalis tribuatur obiecto: cum igitur intellectio actiua non mediatè tantum, sed immediatè ad verbum terminetur, sanè illud productum, non verò intellectum denominabit.

TRACTATVS IV.

De triplici actu, siue operatione intellectus.

CAPVT I.

Quo pacto simplex apprehensio, siue prima operatio intellectus à secunda, & iudicatiua differat ex obiecto, & modo repræsentandi?

VOD attinet ad differentiam prioris eorum 1
actuum à posteriori desumptam ex obiecto illud exploratum est, omnem notionem simplicem, verbi gratia, hominem, albedinem, Angelum, Deum, & his similia, primæ intellectus operationi, eiusque termino ac simplici conceptui obiici. An vero notio etiam complexa, siue identitas vnius cum alio, v.g. hominem esse animal, possit esse obiectum illius, id est satis inter auctores controuersum. Negant Gregor. in prol. sentent. quæst. 1. art. 3. Vasquez 1. parte, disp. 75. cap. 4. num. 21. & 1. part. disp. 223. cap. 3. num. 17. & 1. 2. disp. 62. cap. 3. & disput. 79. capite 3. Suarez tom. 1. metaphys. disputatione 8. sectione 4. num. 8. etiamsi paulò superius contrarium quoque probet, imo velut magis probabile clarius exprimat. Non pauci etiam Thomistæ eidem opinioni subscribunt.

Cuius primum argumentum est: complexio, & 2
identitas vnius rei cum alia, siue vnam esse aliam, est obiectum

obiectum iudicij, ac secundæ operationis intellectus: non igitur primæ. Antecedens certum. Consequentia suadetur: quoniam cum illæ operationes sint specie diuersæ, non poterunt earum obiecta non differre: actus enim intellectus ab obiectis specificantur. Secundum eius sententiæ firmamentum est: quia Aristoteles 1.periherm. cap.1. & cum eo reliqui docent, iudicij proprium esse, vt componat,& diuidat: quod si apprehensio,ac prima mentis operatio sciret,vnum esse, aut non esse aliud, haud dubiè componeret, ac diuideret. Tertium est: quoniam Aristot.3.de anim. text.21. vocat apprehensionem meram, qua de agimus, indiuisibilium intelligentiam; alij etiam non dissimili phrasi eam appellant apprehensionem simplicium: fieri ergo non potest, vt totam propositionem obiectiuam attingat, alioqui esset non magis indiuisibilium, & simplicium, quam complexorum, & diuisibilium intelligentia. Denique iudicium non assequitur complexionem duarum rerum, earumque mutuam identitatem, nisi munere plurium conceptuum,ex quibus coalescit,atque componitur:multo ergo minus prima mentis operatio, quæ iudicio longè imperfectior est, vnius simplicis conceptus beneficio plurium rerum complexionem, & identitatem poterit assequi. Quocirca non paucæ rationes, quibus probari solet, iudicium non posse esse simplicem qualitatem multiplici gaudentem obiecto, hoc ipsum à fortiori de primo intellectus opere persuadent: eas autem in tractatus sequentis caput primum percello.

3 Enimvero contrarium docent Gabriel in 2. dist.6. quæst.vnica artic.3. dubio 2.Toletus 3.de anim.q.21. & 22. Fonseca 4. metaphys. cap.2. quæst.6. sect.6. Conimbric.3.de anim. cap.13.quæst.4.art.1.Hurtad. disp.7. de anim. sect.1. §.5. & 6 Auersa quæst.23. Logicæ sectione 1.Sotus 1. post.cap.2. quæst.1.ad 2. Balthasar Tellez parte 4.Sum. disp.84.sect.1.num.1. Quorum sententia mihi magis arridet: Primò, quia etiamsi apprehensio aliqua simplex connexionem & identitatem quorundam extremorum repræsentet, non propterea erit iudicium, sed potiùs ab eo non paruo interstitio dissidebit: eam igitur poterit repræsentare: consequentia liquet, antecedens etiam non minus perspicuum est:tum ob ea quæ in solutione primi argumenti afferentur: tum etiam quia non ex eo quod cognitio idem habeat obiectum quod amor, in amorem migrat, aut cum eo confunditur: haud ergo sequetur, apprehensionem esse iudicium, aut vtriusque discrimen omne tolli, etiamsi eadem extremorum connexio vtrique ex æquo, obiiciatur. Iam secundò: audita hac propositione, *Antichristus modò existit*, apprehendo, & intelligo eius sensum,atque id quod significat, totum penetro:sensus autem,& significatio illius est connexio extremorum suorum, videlicet subiecti, & prædicati: hanc ergo apprehendo: sed eam per iudicium nec affirmo nec debeo: possum ergo simpliciter apprehendere compositionem vnius extremi cum alio, quin eam per iudicium affirmem,& quod consequens est vnius diuisionem ab alio, quin eam per iudicium negem. Tertiò, sæpè sæpius contingit, vt de identitate ac distinctione aliquorum extremorum dubius sim, & anceps, v.g. an non cœlum sit simplex corpus: tunc autem eiusmodi identitatem, ac distinctionem percipio, & mente voluto, nullumque de alterutra destinatum iudicium fero: eas ergo simpliciter apprehendo.

4 Præterea quartò: cum concipio Petrum, v. g. non est necesse, vt eum esse iudicem: ergo etiamsi concipiam identitatem illius cum animali, haud statim opus est, vt eiuscemodi identitatem dari existimem: eius igitur sola apprehensio non repugnat. Quintò, aliæ relationes possunt simpliciter, & circumscripto quouis iudicio à nobis apprehendi, v. g. Paternitas, Filiatio, æqualitas, inæqualitas, similitudo, aut dissimilitudo duarum rerum: quidni ergo,& relatio identitatis vnius rei cum alia, aut distinctionis, vnius & alterius. Consequentia,quantum ego sentio, est manifesta: antecedens à nemine, quem viderim negatur,aut iure potest: quid enim prohibet,me alicuius Paternitatem apprehendere, eamque nec negare,nec affirmare, sed potiùs in suspenso relinquere, propterea quod dubium inter omnes sit, cuius sit Filius, quem eiuscemodi Paternitas respicit. Par autem est cæterarum relationum conditio. Rursus omnis definiti præcedere in nobis solet simplex tantum, & confusa apprehensio, anteaquam ei definitio per iudicium adhibeatur, & ita magis explicetur. Hoc inductione cuiuis constabit. Hoc etiam est quod dici consueuit, definitum esse obscurius definitione, & hanc illo clariorem. Sed identitas vnius rei cum alia alicuius definitionis quidditatiuæ, aut descriptiuæ definitum, atque subiectum est: poterit ergo prius simpliciter apprehendi. Vlterius ipse P. Vasquez 1. part.citata disp.213. cap.3.num.15. docet simplicem apprehensionem solius subiecti, illud repræsentare vt prædicato conueniens, & apprehensionem prædicati, hoc vt vnum cum subiecto, & sic vtramque iudicium constituere: cur ergo simplex apprehensio nequeat concipere mutuam, ac reciprocam identitatem subiecti, & prædicati, & non solum huius cum illo connexionem, sed etiam illius cum hoc è conuerso? vbi enim apprehensio mera nihilominus attingat identitatem inadæquatam,non est quamobrem nequeat attingere adæquatam, & reciprocam, si paulò sit perfectior. Tandem quod ait P. Vasquez locis citatis, & innuit etiam P. Suarez relata sect.4. num.8. deludi nos similitudine vocum, & harum solam complexionem percipere, quoties connexionem, & identitatem ipsarum rerum videre nobis videmur; hoc inquam est facilè impugnatu. Siquidem prolata hac propositione, *cælum est corpus simplex*, coram eo qui latinæ linguæ scius, & eo qui nescius est, hic posterior alium conceptum intus efformat, & alium eumque perfectiorem ille prior:ergo quia alter solam vocum texturam percipit, alter vero altius penetrat & ad ipsam rerum connexionem pertingit: igitur si quod fieri potest & solet,iudicium cohibeat,eam simpliciter apprehendet.

§ Porrò diuersæ partis argumenta haud sunt admodum difficilia. Ad primum respondeo, apprehensionem & iudicium ex modo repræsentandi differre posse, etiamsi vtriusque sit idemmet obiectum, nec magis vni quam alteri extremorum connexio, aut seiunctio appareat. Quod constat non solum exemplo amoris, & præuiæ cognitionis superius adducto, sed etiam speciei impressæ, & expressæ, sensionis externæ, & internæ, item harum, & cognitionis spiritualis nil spirituale cognoscentis, necnon amoris efficacis, & inefficacis, aliorumque plurium actuum, quos referre superuacat. Ad secundum respondeo: apprehensionem meram componere & diuidere non perfectè,& efficaciter, sed imperfectè, & inefficaciter fortassis non est improbabile,vt Dialect.lib.10.ostensum: at hæc sola posterior compositio ac diuisio sequi posset, ex eo quod apprehensio compositionem aut diuisionem obiectiuam subiecti, & prædicati attingeret. Deinde propterea quod prima intellectus operatio mutuum ordinem subiecti & prædicati cognoscat, haud efficitur eam vllatenus componere

ponere aut diuidere : Deus enim compositionem à nobis factam eiusque obiectum cognoscit, quin ob id instar nostri componat, vt docet Ferrariensis 1. contra gentes cap. 59. §. ad 2. id cognoscit fictionem nostram, quin fingat, & falsitatem, quin fallatur: ergo similiter, &c.

6 Ad tertium respondeo, primam intellectus operationem dici indiuisibilium intelligentiam, & simplicium apprehensionem, id est eorum quæ ab intellectu perfectè nec diuiduntur, nec componuntur: quare indiuisibilitas, & simplicitas, de qua sermo est Aristoteli, & aliis, magis se tenet ex parte actus, quam obiecti, & non hoc diuisibile, & complexum esse ab eis negatur, sed illum diuidere aut componere, quoties de prima mentis operatione loquuntur. Porrò autem, quo tam hæc solutio, quam ea quæ est adhibita argumento præcedenti magis elucescat, & confirmetur, animaduertenda est quædam doctrina Cardin. Caiet. prima parte, quæst. 58. art. 5. *Cum verum & falsum in compositione consistat, quemadmodum compositio dupliciter admiscetur cognitioni, ita & verum & falsum. Potest enim intellectui competere compositio ex parte modi cognoscendi, vt cum cognoscimus, quod homo est homo, & ex parte rei cognitæ, vt cum cognoscimus rem compositam. Et per oppositum simplex apprehensio, dupliciter inuenitur, scilicet, quoad modum cognoscendi aut quoad rem cognitam. Nec requiritur ad rationem veri & falsi vtraque compositio, sed altera quæuis earum sufficit. Patet enim quod de re quantumcunque simplicissima, potest quis habere cognitionem compositam veram, aut falsam: puta formare propositionem, quod ipsa est ipsa, aut ipsa non est ipsa. Et similiter quantumcunque modus concipiendi sit simplex, potest apprehendi compositum ex partibus discohærentibus, vel cohærentibus, ac per hoc verum, vel falsum.* Hæc ille : vnde roborantur, & declarantur ea, quibus præcedens, & præsens argumentum soluimus. Hoc quidem : quia prima intellectus operatio tantum dicitur indiuisibilium, seu simplicium intelligentia, indiuisibilitate ex parte modi ; quasi sensus sit esse intelligentiam simpliciter, & indiuisibiliter cognitorum nos vero duntaxat ex parte obiecti multiplicitatem, & complexionem ei permisimus. illud verò : quia iudicium differt à prima, & simplici intellectus notitia, penes compositionem ex parte modi : nos vero tantum compositionem ex parte obiecti hactenus ei attribuimus. Quod assumitur in postremo argumento, iudicium non posse esse simplicem qualitatem, hoc ipso quod plura vt plura cognoscat, cap. 3. huiusmet tractatus diluetur.

7 Vidimus hucusque iudicium nostrum, & simplicem apprehensionem non differre obiecto, proterea quod alterum attingat identitatem, aut distinctionem extremorum, secus vero altera : videndum est modo an aliunde obiecto dissideant, eo nimirum, quod apprehensio simplex, vnde noster intellectus oritur, percipiat quidditatem, iudicium vero non illam attingat, sed potiùs rem quoad an est, eiusque existentiam, & qualeslibet proprietates, aliaue prædicata. Arist. 3. de anim. text. 26. & sexto metaph. text. 8. & 9. metaphys. text. 22. ac B. Thom. initio periherm. & init. post. & 1. part. quæst. 85. art. 5. & quæst. 17. art. 3. & 1. contra gentes cap. 59. videntur affirmare: sed reuera non affirmant. Cum enim aiunt, primam operationem intellectus attingere quod quid est, & secundam, an est, per propositionem de primo adiacente vt v. g. *Petrus est*, siue *existit*, vel de tertio adiacente, vt *Petrus est albus, aliisque quibusuis proprietatibus affectus*, tota ea doctrina intelligi debet, per quandam attributionem, quasi eius sensus sit, quemadmodum quidditas rei est eius essentia siue sit existens siue non ; ita primam intellectus operationem attingere non solum quidditatem, sed etiam quamcunque aliam rem, quin tamen asserat eam absolutè, aut taliter esse, vel non esse : contra vero, vti res quoad an est, nihil aliud est quàm eam esse aut non esse, ita secundam operationem intellectus percipere tam existentiam rei eiusque proprietates, quam etiam quidditatem, sic tamen vt de eis esse aut non esse, conuenire aut non conuenire alicui subiecto semper affirmet : velut rectè explicat Auersa q. 23. Logicæ.

At aliqui Thomistæ cum Caietano 1. p. quæst. 17. art. 3. §. *ad euidentiam* docent, primam operationem intellectus in eo differre ex parte obiecti à secunda, quod sola illa quidditatem verè attingat, ac de definito etiam affirmet, hoc aliove simili modo, *linea est longitudo duobus punctis clausa* : hæc vero proprietates subsequentes, & cætera quæuis prædicata, eaque rei attribuat. Quod tamen fallantur, quodque verior sit doctrina, qua Aristotelem, & B. Thomam exposuimus, breuiter suadeo ; neque enim res magna probatione eget. Nam prima intellectus operatio est, quæ tantum apprehendit, secunda quæ iudicat, tertia quæ colligit, siue concludit : hæc est recepta inter omnes eiuscemodi vocum significatio : ast quodcunque de alio affirmes, eo ipso iudicabis : quæuis igitur affirmatio, etiamsi sit definitionis de definito, non ad primam, sed ad secundam mentis operationem attinebit. Rursus amor efficax, & inefficax non dissident obiecto, quod vtriusque idem potest esse, sed modo, quo nimirum alter magis, alter minus cum re amata connectitur : haud igitur necesse est, vt iudicium, & apprehensio semper obiecto differant, ac proinde ambo quidditatem rei, ambo cætera eius prædicata poterunt attingere, non tamen eodem modo, nec pari perfectione, vt suprà posuimus, & exposuimus. Denique si per primam intellectus operationem affirmamus definitionem de definito, si v. g. hominem esse animal rationale assequimur, quorsum sequitur in nobis secunda intellectus operatio à prima distincta, magis quam in Deo & Angelis ? Quod si respondeat Caiet. quem (ne calumniari videamur) Auersa superius citatus sicut nos intelligit, si inquam respondeat, circa quidditates rerum non distingui in nobis primam intellectus operationem à secunda, facilè poterit refelli, quoniam idem necessario vsueniret circa alia quæuis prædicata : etenim distinctio earum operationum oritur in nobis ex confusione & imperfectione luminis, qua Deo, & Angelis decedimus : atqui nihil difficilius, & imperfectius à nobis cognoscitur, quam quidditates rerum : has ergo si nihilominus plenè assequimur, & rebus quarum sunt attribuimus, idque sine assensu, graduve ab vno actu ad alium facto, sanè à fortiori effectus exteriores, & alia prædicata magis nota, sine actuum turba, & multiplicitate assequi poterimus. 8

Quod attinet ad modum repræsentandi simplicis conceptus, seu termini, mentis proprium, iam toto hoc capite sæpè sæpius diximus, talem debere esse, vt merito illius intellectus efficaciter nec componat, neque diuidat, id est vnum de alio neutiquam affirmet, aut deneget. An autem inefficaciter, imperfecteque possit plura componere, aut diuidere, ad modum quo voluntas vna componit efficaciter vnum cum alio, si nimirum quanta potest energia velit Petrum, v. g. esse sanum, alia vero, tantum inefficaciter plura componit, vnitve : qua etiam ratione datur duplex affectiua diuisio vnius ab alio ; de hoc, 9

inquam

inquam in Dialect. lib. 10. latè egi, atque diremi, quid mihi magis probabile esse videatur. Cum autem apprehensionem meram vno modo componere, ac diuidere nego, & alio si non affirmo, at velut non improbabile insinuo, vtrumque dictum puta, de compositione, ac diuisione ex parte modi actusve: nam si sermo de vtraque ex parte obiecti, eas simplici apprehensioni iudicio præuiæ largiendas esse, superius adducta persuadent. Cæterum id non est apprehensionem propriè loquendo componere aut diuidere, sed duntaxat obiectiuam compositionem aut diuisionem cognoscere.

Denique circa modum repræsentandi simplicis notitiæ quæri potest, num is sit, cui in eundem realiter actum cum iudicio coalescere repugnet? Dico cum P. Hurtado relata disp. 7. de anima sect. 1. §. 4. repugnare contemplatione vniusmet obiecti: quî enim fieri potest, vt idem actus eandem rem simpliciter apprehendat, & simul iudicet, illamque componat, aut diuidat, & nec componat nec diuidat? secus vero respectu diuersorum obiectorum, vt constat ex hoc actu, verbi gratia, *creaturæ Dei omnes & singulæ sunt corruptibiles & interitui obnoxiæ*, qui de creaturis iudicat corruptibiles esse, de Deo vero nihil tale iudicat, aut salua veritate sua potest, ac proinde eum simpliciter apprehendit.

Caput II.

An secunda operatio intellectus, siue iudicium sit simplex qualitas, vel potius ex pluribus apprehensionibus intrinsecè componatur?

10 PLures Thomistæ, & post eos P. Suarez lib. 3. de anima cap. 6. docent, iudicium esse aggregatum per accidens, ex tribus apprehensionibus, altera subiecti, altera prædicati, & altera copulæ, quæ per verbum, *est*, significatur. Alij vero cum P. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 223. cap. 3. & 1. 2. tom. 1. disp. 79. cap. 3. & disp. 62. capite 3. à numero 10. & cum P. Rubio 1. periher. quæst. 4. cap. 4. docent, iudicium intellectus nostri tantum componi ex duabus apprehensionibus, altera concipiente subiectum vt conueniens, vel inconueniens prædicato, alia verò alterutro modo prædicatum subiecto comparante. Aliqui etiam, quos suppressis nominibus, refert P. Vasquez nuper citatus, tradunt iudicium esse compositum ex apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ, non vtcunque sumptis, sed physicè vnitis, haud aliter ac vna quædam aqua totalis ex pluribus inter se continuatis coalescit.

11 Alij tuentur, iudicium non fieri, per hoc quod apprehensio copulæ physica ratione continuetur apprehensioni subiecti, necnon apprehensioni prædicati, easque veluti terminus communis cohærere faciat, sed potiùs per hoc quod apprehensio copulæ, in apprehensione eius extremi, quod subiicitur intentionaliter, reuera ac physicè subiiciatur, eique informatiuè vniatur, alterius vero extremi, nimirum prædicati, apprehensionem tantum extrinsecè connotet, eique minimè vniatur. Alij quibus fauet P. Fonseca lib. 6. metaphys. quæst. 3. cap. 1. sectione 4. tenent, iudicium nostri intellectus, regulariter loquendo, esse compositam qualitatem ex multis apprehensionibus: cæterum fieri posse, vt intellectus noster iudicet per actum simplicem, ac fortasse id aliquando euenire.

12 Tandem plures tuentur iudicium omne nostri intellectus esse simplicem & indiuisibilem qualitatem, quæ apprehensiones præuiè supponit, non intrinsecè includit. Ita Gregorius in prol. quæst. 1. artic. 3. Gabriel quæst. 1. artic. 1. Durandus in 1. distinct. 38. quæst. 2. Ferr. 1. contra gentes cap. 59. Card. Toletus 3. de anima, quæst. 19. Conimbr. tom. 2. Logicæ in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 3. Hurtado disp. 7. de anim. sect. 2. Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 3. concl. 2. prope medium Arriaga de anima, disp. 6. sectione 4. Recupit. tom. 1. lib. 6. quæst. 27. num. 2. Tellez part. 4. summ. disputatione 85. sectione 1. num. 2. Sanctacruzanus, Casilius, Auersa, & alij non pauci nec indocti.

13 Quamuis autem hæ sententiæ probabiles sint, paulo tamen aliter in præsenti philosophandum arbitror: existimo enim, iudicium nostri intellectus de facto semper esse simplicem, & indiuisibilem qualitatem, possibile tamen esse iudicium, quo vel alius intellectus, vel certè noster in alia rerum serie diiudicet. Huic sententiæ, quoad priorem eius partem, subscribunt auctores num. præcedente relati: ei vero quoad posteriorem fauent, aut omnino, aut quadantenus, cæteri Doctores, quos pro aliis sententiis retulimus.

Caput III.

Vtraque pars nostræ sententiæ probatur, & obiter aliorum placita refelluntur.

14 PRior quidem opinionis nostræ pars suadetur: quoniam si iudicium nostri intellectus non esset simplex & indiuisibilis qualitas, maximè quia intellectus noster in eo discrepat ab Angelico & diuino, quod componendo & diuidendo iudicet, nec nisi per plures apprehensiones inuicem ordinatas affirmet aut neget, cum tamen Deus & Angelus absque compositione & diuisione vnico simplicissimo actu de obiectis suis iudicium ferant: aut quia, sicuti discursus omnium confessione componitur ex pluribus iudiciis, ita iudicium ex pluribus apprehensionibus conflari oportet: aut tertiò, quia vnus simplex actus intellectus nostri, quæ est eius imperfectio, nequit attingere plura vt plura, siue diuersa, quæ tamen iudicio nostro sæpè sæpius attinguntur: aut tandem, quoniam propositio exterior, quæ interioris speculum quoddam atque imago est, pluribus semper vocibus inter se distinctis constituitur, pro multiplicitate rerum earum quas repræsentat, atque inuicem contendit: vnde fieri videtur, vt non merito vnius simplicis actus, sed plurium interior etiam propositio, plura necessario significet, atque vicissim comparet. Ast hæ rationes nullæ sunt. Intellectus enim noster non in eo dissidet ab Angelico, & diuino, quod per actum diuisibilem, & compositum iudicet, sed quod ad iudicium de multis rebus ferendum egeat apprehensionibus præuiis, quibus tamen notitiis simplicibus, atque imperfectis, Deus nunquam & Angelus haud plerumque egent: hinc etiam oritur vt intellectus noster potiùs quam Angelicus, aut diuinus componat, diuidatque, vt cap. quarto latius exponemus.

15 Secunda etiam ratio in contrarium adducta, parum negotij facessit: non enim sine fallacia iudicium cum discursu comparat, cum potius iudicium immediatum cum iudicio mediato, siue assensu conclusionis; & processus ex pluribus apprehensionibus ad iudicium, cum processu à pluribus iudiciis ad

conclusio

conclusionem, siue cum discursu conferri deberent. Ita verò facta comparatio nobis magis quam aduersariis prodest: vt enim discursus ab vno, vel pluribus iudiciis ad conclusionem, non est indiuisibilis qualitas, sed aggregatum quoddam plurium actuum antecedentium,& consequentium; ita similiter processus ille, quo intellectus à pluribus apprehensionibus ad iudicium quasi discurrit, est complexum quoddam per accidens plurium apprehensionum, quæ prælucent, & iudicij quod consequitur, ac præuiam illam & imperfectam lucem perficit: & sicut conclusio est indiuisibilis qualitas connectens immediatè, & copulans intentionaliter extrema illa, quæ in præmissis immediatè vnita non erant, nec nisi in medio syllogistico inuicem nectebantur; ita similiter iudicium immediatum erit quædam indiuisibilis qualitas nectens extrema, quæ per apprehensiones præuias, velut seiuncta ac disparata apprehendebantur.

16 Quam autem fragili, ac ruinoso fundamento innixa sit tertia ratio nobis obiecta, constat primò: quoniam eadem res habet simul respectum physicum ad plura vt plura, ac diuersa, vt homo, verbi gratia, ad cognitiones suas,& amores,ad sensiones, & intellectiones, ad intentiones, & electiones: item ad horum omnium actuum varias species: rursus ad vitæ vegetatiuæ, & loco motiuæ functiones: denique ad causam primam, & secundam à quibus producitur: igitur à fortiori vnus, idemque actus intellectus nostri poterit habere respectum intentionalem ad plura vt plura, eave repræsentare: magis enim est multiuaga intentionalis tendentia, quam physica: vnde in pluribus locis simul esse; operari in passum distans. quin prius per medium; transilire limites rerum existentium, ac in aliquid non existens operari,nequimus physicè, at possumus intentionaliter, & munere cognitionis, aut amoris, quibus nihil volubilius aut velocius: quare similiter, vbi non repugnet eiusdem rei tendentia, ac respectus physicus ad plura vt plura,sanè potiori iure poterit eadem cognitio plura vt plura respicere, atque in ea intentionaliter contendere. Vlterius vno, eodemque actu simplici aprehendimus essentiam hominis: at ea plura & diuersa inuoluit, materiam scilicet, & formam rationalem: quæ quod concipiantur vt vnitæ,non tollit quo minus etiam vt diuersæ; haud enim vnio, sed identitas diuersitati, ac pluralitati opponitur. Huc etiam faciunt, quibus suprà capite primo, apprehensionem obiecto tenus compositam, ac totam propositionem indiuisibiliter comprehendentem, latè probauimus.

17 Quæ autem obiiciunt aliqui Thomistæ, vt probent non posse dari æquiuocationem in mente, siue quod ipsis instar est, ab ea non posse plura vt plura eodem actu simul percipi, nullius sunt ponderis: obiiciunt autem primò eandem imaginem physicam non posse simul repræsentare & exprimere plures res atque diuersas, hominem, verbi gratia, equum & lapidem; quin potius ad hos exprimendos diuersis imaginibus opus esse: ergo nec eadem cognitio,siue imago intentionalis poterit esse plurium vt plurium repræsentatiua. Obiiciunt secundò: nequit idem corpus simul delineari pluribus figuris: ergo nec in eundem actum congeri sine confusione possunt similitudines diuersæ, siue diuersarum rerum: has ergo neutiquam repræsentare sustinet eadem cognitio. Sed ad primum respondeo, imaginem physicam assimilari vniuocè ei quod repræsentat: vniuoca autem eius similitudo, & conuenientia cum diuersis ac dissimilibus inter se rebus repugnat; color enim colori superimpositus eum delet, quæ est vtriusque contrarietas. Quocirca ne fabulosus ille Protheus diuersos simul vultus simul habuisse, sed eos pro arbitrio mutasse fingebatur: at cognitio, siue imago intentionalis non vniuocè, sed analogicè obiecta sua repræsentat, neque ad hoc opus habet vlla colorum varietate aut illusione; est enim quædam spiritualis qualitas, atque alterius & superioris ordinis, quam proinde ad rerum sensibilium normam frustra exigas. Atque hinc etiam ad secundum argumentum patescit. Cui etiam cum præcedente hoc vitium commune est, quod ambo videatur probare nec per diuersos actus intellectum posse cognoscere plura vt plura, haud aliter ac eadem tabula nequit simul diuersis imaginibus illudi, aut figuris delineari. Quamuis autem Durandus hoc pensi non habeat, nec absurdum reputet, cæterum fallitur. Quid enim manifestius, quam vnam apprehensionem cum alia, vtramque cum iudicio, & præmissas cum conclusione, & vniuersim vnius rei aut negotij curam cum alterius attentione concurrere, vt optimè aduersus Durandum arguit P. Hurtado disp.5. de anima, sect.7.§.52.

Postrema denique ratio, qua peti solet indiuisibi- 18
litas nostri iudicij,haud est prioribus magis momentosa. Fateor, propositionem externam esse speculum quoddam, & imaginem interioris, vt rectè docet Plato in Theæteto definiens λογον *potissimum esse cogitationem suam voce per verba nominaque exprimere, opinionem propriam in voce, perinde ac in speculo & aqua monstrare.* Et paulò infrà: *Esse idolum cogitationis in voce.* Cæterum, cum non sit imago vniuoca illius, sed analogica,altera enim est spiritualis,altera materialis, vna tonis, atque interuallis protracta, alia momento perfecta, & successionis omnis expers; ideo non est quapropter altera simplex & indiuisibilis esse nequeat,vt vt altera sit diuidua,& partibus cohæreat.

Præterea, prior illa nostræ sententiæ pars proba- 19
tur improbatione aliarum opinionum. Quarum prima, & magis communis sic conuellitur: possunt dari in intellectu, apprehensio subiecti, & apprehensio prædicati, necnon apprehensio copulæ, quin intellectus ferat assensum, aut prædicatum subiecto conuenire diiudicet: assensus ergo, aut iudicium, si eliciatur, proculdubio à triplici apprehensione realiter distinguetur. Consequentia liquet: quia separabilitas realis à distinctione reali nusquam separabilis est. Antecedens vero suaderur experientia: siquidem cum quis hanc propositionem, *ens est analogum*, successiuè prolatam audit, apprehendit subiectum, prædicatum,& copulam,seu identitatem obiectiuam vtriusque; & tamen non iudicat,ens esse analogum, sed vel dubitat vel oppositum iudicat, quis hoc aliquando contingere neget? illa igitur triplex apprehensio reperiri potest, quin iudicium de entis analogia in intellectu detur.

Confirmatur. Idcirco cognitio, aut amor quibus 20
anima in rem aliquam fertur; vnio etiam materiæ & formæ; actio qua causa quidpiam efficit, vbicatio & duratio, quibus aliquid est in tempore, aut loco; idcirco inquam huiusmodi relationes à suis extremis realiter distinguuntur, quoniam absque ipsis earum extrema reapse dari possunt: cum ergo triplex illa apprehensio subiecti, prædicati, & copulæ sine iudicio inuenire sit, profecto iudicium,quod est relatio quædam, & vnio intentionalis simplicium apprehensionum, earum obiecta nectens, aut separans, ab eis realiter distinguetur.

Non me latet, aliquos respondere, iudicium 21
positum

positum esse in apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ, non quomodolibet sumptis, sed provt se se inuicem connotantibus ea connotatione, quæ cum alteri eorum, nempe subiecto, essentialis, & identica sit, ei tamen adesse, vel abesse queat: non aliter relatio prædicamentalis ac physica, verbi gratia, similitudo in fundamento similiter connotante terminum consistit. Cæterum hæc solutio latè improbata est libro tertio, vbi aduersùs connotatores ex professo egimus. Deinde pari ratione, velut verius loquar, irrationabilitate fingi posset vnionem, actionem, passionem, cognitionem, volitionem, vbicationem, durationem, aliasque huiusmodi relationes transcendentales non esse modos, aut res absolutas ab extremis suis realiter distinctas, sed potiùs in vno extremorum provt essentialiter connotante alterum eas consistere, haud secus ac, iuxta auctores huius solutionis, affirmatio prædicati de subiecto in huius solius apprehensione provt connotante apprehensionem prædicati, & copulæ sita est. Adde, quod apprehensio subiecti per physicam quandam connotationem sibi denuo aduenientem, necnon etiam apprehensio prædicati, & copulæ per hoc quod eam connotationem terminant, repræsentationem variare nequeant. Quis enim dicat, cognitionem Petri, v.g. nondum existentis repræsentationem sibi essentialem mutare, eo solum quod existentiam Petri à Deo creatam de nouo physicè connotet? In præsenti autem par est ratio. Hoc autem ipso, quod eæ apprehensiones repræsentationem non varient, in iudicium migrare non possunt. Adiice, quod apprehensio subiecti si per seipsum essentialiter connotaret apprehensiones prædicati, & copulæ, quas non connotabat antea, se sola iudicium esse posset merito illius connotationis, sicuti fundamentum se solo est similitudo sui cum termino, hoc ipso quod simile sit, per quandam connotationem sibi essentialem, denuo tamen accedentem. Quapropter sibi satis non constant hi auctores, vbi iudicium in tribus apprehensionibus, & non potius in vna sola statuunt, cum alias similitudinem, non in fundamento & termino, sed in solo fundamento collocent.

22 Iam secunda opinio earum, quas initio memorauimus, impugnatur: nam possunt dari simul in intellectu duæ illæ apprehensiones, subiecti nimirum vt conuenientis prædicato, & prædicati vt retrorsum conuenientis subiecto, quin intellectus prædicatum de subiecto per iudicium affirmet. Cum enim audio stellas aliquas esse pares, & stellas veluti pares, siue vt conuenientes ei relationi paritatis, & hanc relationem vt stellis consentaneam apprehendo, & tamen propterea stellas pares esse non iudico, sed anceps hæreo, vel si res tulerit, contrarium affirmo. Quando ergo separabilitas realis, realis distinctionis est irrefragabilis index, certè iudicium, aut affirmatio intellectus nostri à bina illa apprehensione realiter distinguetur. Rursus apprehensio mera subiecti, illud cum prædicato comparat, & componit, iuxta hos auctores, quantumlibet indiuisibilis sit: iudicium autem mera apprehensione perfectius est: poterit igitur tam subiectum cum prædicato, quam è conuerso componere, esto indiuisibile sit. Præterea, sicut vnio obiectiua subiecti, & prædicati ab vtroque non distinguitur realiter, ita etiam ipsum prædicatum à subiecto realiter indistinctum est: at non obstante reali indistinctione subiecti, & prædicati admittitur ab aduersariis in iudicio duplex apprehensio, altera subiecti, altera prædicati: ergo etiam non refragante indistinctione reali copulæ obiectiuæ ab extremis, dabitur tamen apprehensio copulæ omnino distincta ab apprehensionibus extremorum secundum se, ac proinde inconsequenter in bina duntaxat apprehensione constituitur iudicium. Denique cum aliquis vult efficaciter, amicum, exempli gratia, esse sanum, eiusmodi volitio efficax non est duplex inefficax, quarum vna amicum cum respectu ad sanitatem & altera hanc vicissim cum conuenientia & respectu ad illum desiderat. Quamuis enim aliqui volitionem efficacem esse intensiuè compositam tueantur, cæterum nemo hactenus asseruit, eam esse extensiuè compositam ex multis affectibus inefficacibus circa diuersa obiecta. Pari ergo ratione iudicium nostrum, haudquaquam erit qualitas composita, ex duplici illa apprehensione, quarum vna subiectum vt prædicato aptum, & alia prædicatum vt subiecto consentaneum apprehendat.

Tertia etiam opinio superius memorata confutatur: quod enim apprehensiones subiecti, & prædicati media apprehensione copulæ *est*, physicè vniri incipiant, non variat earum essentialem repræsentationem, alioqui tahs vnio duntaxat physica non esset: hoc autem ipso quod earum repræsentatio nullam varietatem, aut mutationem subeat, non poterunt iudicare, quod ante non iudicabant, propter id quod iudicium in repræsentatione situm est: munere ergo illius vnionis physicæ, eiusmodi apprehensiones nequibunt in iudicium transire, aut quod antea solum apprehendebant, postea affirmare, aut negare. Secundò, tametsi substantiæ vel quantitates, prius solutæ, deinde vniri incipiant, vt cum plures aquæ in vnam confluunt; cæterum inauditum hactenus est, duo accidentia prius in aliquo subiecto soluta, postmodum incipere in eo copulari; atque suopte ingenio indifferentia esse, vt iam vniantur, iam separentur. Quis non rideat, candorem lactis & eius dulcedinem, interdum in eo vnire, interdum vero separari, & non potius semper inuicem separatos esse? Aut quis non videat, ridiculum esse, quod duo coloris gradus eidem inhærentes subiecto, inter se tamen aliquando separati, aliquando vero vniti sint, & non potius, vel semper soluti, vel, quod magis receptum est, semper copulati, vnione illa quæ intensiua dicitur. Tertiò ex ea sententia fieret, belluas iudicare posse: siquidem apprehensiones simplices quas habent, inuicem physicè vniuntur, vbi apprehensiones nostræ physico quodam nexu copulentur, haud aliter atque gradus intensionis, aliaue quęuis accidentia, non minus in cæteris animalibus, quam in nobis physicè connectuntur: quocirca aduersarij, vt in nobis iudicium explicent, illud bestiis adscribunt. 23

Posthæc quartò: etsi vtcunque intelligi possit, quatenus copula affirmatiua, huic verbo, *est*, respondens, per physicam vnionem sui cum apprehensionibus extremorum hæc inter se intentionaliter componi, atque inuicem affirmari faciat; at imperceptibile est, qua ratione copula negatiua, huic verbo, *non est*, correspondens, per physicum sui nexum cum apprehensionibus subiecti, & prædicati hæc inter se intentionaliter diuidat, alterumque de altero deneget: propositio ergo negatiua vnionem physicam non claudit, nec per eam potest commodè explicari. Quintò: compositum physicum, cuiusmodi est homo, verbi gratia, ex vnione intentionali materiæ, & formæ consurgere nequit: qui ergo fieri potest, vt compositum intentionale quale est iudicium, vnione aliqua physica extremorum coalescat? 24

Vlterius sextò: quemadmodum aduersarij philo- 25

sophantur de iudicio, ita etiam, seruata proportione, de syllogismo, & hunc non minus quam illud putant vnione, ac nexu aliquo physico coalescere: sicut ergo apprehensiones omnes, queis constat iudicium, mediatè vel immediatè nectuntur, & continuantur, ita similiter propositiones, quibus syllogismus componitur, vnitæ esse debent: consequens autem est falsum: namque vt conclusio per copulam huic voculæ, *ergo*, subiectam vniatur præmissis, cæterum hæ in mente nostra solutæ, & inunitæ sunt: quæ enim vox earum nexum aliquem physicum vel leuiter indicat? nisi quis velit, eas inter se mediatè connecti, eo scilicet nexu, quo conclusioni immediatè vniuntur: hoc autem ridiculum est, nam prius natura, quam eliciatur conclusio, antecedit in intellectu maior & minor: vtriusque ergo artificium præcedit, vt existentiam conclusionis, sic etiam quamuis vnionem physicam cum illa, atque adeo per eam non constituitur: maior ergo & minor, provt tales, neutiquam vniuntur mediatè, vel immediatè. Adde, quod nulla detur vnio præmissarum, cum assensu conclusionis: hoc enim ipso quod præmissæ ad conclusionem dirigant, eamque inferant, syllogismus resultat: at eiusmodi directio non consistit in vnione continuatiua præmissarum cum assensu conclusionis, haud aliter ac secundum omnes cognitio dirigit ad amorem, cui tamen physicè non vnitur: neutiquam ergo ad constitutionem, ac rationem syllogismi requiritur vlla præmissarum cum assensu conclusionis vnio: iniuria ergo obtruditur. Denique in hac sententia, commodè nequit explicari, quamobrem vnum extremum sit subiectum, & aliud prædicatum, & non è diuerso? curve in mente resultet hæc propositio, *homo est animal*, & non retrorsum hæc, *animal est homo?* Siquidem vnio physica apprehensionum hominis, & animalis eas afficit ex æquo, & absque vllo discrimine: nequit ergo efficere vt potius animal de homine, quam è contrario homo de animali prædicetur, non secus ac relatio indistantiæ æquè me & Petrum afficiens, haud magis facit me propè Petrum, quam hunc propè me esse. Quin imò, nisi me mea opinio fallit, talis vnio physica apprehensionum hominis, & animalis, neutrum subiici, neutrumque prædicari faciet, aut poterit; quemadmodum vnio continuatiua partium ligni, v. g. neutram alteri subiici, neutramve alteri inesse, eamve informare efficit. Quod si ad naturam apprehensionum aduersarij confugiant, & ab ea etiam putent proficisci quod detur subiectum, & prædicatum, & quod altera denominatio harum vni extremo, & altera alij destinatè conueniat, hoc solo profugio debent esse contenti, nec est quod insuper id genus vnionem physicam comminiscantur.

26 Hinc confutari potest quarta opinio, earum quas supra proposuimus. Pleraque enim argumenta contra superiorem sententiam facta, huic etiam negotium facessunt. Etenim principio, quod vna apprehensio physicè in alia recipiatur, earum repræsentationem non variat: illius ergo beneficio neutiquam migrabunt in iudicium, quod essentialiter est repræsentatio quædam, & porrò nihil aliud. Deinde an non deridiculum est, duo accidentia in eodem recepta subiecto, tamen indifferentia esse, vt alterum in altero recipiatur, & modò vnum horum, modò aliud euenire? Equidem hoc permisso, nihil video, cur duo gradus intensionis, necnon duæ qualitates extensæ, nimirum albedo, & dulcedo, atque etiam, quod plus est, materia, & forma, aliaque multa extrema, posteaquam simul existunt, tamen indifferentia non sint, vt vnum in altero suscipiatur, vel ab eo sit potius independens. Ad hæc non conspicio, cur belluæ irrationales, in hac sententia, non iudicent, cum fieri possit, vt apprehensio obiectiuæ conuenientiæ vnius extremi cum alio, in vnius potius quam alterius apprehensione simplici physicè recipiatur.

Præterea: vt vnum extremum negetur de alio & ab 27
eo mente diuidatur, quid conferre potest apprehensionem vnius extremi in ea, qua apprehendimus aliud, physicè recipi, eive actu secundo, aut certè actu primo vniri, cum potius hæc receptio, atque vnio negationi, siue diuisioni obesse videatur? Rursus quomodo fieri potest, vt syllogismus receptione physica vnius propositionis in alia, aut aliis coalescat? an enim præmissæ in assensu conclusionis physicè recipiuntur, eoque sunt natura posteriores, quo tamen constat, natura priores esse, propterea quod illum inferant? An vero conclusionis assensus non in intellectu modo, sed in duabus etiam præmissis, atque adeo in septem subiectis partialibus recipietur? qua tamen numerositate subiectorum nec accidentia physica, & longè magis imperfecta opus habent. Vlterius, ens naturale seu physicum, v.g. homo ad sui constitutionem, & essentiam haud exposcit vllam subiectionem intentionalem, qua vna eius pars alteri, materia scilicet formæ subiiciatur, & hæc de illa prædicetur, aut è diuerso: eiusmodi enim subiectio, & prædicatio est falsa; item est accidens effectusque hominis; quæ duæ causæ ne possit eum constituere, sufficiunt: cur ergo ens intentionale, cuiusmodi est propositio, vlla receptione physica vnius partis suæ in alia indigeat? Denique quis dicat, affectum efficacem vnius inefficacis in alio receptione physica satis constitui?

Duabus, quæ supersunt, sententiis parum aut nihil 28
immorandum est. Alteram enim asserentem propositionem nostri intellectus regulariter loquendo esse compositam qualitatem, & non nisi rarissimè simplicem, & indiuisibilem, argumentis superius factis falsam esse constat, præsertim iis quibus apprehensiones iudicio præuias ab eo nunc separabiles esse ostendimus. Alteram vero sententiam qua statuitur, etiam in alio rerum euentu impossibile esse iudicium, quod simplex, atque individua qualitas non sit, falsam esse quoque, atque adeo posteriorē nostrę sentētiæ partem verissimam esse suadetur. Licèt apprehensiones omnes, quas modò in nobis experimur, eiusmodi sint, vt à iudicio separabiles sint; cæterum non repugnant apprehensiones aliquæ à iudicio circa obiectum, quod apprehendunt; omnino inseparabiles: quæ enim in iis terminorum implicatio, vel leuissima apparet? At tales apprehensiones, circumscripto quouis alio, iudicium constituere possunt: etenim iudicium nihil aliud est, quam relatio, & comparatio quædam subiecti cum prædicato, & huius cum illo: at relatio, & comparatio non distinguitur realiter à fundamento, & termino, quoties hæc ab ea inseparabilia sunt: iudicium ergo à subiecto, & prædicato formali, siue à duum extremorum duplici, aut multiplici apprehensione neutiquam distinguitur, sed potiùs iis constituitur, quæ est illarum inseparabilitas à iudicio. Quod vero relatio non distinguatur à fundamento & termino, vbi hæc ambo ab ea separari nequeant, palam est in nostris principiis hac quidem tempestate magis receptis: idcirco namque similitudo prædicamentalis, v.g. non distinguitur realiter à fundamento, & termino, quia sine similitudine, ea extrema esse non possunt. Par ratio est æqualitatis, & inæqualitatis, Paternitatis, & Filiationis, & aliarum quarumcumque relationum prædicamentalium.

Quin

Quin etiamsi esset aliqua causa, & effectus, aut aliquis intellectus, & obiectum, aut aliqua res, & tempus locusve, aut aliqua materia, & forma ab actione, cognitione, duratione, vbicatione, vnione inseparabiles; haudquaquam hæ relationes ab iis extremis realiter distinguerentur, aut eorum modi essent, tametsi modò aliter vsuueniat, inseparabilitatis defectu, vt suis locis latè, atque ex professo exposuimus.

29 Nec vero nobis obiici potest, inexplicabile in nostris principiis esse, curnam vi illius iudicij compositi potius hominem esse animal, v. g. quam è contrario animal esse hominem affirmetur? Sicut enim in aduersatiorum sententia semper, atque etiam in nostra de facto, vt aiunt, peculiaris ille modus affirmandi animal de homine, & non è diuerso, in naturam, & genium indiuisibilis iudicij reuocari potest, ac debet; ita similiter in specialem apprehensionum naturam, & conditionem non immeritò referri poterit, quod in iudicio composito alterius seriei homo vicem subiecti, & animal locum prædicati obtineat. Præterea, sicut vna quantitas est aliâ maior & minor; è contrario vero alia priori minor, & non maior, tametsi relatio maioris & minoris sit composita, atque in vtraque quantitate circumscripto quouis modo sita; huiusque discriminis, ac disquiparantiæ, vt aiunt, alia ratio præter vtriusque quantitatis naturam, & ingenium scrutanda non est, ita similiter in præsenti, &c. Reliqua argumenta tum contra hanc, tum etiam contra priorem nostræ sententiæ partem, decursu huius capitis soluta manent.

Caput IV.

De compositione, & diuisione, quæ fit per primam, & secundam operationem intellectus.

30 Duplex est compositio, & diuisio: alia est vnius obiecti cum alio, alia vnius actus cum alio, aliorumve collectione quadam. Prior est aliquando solius rationis, ac neutiquam realis, cum contingat solum distingui ratione obiecta illa, quæ componuntur inuicem aut inuicem diuiduntur. Posterior verò sæpe est realis: quippe quæ inter actus realiter distinctos versatur, eosque iungit, aut seiungit. Compositio, & diuisio priori modo sumptæ nunquam sunt eiusdem indolis, altera enim est affirmatio vnius de alio, altera negatio; nec vnquam fit, vt intellectus idem simul affirmet, negetque: posteriori modo sumptæ patuo, aut nullo modo discrepant, & respectu eorundem actuum in eundem intellectum simul conueniunt: hoc enim pacto simul componere est simul tempore dicere actus inter se realiter distinctos, & ordine naturæ inæquales: contra verò diuidere est inter se realiter distinguere, & quadam naturæ successione separare actus, qui tempore coæui sint, eoque simul perdurent: quæ duo quis iuxta non habeat? Ad priorem compositionem respexit B. Thomas lib. 1. periher. lect. 3. ad posteriorem verò 1. part. quæst. 58. art. 4.

31 Quod autem ad priorem compositionem & diuisionem attinet, eas assero primò cum Auersa q. 24. Logicæ sect. 2. ac B. Thom. ab eo citato conuenire non solùm nobis, sed etiam Deo, & Angelis. Ratio huius assertionis est: quoniam ista compositio, & diuisio nihi aliud est, quam affirmatio, & negatio vnius de alio, vt prætet B. Thomam, & Auersam docet Masius 1. periherm. cap. 4. quæst. 3. & cum eo alij plures: atqui Deus, & Angelus vnum de alio affirmant, necnon negant: hac ergo ratione componunt, & diuidunt. Maior est satis probata, & explicata: minor adeo certa, vt nulla probatione egeat. Huc facit illud Dionysij de diuin. nom. cap. 7. *Igitur seipsam diuina sapientia cognoscens, cognoscit omnia, immaterialiter materialia, & indimisibiliter diuisibilia, & multa vnitiuè.* Ecquid autem est, diuinam sapientiam multa, ac diuisibilia, vnitiuè, & indiuisibiliter attingere, quam ea inuicem copulare & vnire, seu vnione affirmatiua, quæ compositio dicitur, seu negatiua, quæ diuisio appellatur.

Enimvero aliqui cum P. Hurtado disp. 7. de anim. 32
sect. 2. §. 9. licèt re consentiant, nominum tamen litem nobis intendunt, & ita contra statutam doctrinam argumentantur. Quoties vnum affirmatur, aut negatur de alio, necesse est, vt obiectum secundum se & reapse sit multiplex, vnumve & aliud; vel si eiusmodi non est, vt ab ipsomet intellectu multiplicetur, ac distinguatur: aliàs eius cognitio erit quidem affirmatio, aut negatio, non tamen vnius de alio, sicut ad compositionem, & diuisionem oportet. Sed cum Deus iudicat, hominem, v. g. esse animal rationale, aut hominem esse hominem, obiectum ab eo cognitum haud est sponte sua multiplex, ac diuersum, vt constat; haud etiam à Deo ratione distinguitur, vel plurificatur: distingui enim ratione duo, est alterum cognosci, alterum ignorari, aut vnum clarè, aliud obscurè dignosci; quod si ea ex æquo sint cognita, potius ratione eadem erunt, quam distincta & plura: at nulla ignoratio, obscuritas nulla in Deum cadit: non ergo potest distinguere ratione, non vnum de alio affirmare, & negare, sicut ad componendum, ac diuidendum opus est. Confirmatur, cum intellectus noster asserit, homo est animal rationale, aut homo est homo, idcirco affirmat vnum de alio, quia si sermo sit de homine, & animali rationali, hoc clarè, & illum obscurè cognoscit, istaque cognitionum diuersitas in obiecta redundat, eaque facit vnum & aliud, atque ita multiplicata iudicio subiicit: sin autem sermo sit de homine hominimet comparato, sanè ante iudicium, hominem per duas apprehensiones velut geminum apprehendit noster intellectus, quo eâdem geminationem deinde possit iudicare, ac proinde etiam hic interuenit, aliqua actuum distinctio, quæ in obiectum resiliat, illudque vnum, & aliud efficiat. Atqui in Deo omnis actuum distinctio realis, omnis cognitionum vera multiplicitas repugnat: haud ergo propriè componit, haud etiam diuidit. Totam hanc argumentationem P. Hurtado supra laudatus compendio tetigit his verbis: *Deus autem, licèt de obiectis iudicat, non tamen componit illa, quia neque habet apprehensionem, neque ratione subiectum à prædicato distinguit.*

Sed hæc non vrgent: quoniam distinctio rationis 33
duplex est, alia formalis extrinseca, quam diuersi actus nostri in obiectū, quod inadæquatè percipiunt, eo ipso refundunt; alia fundamentalis intrinseca, & aliud non est, quam aptitudo quædam, vt res per eiusmodi denominationem extrinsecam ita distinguatur: quocunque autem modo horum duum vnum obiectum distinguatur ab alio, satis erit vt ambo componantur aut diuidantur: etenim priori modo non distinguuntur obiecta nisi impropriè, & secundum quid; quid enim refert, actus nostros propriè distinctos esse, vt eorum obiecta tantundem distinguantur? cum ergo vel iuxta ipsos aduersarios eiusmodi obiectorum distinctio ab actibus profecta sufficiat, vt ea componantur, ac diuidantur quodammodo, cur non

etiam posterior ad idipsum satis sit; at obiecta, in quæ Deus affirmando, aut negando fertur, tamque adæquatè & clarè, vt ea comprehendat, nihilominus ita comparata sunt, vt secundo illo modo, videlicet ratione fundamentali distinguantur: tam ergo poterunt à Deo componi ac diuidi, quam intellectus noster, qui ratione formali distinguit, inuicem componit, aut disseparat. Hinc non solum ad argumentum, sed etiam ad eius confirmationem patet.

34 Quod spectat ad compositionem & diuisionem posteriori, modo sumptas, assero secundo, eas nobis non semper, sed plerumque; Angelis quidem multoties, tamen non plerumque, at Deo nunquam conuenire. Hæc assertio complectitur tres partes: quarum prima, quæ bimembris est, sic exponitur, & probatur. Idcirco in Angelo non datur circa pleraque obiecta naturalia compositio actuum, scilicet iudicij cum apprehensionibus præuiis, quoniam ea omnimoda euidentia, & perspicuitate cognoscit: hinc enim est, vt circa illa non hæreat, nec ea prius apprehendat ac deinde iudicet. At aliqua etiam respectu intellectus nostri supremum quendam, & excellentem euidentiæ gradum habent, vt verbi gratia, quodlibet est vel non est, nequit aliquid simul esse & non esse, numerus ternarius maior est duali: in his ergo non immoratur intellectus humanus, sed eodem naturæ instanti, eodemque actu ea simul iudicat, & apprehendit, ideoque non semper actuum compositio, & diuisio in nobis reperitur. Plerumque tamen reperiri constat: nam pleraque nobis hoc corporis ergastulo clausis, huiusque vitæ tenebris, cæca, caligine mersis, incerta sunt, & obscura, aut ita euidentia, vt non statim, sed ex interuallo ad assensum, & comprehensionem sui rapiant: quare eorum iudicium imperfecta quædam & simplex notitia ordine naturæ anteuertit. Huic assertionis nostræ parti, quoad posterius eius membrum, suffragantur omnes: quoad vtrumque vero non pauci cum P. Hurtado suprà disp. 7. de anim. sect. 1.

35 At quoad prius eius membrum ei refragatur Pater Tellez 4. part. summæ suæ disp. 85. sect. 1. n. 10. & 15. & 16. eique etiam refragari videtur Auersa cit. q. 24. Logicæ sect. 2. §. *dicendum tamen est*, paulò post medium. Prætermissis autem huius doctrinæ leuioribus argumentis, sic argues. Intellectus noster nequit in hac vita vllatenus intelligere, nedum iudicare nisi, dependenter à sensibus saltem internis; eorumque cognitione prælucente: cognitio ergo sensitiua nequit naturaliter non dirigere ad quoduis iudicium intellectus nostri: at non immediatè, quæ est eius imperfectio, & iudicij perfectio: ergo mediante apprehensione simplici, atque adeo hæc ex natura rei est necessaria ad iudicium: vnde sine vtriusque quadam compositione naturaliter iudicare nihil possumus. Quocirca etiam quando intellectiua facultas est affirmatura, verbi gratia, quodlibet esse, aut non esse, prius oportet ab ea simpliciter apprehendi quodlibet, & præterea esse, & insuper non esse. Eademque ratio est cuiusuis alterius scibilis, quantauis euidentia, & claritate nobis alluceat.

36 Breuiter tamen me ab hac difficultate expedio, & respondeo: quemadmodum apprehensio intellectualis bifariam dirigit ad amorem perfectum, & efficacem, nimirum immediatè, aut mediante iudicio; ita sensio materialis dupliciter etiam diriget ad iudicium, siue perfectam, & veluti efficacem rei cognitionem, nempe aut immediatè, ac per semetipsam, aut interstitio alicuius apprehensionis spiritualis, à se prius excitatæ: atque quamuis posterior directio sit frequentior, tamen prior omnino nulla non est. Adiice, quod sensio materialis interna immediatè dirigat ad apprehensionem spiritualem: quidni igitur, eadem aliquando immediatione, ad iudicium disponat? Nam quod magis superetur perfectione à iudicio quam à simplici apprehensione, parum, aut nihil interest: quoniam ad neutrum eorum actuum spiritualium requiritur per se, sed solum per accidens, & ob impedimentum vnionis cum corruptibili corpore, quo semel liber animus nullius sensionis ope fretus statim intelligit, eoque puriori luce res omnes cernit, quo non per crassum hoc mortalitatis nostræ velum, ac veluti corneum specular ei tunc apparent: quamuis igitur cognitio non possit immediatè dirigere ad amorem quantolibet excessu perfectionis hic illam superet, & esto sit spiritualis, illa vero materialis & sensitiua, quia scilicet cognitio requiritur per se & in quouis statu ad amorem, ac proinde ab eo se fortassis superari, sed non quantocunque interuallo patietur. Cæterum sensio materialis comparata cum cognitione spirituali ad quam per accidens tantum, & in aliquo statu, huius nempe vitæ, requiritur, ad eam, quantouis momento se perfectior sit, atque adeo tametsi sit iudicium, immediatè poterit dirigere, nihilo secus ac ad apprehensionem spiritualem disponit. Sic præmissa naturalis dirigit immediatè non solum ad conclusionem naturalem, sed etiam aliquando ad conclusionem supernaturalem, Theologicam, fideiue diuinæ, se longissimè perfectiorem, videlicet quia vtraque conclusio quoad suam substantiam à tali præmissa per se non dependet, & sine ea, & quauis alia potest reperiri: cur ergo sensio materialis semper ad apprehensionem spiritualem, & non etiam interdum ad iudicium eiusdem ordinis, sed multis partibus perfectius immediatè non dirigat?

Quod si instes, vt intellectus noster non sine 37
actuum compositione & diuisione cognoscat, sufficere si, veluti concessum est, omnem eius intellectionem aliqua semper materialis sensio, & vel externa, vel saltem interna præcedat: respondeo, animam nostram, prout est intellectiua simul & sensitiua, nunquam cognoscere in huius vitæ statu nisi componendo, & diuidendo, & hoc tantum ex illa sensionum ad intellectionem spiritualem necessaria antecessione colligi: cæterum inde non fieri, intellectum nostrum, quatenus præcisè talis est, & sicut modo vsurpatur, & conuertitur, semper componere, ac diuidere, & aliter intelligendo non esse. Hac ratione, quamuis Angelus plerumque cognitiones suas cum actibus voluntatis componat, & hos ab illis in se realiter diuidat, seu distinguat, tamen intellectus Angelicus compositione, ac diuisione vt plurimum carere dicitur, quia nimirum eius voluntas est diuersa potentia realiter, aut ratione ab eius intellectu, ac proinde hic, merito actuum illius, nec componit nec diuidit. Similiter ergo in præsenti, &c.

Aliud argumentum, quæ prioris cõfirmatio potest 38
esse sic oppones, editis his vocibus, *quodlibet est, vel non est*, prius eas, earũque significationẽ apprehendo, quã affirmẽ quod eis subest, illasque proferenti essentiam: at quod significat, est quodlibet esse vel nõ esse: hoc ergo prius simpliciter apprehẽdo, quã id iudicem: adeoque falsum est, illam veritatẽ, & aliã quamcunque paris euidentię eodem actu, & non diuersis apprehendi, simulque iudicari: ita namque si res se haberet, haud posset, admitti dicta naturæ prioritas, quippe quæ

distinctio

distinctionem actuum omninò postulat. Maior suadetur: nam voces illæ sunt signum instrumentale rei, quam ex instituto significant, nonnisi prius igitur cognitæ, & apprehensæ ducunt in eius perfectiorem & iudicatiuam cognitionem. Sic cognitio fumi, cognitionem ignis, & rami hederacei cognitionem tabernæ natura anteuertunt: atque idem in quouis alio instrumentali signo visitur.

39 Respondeo in primis, hoc falsum esse prius debebere cognosci significationem arbitrariam vocum, aut rerum, quam vi illarum in eius quod significant notitiam adducamur: quin imo probabilius, & verius est, eiusmodi significationem nec prius, nec posterius cognosci oportere, quoties res ei subiecta cognitionem terminatura est: vt enim ostensum in Dial. lib. 6. sicut vt cognoscam, non est necesse, vt cognitionem meam vllatenus percipiam, sed satis est vt ea mihi insit, ita similiter non est opus vt cognoscam id per quod signum instrumentale repræsentat eiusve significationem, & connexionem cum re cui ex arbitrio, & instituto imponitur, sed satis est, vt percepta eius entitate materiali, illius significatio, & connexio, quædam, nempe species impressa, mihi inexistat. Respondeo secundò, sufficere vt per sensum internum percipiantur voces, earumque significatio, idque si mens in aliquo priori naturæ instanti, ad hoc vt eis salua maneat ratio signi instrumentalis. Deinde tertiò, non esse quamobrem præcedat semper cognitio signi instrumentalis, cognitionem rei significatę, sed aliquando id verum esse vt exemplis in argumento adductis liquet; aliquando vero contrarium, Deum enim in creaturis eodem actu cognitis, velut in signo instrumentali, cognoscimus, & esse quia mundum hunc produxit, vno affirmamus iudicio. Denique respondeo quando cognoscitur hoc principium, quodlibet est vel non est, aliudve tantundem euidens, mediatè & in obiecto alicuius sensus externi, ac dependenter ab eius operatione, tum fortassis eius apprehensionem simplicem & iudicium realiter distingui, & hoc illa naturaliter posterius esse, atque hoc solum argumento facto ad summum probari; cæterum à P. Hurt. citata disp. 7. de anim. s. 1. §. 7. aliisq; nostræ sentētiæ patronis id vltro admitti, tantumq; negari ab eis talem apprehēsionis, & iudicij distinctionem, quoties aliquod principium summè euidens immediatè, & non in aures extrinsecus verberante sono, aut oculos pascente Scriptura, aliove obiecto sensibili, sed in semetipso percipitur: quod si quæras quodnam sit vtrinque discrimen, in promptu est: siquidem apprehensio rei immediata longè perfectior est quam mediata, vnde non mirum est, si nunquam hæc, aliquando vero illa iudicium esse, ab eoque minimè distingui postulet.

40 Multo magis aduersantur nobis aliqui, quos suppressis nominibus refert P. Tellez 4. p. sum. cit. disp. 85. sect. 1. n. 8. hi enim etiam supernaturaliter, ac diuinitus fieri posse negant, vt intellectus noster sine apprehensione præuia iudicet, aut, quod perinde est, non componendo, & diuidendo plures actus in aliquo statu intelligat: proinde contra primum illud nostræ assertionis secundæ membrum ita arguunt. Si inuenire esset iudicium formale sine apprehensione præuia, illud apprehendendi, & simul affirmandi, negandive munus exerceret: at repugnat omnino, iudicium formale, cui vtrumque illud officium conueniat, & quod vtrique pars sit: esset enim simul iudicium formale, vt supponitur; & non esset iudicium formale, sed tantum virtuale, sicut quando vnus actus partes præmissarum & conclusionis sustinet, vnamque veritatem ex alia colligit, discursus non formalis, sed virtualis appellatur. Rursus secundò: amor pendet essentialiter à cognitione, quæ sibi veluti facem præfert: ergo & iudicium ab apprehensione præuia. Item tertia mentis operatio, videlicet cōclusio prout talis, supponit omnimoda necessitate, secundā ex qua oriatur: ergo & secunda primam, siue iudicium, apprehensionē. Denique apprehensio præsupponit essentialiter speciem impressam: ergo & cognitio apprehēsiua iudicatiuam.

Cæterum diuinitus saltem fieri posse, vt intellectus 41
humanus iudicet sine apprehensione præuia ac distincta; quin etiam hac simplicitate, & perfectione Deū modo à beatis videri longè probabilior est, atque etiam communior opinio, eamque tenent cum B. Th. q. 8. de verit. artic. 1. & Scoto in 4. dist. 49. non pauci vtriusque sectatores. Item Molina 1. p q. 12. artic. 8. disp. 6. Suarez in sum. lib. 2. de attrib. c. 18. & alij plures apud Ægidium tom. 1. de beat. q. 9. art. 3. Probatur autem: tum quia, vt superius visum, intellectus noster sine apprehensione præuia naturaliter aliquando diiudicat: ergo à fortiori diuinitus: tum etiam quia Angelus ex natura rei multoties intelligit, quin ab vno actu ad alium gradum faciat, aut ab apprehensione ad iudicium ascendat, vt statim clarebit, & ne ab aduersariis negatur: quidni ergo anima nostra supernaturaliter eleuata, & lumine gloriæ irradiata, eam cognoscendi perfectionem obtineat? tum denique, quia iudicium apprehensione simplici minime posterius genere suo non repugnat, vt patet in Deo Opt. Max. quod autem, etiamsi humanum sit, & per hanc contrahatur differentiam, specialiter non repugnet, contrariarum rationum debilitas satis ostendat.

Ad primam earum dicendum est, eam nobis quid- 42
quid rem tangit concedere, ac de solis nominibus litem mouere: quod enim reipsa conantur, est intellectum, eodem indiuisibili actu, seclusisque diuersis, apprehēdere obiectum aliquod, & de eo simul affirmare quidpiam, aut negare: hoc autem adepto, an eiusmodi cognitio appellanda sit iudicium formale vel potius virtuale, controuersiam vocum putamus, ac de ea magnopere non laboramus. Deinde vocibus vti nos aptis & eiusmodi actum intellectus nostri nuncupandum esse, non iudicium virtuale, sed formale, etiamsi in discursu indiuisibili diuisibile, & multiplex obiectum cognoscente aliter vsueniat, inde perspicuum est: quia discursus significat pluralitatem actuum, à quorum vno ad alium intellectus properat, quare si actus sit reuera vnus ac duntaxat virtualiter, vel æquiualenter pluralis, haud mirum, si discursus tantum virtualis sit, eoque, & non alio nomine gaudeat: nihil autem simile cernitur in iudicio, quod nulla posterius apprehensione, eius vicem gerit, & sine ea sibi sufficit: imò quamuis eam supponat, simul tamen apprehendit, & iudicat, cum alterum horum in altero essentialiter imbibatur, & nihilominus est iudicium formale: tale igitur erit, esto nullam apprehensionem à se distinctam præmittat.

Ad secundam rationem contrariam dicendum est, 43
voluntatem suaptè natura esse potentiam cæcam, quare alicuius cognitionis luce ei opus, vt amet odiove habeat: at facultatē iudicatiuā sponte sua non esse potentiam cæcā: vnde nihil esse quapropter luce facultatis apprehēsiuę, quoties est iudicatura, sēper indigeat. Adde, quod si voluntas sine cognitione amaret de potētia absoluta, eiusdē etiā viribus posset nō amare, sed odisse, ac proinde libertatē exercere, & peccare, quantumlibet esset omni cognitione destituta: item quod appetitus innatus, & physicus posset esse ad aliquid physicè, & reipsa minimè bonum, si appetitus elicitus, & intentionalis ferri posset ad bonum non cognitum siue non intētionaliter tale. Nihil autē his simile,

nihil adeo absurdum in iudicio apprehensionem haud subsequente repereris. Ad tertium argumentum dicendum est, quemadmodum tertia mentis operatio, quatenus tertia, secundam essentialiter supponit, ita secundam prout talem, à prima ne diuinitus non oriri posse: cæterum vti assensus conclusionis, si concludere, ac tertia mentis operatio esse desinat, independens est quoad suam substantiam à iudicio præuio, ac secunda intellectus nostri functione: ita similiter iudicium: si secunda rationis operatio, ac functio desinat esse, vel si nunquam talis fuit, quidni independens sit à simplici apprehensione, vnde intellectus orditur? Ad postremum dicendum est, concursum specierum ad apprehensionem simplicem posse supernaturaliter à Deo suppleri, non minus quam concursum ac dispositionem caloris, verbi gratia, ad ignem, & aliarum causarum secundarum ad suos effectus: neque oppositum ab aduersariis probari aut posse. Alia momenti minoris argumenta apud P. Tellez relata & reiecta vide si lubet.

44 Porrò secundam secundæ assertionis nostræ partem, quæ etiam bimembris est, breuiter suadeo: si tamen prius animaduertam, duplicem esse seriem rerum earum, quæ Angelicæ cognitioni subiiciuntur: prima continet mysteria supetnaturalis fidei, futura contingentia, & secreta cordium: altera comprehendit cæteras omnes res à Deo creatas, & omnium ac singularum causas, proprietates, effectusque necessarios. Quod ergo res in priori serie contentas Angelus non sine compositione, & diuisione plurium actuum cognoscat, adeoque multoties eo genere cognitionis vtatur, quemadmodum in posterioris assertionis nostræ secunda parte, sed primo eius membro tradidimus, probatur aduersus Thomistas, qui cum præceptore suo 1. part. quæst. 58. art. 4. & in 2. distinct. 3. omnes oppositum tuentur: item contra Durand. in 2. distinct. 3. & Ægidium ibidem quæst. 2. art. 3. Idcirco nos haud sine compositione, & diuisione plurium actuum, atque iudicij ab apprehensionibus dependentia, vt plurimum intelligimus, quia nonnisi obscurè & imperfectè in hac vita pleraque res assequimur: at res priori serie comprehensas etiam Angelus ineuidenter, & imperfectè cognoscit, vt fatentur omnes, & compendio docet P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 9. *Circa eiusmodi res ergo plures actus componit, & diuidit, nec aliter eas potest intelligere.* Rursus secundo idipsum declaro, & confirmo: ante assensum fidei supernaturalis ab Angelo, viatore præstitum oportuit ei reuelari, ac proponi veritatem credendam, verbi gratia, Deum esse trinum, & vnum: ergo in priori aliquo instanti naturæ simpliciter apprehendit reuelationem, & in ea mysterium reuelatum: liberum enim fuit Angelo, postquam eius mysterij veritas scienti, & aduertenti proposita est, atque reuelata, assentiri tamen per fidem vel dissentiri: quæ ergo præcessit apprehensio reuelationis, & rei reuelatæ, distincta fuit à sequente iudicio supernaturali assensuque fidei, ac proinde simplex non esse non potuit. Idem facilè esset ostendere in futuris contingentibus, necnon actibus liberis internis siue secretis cordium: tum quia circa omnia interdum habet Angelus fidem duntaxat naturalem, aut, quod instar est, meram opinionem: tum etiam quia omni cohibito iudicio, multoties de eis tantum dubitat, nec in vnam partem magis quam in aliam inclinat. Atque huic doctrinæ fauent Pater Suarez relato libro secundo, capite 32. num. 17. P. Hurtado disputatione 7. de anima, sect. 1. §. 8. P. Tellez citata disp. 85. sect. 1. num. 10. necnon teste P. Suarez Scotus, Ochamus, Gabr. Gregor. ac cæteri tum Scotistæ, tum nominales, qui Angelis discursum verum, & formalem permittunt.

Iam, quod res posteriori serie clausæ, sine actuum 45
compositione aut diuisione, percipiantur ab Angelo, adeoque verum sit quod posteriori membro secundæ partis ac secundæ itidem assertionis statuimus, videlicet non plerumque eo componendi & diuidendi modo Angelum vti, sic probatur. Ea de causa noster intellectus ita componit, & diuidit, quia confusè, imperfectè, atque abstractiuè cognoscit: at Angelus secundam illam seriem, & quidquid in ea claditur, clarè, perfectè, & quidditatiuè percipit; quin etiam non pauca eius seriei comprehensiuè cognoscit: quæ omnia omnibus explorata sunt, & ex perfectione Angeli constant: haud ergo obiecta memorata pluribus actibus inuicem compositis, aut diuisis intelligit. Rursus secundo idipsum explanatur, & declaratur. Aut enim sermo de eis quæ, per vnam speciem ab Angelo cognoscuntur, v. g. de toto genere terrestrium animalium cum omnibus suis speciebus: atque huiusmodi obiecta quamuis à nobis, sicut per diuersas species ita etiam per diuersa percipiantur iudicia, cæterum Angelus ea cognoscit, & omnia prædicata sua intrinseca, & naturalia de eis affirmat per vnum simplex iudicium, vt auctore Pater Suarez rel. cap. 32. num. 2. Theologis valdè familiare est: haud ergo circa illa intellectus Angelicus vlla actuum compositione, vel diuisione vtitur: quorum enim actuum obsecro? non iudicij vnius cum alio, quando eatenus vnum solum habet, vt posuimus: non iudicij cum apprehensionibus præuiis, quas talium obiectorum maximè euidentia ab eo relegat. Aut propterea sermo est de obiectis, quæ Angelus per diuersas species cognoscit, & de quibus distincta iudicia efformat: atque nec circa hæc vnum iudicium cum alio componi, ab eove diuidi per intellectum Angeli suadeo: nam actus diuersi, quibus Angelus iudicat de alio Angelo, verbi gratia, omnia sua prædicata necessaria ex vna parte, & ex alia de lapide cuncta, quæ naturaliter ei conueniunt, neutiquam præcedunt ordine naturæ, iudicium simplex, quo asserit, Angelum illum distingui à lapide: sed potiùs independenter ab iis, & esto nunquam eliciantur, vtriusque tamen species immediatè concurrunt ad vnum simplex, & perfectum iudicium, quo talem distinctionem Angelus assequatur: sic causæ physicæ, & sensibiles non raro ad eundem communem effectum concurrunt, & vna operantur, quod erant alioqui seperatim operaturæ: cum ergo, vt suprà docuimus cum B. Thoma, cui cæteri omnes hac in re adhærent, compositio ac diuisio actuum non sine quadam eorum prioritate ac posterioritate naturæ contingat, profecto non est, quod Angelus alium Angelum & lapidem, eumve, & eius actum liberum internum, aut quæcunque alia per diuersas species, ac distinctas cognitiones intelligit, eo ipso componat vel diuidat, quoties alterum cum altero comparat.

Quod si cognita per diuersas species impressas, 46
expressasve inuicem non contendat vi alicuius affirmationis, aut negationis, adhuc clarius liquet, quamobrem ea circa nulla vtatur compositione, nulla diuisione: neutra enim euenit, sine quadam collatione, aut relatione vnius obiecti ad aliud, quæ inde in actus singulis obiectis seorsim sumptis intentos resultet, eosque referri quodammodo efficiat. Atque huic doctrinæ, qua statuimus Angelum sine compositione, aut diuisione actuum intelligere quæcunque obiecta, dummodo naturalia sint, nonsupernaturalia,

naturalia, necessaria non libera, præsentia & non futura, vtique contingentia, subscribunt, non solum illi qui omnia obiecta qualiscunque sint indolis, ita ab eo cognosci putant, vt Thomistæ omnes, & Durandus, atque Ægidius Romanus paulò suprà relati; verumetiam ij qui aliàs Angelum componere, ac diuidere plures actus non renuunt, vt Suarez, Hurtado, Tellez, quos etiam nuper laudauimus. An autem Angelus per discursum componat, diuidatve plures actus (hactenus enim de primo, & secundo mentis opere tantum egimus) huic loco non conuenit.

47 Postrema secundæ assertionis nostræ pars erat, compositionem aut diuisionem plurium actuum Deo nunquam congruere: atque hoc ex infinita eius perfectione & simplicitate distinctionem omnem realem, nisi vbi relationis obest oppositio, excludente, adeo palam est, vt id nemo Catholicus ausit inficiari.

CAPVT V.

Quid sit tertia operatio intellectus, siue argumentatio, & quam distinctionem actuum importet?

48 ARgumentatio in communi, est qua intellectus ab vno obiecto ad aliud intentionaliter discurrit, atque mouetur, vni obiecto nimirum propter aliud assentiendo, & dissentiendo: verbi gratia, omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo est risibilis: aut, omnis homo currit, ergo aliquod currens est homo: quocirca per analogiam, & discursum physicum ab vno loco ad alium solet argumentatio discursus appellari. Porrò discursus in quo ea sita est propriè sumptus in solis iudiciis consistit: siquidem ab apprehensione vnius obiecti ad apprehensionem alterius absque vllo iudicio intellectus progreditur, vt cum vna apprehensio aliam excitat ea, v.g. quæ est hominis apprehensionem animalis rationalis, & quæ prioris dictionis memoriam sequentis necnon totius orationis, quarum erat quis antea oblitus: nihilominus per eiusmodi apprehensiones intellectus propriè non discurrit, nec argumentatur aliàs etiam belluæ discursiuæ, & argumentatiuæ siue rationales dici possent, siquidem obiecta apprehendunt, & ex aliis apprehensionibus excitantur ad alias.

49 Prima autem difficultas, eaque non leuis circa naturam argumentationis est, an ea plures complectatur actus realiter distinctos, an vno solo possit esse contenta? Quo in puncto duo occurrunt, alterum de re, alterum de nomine. Quod rem ipsam tangit, est an vnus realiter actus nostri intellectus possit intueri formaliter, & intrinsecè quidquid præmissæ, & superueniens conclusio respiciunt, ita vt his tribus propositionibus vocalibus, omnis homo est animal, v.g. Petrus est homo, ergo Petrus est animal, non semper tres mentales, sed interdum vna sola multiplici obiecto intenta respondeat? Quod autem ad solius vocis dissidium spectat est, an eiusmodi actus sine vlla numerositate, aut pluralitate, plura tamen obiecta conclusionis videlicet, ac præmissarum immediatè, & intrinsecè attingens seu reperiatur in nobis seu nostr esse non possit, sed solius Dei, aut Angeli, vel beatorum dicendus sit discursus siue argumentatio, necne?

50 Vt ergo primum expediam, arbitror possibilem nobis esse actum iudicij vsque adeo perfectum, vt eodem & indiuisibili realiter assensu cognoscat totum id quod discursus partibus distinctus, huiusque pondus, & instar habeat, quidquid sit, an eius vocem, & nomenclaturam, de quo postea. Ita B. Thom. 1.2.q.8. art.3. Medina & Caietan. eodem loci Ferrara 1. contra gent. cap.57. Capreol. in 1.dist.2.q.1. in solutione ad argumenta contra 4. concluſ. Soncin. 6. metaph. q.10. Geroasius p.2. de notitiis, q.2. dubio fin. Durand. in 2. dist.38.q.3. ad 3. Fonseca 6. metaph. cap.1.q.4. sect.2. littera D. Tellez part.1. summæ disp.18. sect.2. referri etiam potest ac debet pro eadem sententia, Martinez de Ripalda lib.3. de ent. supernat. disp.47. sect.1. & apud eum ibidem præter aliquos nuper citatos Ochamus, Gabriel, Paludanus, Molina, Valentia, Salas & Granadus. Etenim tum ipse, tum hi omnes in ea sunt opinione, vt censeant, eundem realiter actum nostrum sortiri posse plura obiecta formalia, eaque intrinseca & immediata: actus autem attingens quidquid præmissæ & conclusio, ecquam exhibet, difficultatem, nisi quod intrinsecè, & immediatè plura obiecta formalia vt plura respicit? imò ne tantam exhibet iuxta non paucos, eos nimirum qui putant, obiectum conclusionis nullatenus esse formale, sed duntaxat materiale.

Probatur autem hæc sententia primò: quia respectus intrinsecus, & formalis vnius ad plura perfectionis est argumentum: proinde Deus quæcunque cognoscit aut amat intra, vel extra se, ea omnia non nisi vno actu suo respicit: at plures modi physici tales sunt, vt quiuis eorum respiciat formaliter & immediatè plura vt plura: v.g. vnio, indiuisibilis & vna cum sit, duo extrema quæ copulat: eadem productio agens, & effectum: vbicatio indiuisibilis locum, & rem ei commensam: duratio tempus, & rem in eo perseuerantem: ergo à fortiori modus intentionalis genere suo perfectior quam physicus, cuiusmodi est cognitio iudicatiua poterit plura obiecta, nimirum præmissarum, & conclusionis, formaliter, & immediatè contueri. 51

Probatur secundò: quoniam est in intellectu nostro haud raro composita quædam apprehensio non iudicando totius iudicij obiectum quantumlibet multiplex, & diuersum formaliter, & immediatè attingens, vt v.g. cum quis audiens, stellas esse pares, totum, quod audit, apprehendit, cohibito tamen iudicio alterutrius partis: similiter ergo nobis inerit aliquando iudicatiua cognitio totius discursus obiectum, quanquam varium ac multiplex, immediatè, & formaliter respiciens, quin propterea formaliter, nec nisi ad summum virtualiter discurrat, vt hoc in anteceſſum dicam: Hæc ratio est tum à simili; sicut enim se habet apprehensio ad iudicium, ita hoc ad discursum: tum etiam à fortiori; nam quando apprehensio intellectus nostri imperfectissima operatio plura obiecta formaliter, & immediatè tamen attingit, æquum non est id perfectionis iudicio negare vt plura obiecta formalia intrinseca, ea nimirum quæ sunt conclusionis, & præmissarum, vno eodemque respiciat assensu. Robur, & lucem adiicit huic argumento, quod docent Conimb. 1. de interpret. cap.4. quæst.4. art.1. §. *vt hanc secundam*, & alij aduersariorum fieri posse, vt vna indiuisibilis apprehensio non integri iudicij modò, sed totius etiam demonstrationis obiectum cognoscat, ac penitus exhauriat. 52

Probatur tertiò: nam idem voluntatis actus est multoties intentio, & electio, ac medium propter finem & hunc respectu illius, ac velut eius rationem formalem intrinsecè amat vt infrà tract.7. latè constabit, vtque admittitur à B. Thoma 1.2.art.3. quem sequuntur Contadus Caiet. Bonau. Ægidius, Richard. 53

Durandus, Capreol. Occam. Gabriel, Maior, Alliacensis & Holcot apud P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. d. 33. cap. 1. Similiter etiam suo loco constabit, eundem indiuisibilem intellectus actum esse posse respectu diuersorum obiectorum scientiæ simul, & fidei, siuè opinionis, adeoque clarum, & obscurum certum, atque inceratum. Quæ cum ita sint quid est quapropter eodem pariter actu nequeat intellectus noster præmissarum & conclusionis obiecta formaliter, & immediatè consequi.

54 Quarto probatur: quoniam potest intellectus noster diuersis actibus simul attingere idem obiectum, idque intrinsecè, & formaliter, veluti cum simul apprehendit, & iudicat idem, nec non circa illud discurrit, haud enim est verisimile, aut probabile, ex apprehensione nasci iudicium eiusdem obiecti, aut ex iudicio discursum, nisi huiusmodi actus sibi simul coexistant: omnis namque causa saltem ex natura rei effectum suum tempore comitatur, alias in eum minime fluxura. E contrario ergo poterit intellectus noster vno eodemque realiter actu iudicij in plura obiecta formaliter, & immediate ferri, adeoque totam vnius discursus seriem complecti.

55 Denique probatur hæc sententia quoad possibilitatem saltem supernaturalem eiusmodi indiuisibilis iudicij: possibilitas enim eius naturalis argumentis superioribus satis nisi fallor, est ostensa. Idem indiuisibilis actus iudicij attingit simul obiectum præmissarum, & conclusionis: huius formaliter, & explicite: & illarum materialiter, & implicite, aut è conuerso: priori modo attingit vtrumque obiectum assensus conclusionis: posteriori verò, & contrario assensus præmissarum, vt tuentur omnes, vtquè ex Arist. lib. 1. de post. resol. cap. 1. & B. Thoma q. 22. de verit. art. 14. ad 3. & 1. 2. q. 8. art. 2. & 3, Optime explicant conimbricenses, in cap. 1. de præcognitis, q. 4. art. 5. & cum eis Tellez vbi suprà Poterit ergo Deus supernaturaliter huius iudicij imperfectionem perficere, ac facere, vt intellectus noster eodem actu non solum vnum eorum obiectorum sed vtrumque formaliter, & explicite attingat. Item Deus vno actu totam nostram argumentationem obiectiuam comprehendit: Angeli etiam plura obiecta, circa quæ non discurrunt, quantumuis multiplicia, indiuisibili, ac non multiplici actu cognoscunt, aliaque in aliis percipiunt: beati quoque creaturas in Deo vident eadem visione, qua ipsum conspiciunt: quorum primum est exploratum inter omnes Theologos. secundum inter plerosque, tertium inter non paucos, Quidni ergo supernaturali virtute possit intellectus noster euchi vt in statu huius vitę vnũ obiectum propter aliud formaliter, & explicite eodem actu cognoscat, eodemque totum syllogismum adæquet? nec enim propterea metus est, ne Dei, Angeli; aut beatorum perfectionem in cognoscendo possit assequi: tum namque haud carceret obscuritate quadam, mutatione, & compositione Physica, quarum tamen imperfectionum Deus est incapax suapte natura; seu cognoscat, seu quamuis aliam subeat denominationem, intelligeret etiam tunc minori claritate, ac maiori apprehensionis præuiæ necessitate, quam Angelus, aut homo beatus: ad missio ergo tali actu, de quo est quæstio, neutiquam est necesse intellectum viatoris eius vi assurgere ad perfectionem Dei in cognoscendo, aut etiam Angeli, seu beatorum. Quanquam quod ad hos spectat absurdum non arbitror nobis supernaturaliter inesse posse in statu viæ præsentisque vitæ cognitionem adeo perfectam, vt nulli eorum actui cedat, si solam Dei visionem excipias.

Vt secundum prius propositum, quam potuero breuissime, absoluam; sentio, actum toti argumentationi parem, eiusque multiplici intentam obiecto, siue noster sit, siue potius nobis repugnet saltem naturaliter, atque in Deo, Angelo, aut beatis duntaxat locum habeat, eum inquam vocari non posse discursum formalem, & verum, ac de huius ratione esse distinctionem, ac pluralitatem realem actuum. Ita B. Thomas, 1. p. q. 14. art. 7. & q. 58. art. 3. & q. 2. de verit. art. 15. & 1. contra gentes cap. 58. Ita etiam Caietanus, Ferrara, Capreol. Bannez, ac cæteri eius assecłæ. In eadem sententia est Scotus in 1. q. 4. & 5. laterali prologi ad initium his verbis; *discursus non requirit successionem temporis, nec ordinem temporis sed ordinem naturæ, scilicet quod principium discursus sit naturaliter prius notum, & vt sic sit causatiuum alterius extremi discursus*: Constat autem ordinem naturæ, & causalitatis esse non posse nisi inter diuersos actus: hos ergo ad discursum requirit Scotus: cui communiter sui adhærent. Idem supponit Gabriel in 1, dist. 4. q. vnica, concluſ. 8. & 9. eodemque modo loquuntur cæteri fere nominales. 56

Hij adiice ex nostris Patrem Suarez lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 5. & lib. 2. de attributis Dei negatiuis cap. 18. num. 7. P. Vasquez tomo 2. in 1. p. disp. 222. cap. 1. n. 1. & cap. 2. num. 8. & cap. 3. num. 13. & cap. 4. num. 17. P. Molinam 1. p. q. 14. art. 7. & q. 57. art. 3. P. Valentiam tom. 1. disp. 1. q. 14. puncto 8. §. *hic vero notandum est*. P. Hurtad. disp. 7. de anima s. 3. §. 17. & 18. P. Martinez. t. 1. de ente supernat. lib. 3. s. 5. num. 28. P. Tellez p. 1. summæ disp. 18. s. 2. n. 9. Quid morot? præter paucos nominales, referendos inferius, cæteri omnes Scholastici hoc vtuntur loquendi modo. At consensus Auctorum omnium forissimum argumentum est in controuersiis de vocabulo cuiusmodi est præsens: quocirca in ea mihi magis probatur communis, & vsitata phrasis quanquam ne improbandam arbitrer quandam eius restrictionem, qua vtuntur Suarez, Valentia, Tellez, & communiter alij superius citati, nimirum sic non dicendum esse discursum formalem, atque in genere suo verum, ac proprium eum actum, quo de loquimur, vt sit dicendus discursus virtualis, & eminentialis. 57

Ratio quoque, & origo nominis, quo cum plerisque libet vti, optima est meo iudicio. Namque discursus intentionalis dictus est à discursu, ac motu Physico ab vno loco ad alium: at fieri nequit, vt aliquis moueatur aut discurrat Physicè ab vno loci spatio ad aliud sine motuum & vbicationum multiplicitate reali: debet enim, vna latio aliam, & vna vbitas aliam excipere, darique inter eas separatio, alias esset quis simul in pluribus locis: similiter ergo discursus intentionalis iure potuit appellari series quædam, & complexio actuum realiter distinctorum, quorum adminiculo intellectus ab vno obiecto prius cognito gradum facit ad aliud postea cognoscendum. 58

Caput VI.

Difficultates quædam aduersus doctrinam præcedentem.

PRimæ decisioni nostræ refragantur Conimbricenses tom. 2. log. lib. 1. posteriorum capite 1. q. 4. art. 5. Auersa q. 26. log. art. 2. parum ab initio. Gregorius in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. & Marsilius in 1. q. 4. art. 1. & quidam alij. Primò quia sequeretur 59

talem

talem actum indiuisibilem toti tamen syllogismo parem, eiusque obiectum omne complectentem esse, & non esse discursiuum : esse, quatenus fertur in obiectum conclusionis : & non esse, quatenus fertur in obiectum præmissarum. Secundo eum fore dependentem, & non dependentem : dependentem, prout attingit obiectum conclusionis obiectiuæ propter præmissas obiectiuas : independentem, provt has intuetur: Tertiò eum fore clarum simul, & obscurum : certum & incertum ; affirmatiuum & negatiuum, videlicet si ex præmissis obiectiuis, quas indiuisibiliter respicere potest, vna claritatẽ habeat, & alia obscuritatem, vna certitudinem, & alia incertitudinem, & altera denique sit positiua, atque altera negatiua aut (paulo aliter) si præmissæ formales quibus æquiualere, & quorum tendendi mortam sequi potest, eas conditiones tam oppositas sibi vendicent, pro eo ac solet accidere multoties.

60 Quarto eiusmodi actum fore naturalem, & supernaturalem, nimirum quia vnam præmissam obiectiuam, quæ est de fide diuina, & supernaturali, & alteram, quæ est naturalis, ac ratione humana demonstrabilis, ncnon conclusionis obiectum vnà cognosceret. Quinto esse posse supernaturalem, & falsum : supernaturalem, propter vnum obiectum huius ordinis : falsum, quatenus simul tendit in obiectum probabile, & incertum Sexto eum, quantumuis vnum, & indiuisibilem actum, fore tamen plurium specierum, haud secus ac si aliqua substantia esset simul homo, & equus : esset enim in vna specie, quia præmissa, & esser in alia, quia conclusio.

61 Septimum argumentum est tale : quemadmodum intellectus noster argumentando discurrit, ita etiam suus illi discursus est ab apprehensione ad iudicium: at nunquam fieri potest naturaliter, imò, iuxta aliquos, ne supernaturaliter, quin iudicium nostrum apprehensio distincta præcedat, nunquam vt vnus & indiuisibilis actus apprehensionis & iudicij vim obtineat, vt multis ac varis argumentis probari solet, quæ videri possunt suprà cap. 4. huiusmet tractatus : similiter ergo esse non potest, vt in intellectu nostro conclusionem præmissæ non antecedant, vnusve actus harum, & illius partes sustineat. Octauum argumentum : intellectus noster est longe debilior, & imperfectior Angelico, & diuino : quamuis ergo Deus, & Angelus vno eodemque actu vnum in alio, siue vnum propter aliud cognoscant, ea tamen haud nisi diuersis actibus nobis complecti licebit.

62 Nonum argumentum : habitus præmissarum, & conclusionis non est vnus, & indiuisibilis in nobis, sed potius realiter alius. Alius & experimur enim facilitatẽ in præmissis struendis, ac disponendis, quin multies saltem tantam experiamur in conclusione inferendæ ; & è contrario, postquam sunt positæ præmissa, magno nobis non constare conclusionem, etiamsi nobis difficilis, & operosa fuerit præmissarum constructio, ac fabrica : quocirca huiusmodi separabilitas realis realem vtriusque facilitatis, siue habitus distinctionem arguit satis liquido : atque ita sentiunt de eiusmodi habitibus Soncinas, Durand. & plures alij nostræ sententiæ assertores, & à nobis ostendetur amplius lib. octauo. Similiter ergo præmissarum, & conclusionis actus haud potest vnquam esse vnus, & idem, sed oportet semper eum esse multiplicem: antecedens vnà propositum est, atque probatum : consequentia est bona : Tum propter æqualitatem rationis : tum etiam quia si daretur eiusmodi actus totius argumentationis instar, ac præmissarum, & conclusionis provinciam solus sustinens proficisci deberet à simili habitu, eo videlicet qui vnus, & indiuisibilis existens ad assensum præmissarum, necnon conclusionis intellectum nostrum inclinaret, ac facilem redderet : sed huiusmodi habitus non potest in nobis reperiri : ergo nec actus, de quo est controuersia.

Decimum argumentum superiori affine : si posset 63
dari actus aliquis in nobis simul attingens præmissarum, & conclusionis obiecta, pari iure posset in nobis dari actus quidam vnarũ præmissarum, & aliarum specie differentium obiecta formalia indiuisibiliter respiciens : hoc autem admisso actu similis habitus nequiret non admitti: quamobrem non tantum darẽtur in nobis tot habitus intellectuales quot præmissæ obiectiuæ specie diuersæ, sed etiam infiniti alij, scilicet pro innumeris combinationibus variarum præmissarum, & obiectorum formalium : nulla siquidem esset combinatio, quæ vnum quendam peculiarem habitum non postularet : consequens autem est inauditum inter Scholasticos, vt optime disputat in simili P. Martinez l. 3. de ent. supernat. disp. 47. s. 2. n. 11.

Postremum argumentum : non potest fieri vt vnus 64
indiuisibilis actus intellectus nostri respiciat plura vt plura : nam actus omnis intellectus nostri est motus quidam intentionalis : sicut autem vnus motus Physicus & progressiuus vnum terminum exposcit, nec vnquam contingit, aut potest, vt eodem motu Physico diuersa loca petamus, ita similiter, vno eodemque motu intentionali, siue intellectus actu in plura, ac diuersa obiecta, vt plura ferri non possumus. Quæ ratio, sicut & sententia per eam probata, videtur esse. B. Thomæ 1. p. q. 58. art. 1. corpore his verbis : *sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, ita ad vnitatem operationis* (vtique intellectualis, de qua sola est sermo) *requiritur vnitas obiecti.* Et paulo infra: *ex quo patet, quod multa, secundum quod sunt distincta, non possunt simul intelligi.*

Secundæ decisioni nostræ refragantur Gregorius 65
in 1. dist. 7. q. 5. art. 2. & quidam alij Nominales, quos suppressis nominibus refert Hurtadus disp. 7. de anima, s. 3. §. 18. Eorum sententia sequentibus argumentis potest suaderi : discursus intentionalis nihil aliud est quam transitus ab vno obiecto ad aliud, sicut discursus Physicus consistit in transitu ab vno loci spatio ad aliud : ast vbi cognoscatur vnum obiectum per aliud, siue in alio, datur eiuscemodi transitus: ergo & discursus intentionalis: quapropter, siuè in nobis siuè in Angelo, aut certe in Deo solo reperiatur actus, qui manens vnus, & indiuisibilis, vnum propter aliud cognoscat, non poterit non rationem discursus obtinere. Secundo : Deus opt. max. formaliter discurrit : atqui non per distinctos realiter actus, quæ est eius infinita simplicitas, sed per vnũ duntaxat: salua igitur manet in vno solo tota discursus essentia, & quidditas : maior, de qua sola potest esse dubitatio, suadetur hunc in modum: ratio cum discursu recurrit & eadem est : vnde homo vt discursiuus sic rationalis dicitur ; contra vero belluæ, quoniam discursu sunt destitutæ, ratione quoque carent : at in Deo est perfectissima ratio: an enim audeas, eum irrationalem appellare? pulchre Boetius lib. 3. metro. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, cælique sator : qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri,

Concinit Manilius in Astronomico lib. 1.

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diuersa condita forma
Aeris,

Aëris, atque ignis, terræ, pelagique iacentis
Vis animæ diuina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Tertiò discursus Physicus, & localis postulat suapte natura multiplicitatem, ac diuersitatem realem, non tantum motuum, sed etiam locorum à quorum vno ad alium res sit mouenda: sed discursus intentionalis non exigit propterea distinctionem realem obiectorum à quorum vno ad aliud intellectus sese moueat intentionaliter, sed sola eorum distinctione rationis est contentus, vt constat in hoc syllogismo: omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis: quorsum ergo efflagitet diuersitatem, ac pluralitatem realem actuum, siue motuum intentionalium? Aut paulo aliter: non magis vna distinctio, ac pluralitas realis quam alia requiritur ad discursum intentionalem, si analogiam, ac proportionem cum discursu Physico spectes: sed vna non est requisita: ergo nec alia. Quarto ad discursum Physicum, & localem necessaria est successio realis partium, quibus constat, vtque vna sit post aliam, & nullæ sint simul: at non est opus successione actuum ad discursum intentionalem: eius siquidem partes nimirum præmissæ, & conclusio possunt esse simul, ac debent aliquando: quâquam ergo distinctio realis motuum, & vbitatum necessaria sit ad discursum Physicum, nihilominus distinctio realis actuum neutiquam erit requisita ad intentionalem. Quintò, & postremo: discursus intentionalis, qualiscunque sit, & etiamsi sit formalis, tamen est impropriè & metaphoricè discursus, translatione nimirum vocis ab eo qui Physicus est, ac localis: quidni ergo possit in Deo admitti, ac proinde in vno reperiri actu? quemadmodum eadem de causa discursum virtualem & eminentialem, nemo veretur in Deo admittere, nemo consequenter, in vno actu respuere.

Caput VII.

Superiorum difficultatum solutio.

66 Quamuis argumenta superiora numero ac difficultate negotium facessant; cæterum tanti non sunt, vt ea propter veriorem, & communiorem Scholasticorum sententiam cogar deserere. Primum aduersus priorem eius partem argumentum haud vrgerinam dici ad illud potest, eum actū, dequo est disputatio, esse virtualiter, siue eminenter discursiuum, & formaliter non discursiuum, vt ex suprà dictis constat. Ad secundum, eum haud fore dependentem, propterea quod requiratur ad dependentiam pluralitas, ac distinctio realis actuum, qua tamen est ille destitutus: quod autem attingat vnum propter aliud, nihil obest vt enim bene obseruant Caietanus, Tellez & alij impresentiarum vocula, *propter*, non semper dependentiam vnius actus ab alio, sed multoties solam significat obiectorum connexionem. Ad tertium dici debet, haud absurdum esse, quod respectu diuersorum vnus actus sit clarus simul, & obscurus, certus, & incertus affirmans, & negans, vt constabit tract. 12. huiusmet libri inter explicandam, ac tuendam possibilitatem actus, qui simul sit scientiæ, & opinionis.

67 Ad quartum dicendum est, eum, quo de loquimur, actum fore omnino supernaturalem: quod autem simul cum obiecto supernaturali aliquid naturale attingat nihil referre, quandoquidem naturalia possunt supernaturaliter attingi, quo pacto plures veritates ratione naturali demonstrabiles lumine tamen fidei nobis innotescunt. Ratio à priori est, quoniam vt entitas aliqua sit supernaturalis sufficit, vt aliquo ex titulo naturæ vires excedat, nec requiritur vt ex omni: quocirca actus ille, quamuis provt cognoscitiuus præmissæ obiectiuæ naturalis non superet naturam, sed solum prout cognoscitiuus alterius supernatutalis, nihilominus erit absolutè supernaturalis ordinis, atque ad hoc perfectionis culmen ascendet. Rursus si tendentia in obiectum naturale eius cognitionis obstat supernaturalitati, sit naturalis quantumuis alteri obiecto supernaturali intenta: siquidem supernaturalia possunt naturaliter aliquando attingi, nisi verò donorum supernaturalium odium, desperationem aut ignorantiam supernaturalis ordinis esse contendas, quo tamen nil dici potest magis impium, nil magis euidenter falsum.

Ad quintum respondeo, actum illum, de quo disputamus, vni obiecto probabili, & alteri certo, & supernaturali indiuisibiliter intentum, & ex vtroque aliud seipso, & sine alterius adminiculo colligentem haud esse supernaturalem, sed duntaxat naturalem, propter imperfectionem falsitatis, cui est ex natura rei obnoxius, vt docet Ripalda lib. 3. de ente supernat. disp. 58. num. 2. Nec verò dici potest, immeritò nos supponere actum in controuersia positum esse omninò naturalem: quod enim aliquid supernaturale attingat, eius naturalitati non obstat, vt ex proximè dictis luculenter constat. Hæc cum ita sint, quanquam concedamus, talem actum posse esse falsum, haud propterea concedendum nobis est, haud ex nostris principiis vllatenus sequitur, actum vllum supernaturalem esse posse falsitatis capacem. Argumentum igitur ordine quintum, in quo huiusmodi capacitas obiicitur, nullius prorsus est momenti. 68

Secundò responderi potest, & quidem probabiliter, permittendo, actum, cuius vnum obiectum est incertum, & aliud certum, ac supernaturale, eo ipso esse supernaturalem: tantæ tamen, ac tam ingentis perfectionis merito reiiciet quidem falsitatem circa obiectum probabile, & suapte natura incertum, iuxta eundem Ripaldā citato lib. 3. de ent. supernat. disp 47. sect. 2. num. 26. propè finem: nihil autem eius obesse supernaturalitati, quod alterum eius obiectum sit naturale, superius est notatum in simili. Tertio alij respondent, vel potius difficultati succumbunt, aientes cum Scoto in 3 dist. 23. q. 1. & maiore in 2. dist. 23. q. 10. actū supernaturalem posse falsificari etiam ex natura rei. Quod tamen non possit est longe verius, & communius: idque præter alios docent Suarez de fide disp. 3. sect. 13. & disp. 6. sect. 5. Torres disp. 3. dub. 3. Conninck disp. 10. dub. 4. B. Thom 2. 2. q. 1. art. 3. B. Bonau. in 3. dist. 24. q. 1. & communiter reliqui Scholastici. Quin etiam ne diuinitus subesse posse falsum actui vlli supernaturali docet P. Hurtadus de fide disp. 19. sect. 3. ac pro hac sententia refert Caiet. 2. 2. q. 1. art. 1. Durand. in 3. dist. 24 q. 2. Alexand. 3. p. q. 68. Lorcam 2. 2. disp. 10. n. 4. Valentiam tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 3. Bannezium, & Aragonium 2. 2. in art. 3. & alios. Sed de toto hoc puncto latius in Theologia. 69

Ad sextum respondeo, eum actum esse vnius duntaxat speciei, & non multiplicis: haud enim est nisi præmissæ, & conclusio virtualis: ad summum autem præmissa, & conclusio formalis diuersas species constituere possunt: imò iuxtà aliquos ne hæ illas constituunt, propterea quod obiectum vtriusque motionum, ac proinde specificatiuum sit idem: 70

quare

quare secundum eosdem vnus est earum habitus & non multiplex. Declaratur solutio: vt obiectum formale tribuit speciem actui, ita materiale indiuiduationem: atqui vno, eodem numero actu, siue, quod perinde est, eodem indiuiduo actu possunt plura obiecta materialia attingi, vt si quis eadem electione propter sanitatem amet formaliter, & intrinsecè plura medicamenta, aut propter amici testimonium credat vno quidem humanæ fidei actu plura ab eo relata, aut ex assensu rationalitatis v.g. inferat, hominem esse simul risibilem, & admiratiuum, ita vt vtraque passio sit obiectum materiale vnius, eiusdemque conclusionis si quidem igitur vno, eodemque specie actu respici possint plura obiecta formalia intrinseca, cuiusmodi sunt conclusionis, & præmissarum; conclusionis inquam non reflectentis intrinsecè suprà præmissas obiectiuas; hæc enim sola sibi vendicare potest obiectum formale diuersum ab eo cui præmissæ formales incumbunt: perperam ergo infertur aduersus nos, eum quem tuemur actum fore non vnius, sed multiplicis speciei.

71 Ad septimum respondeo citato illo cap. 4. huiusmet præsentis tractatus, multis rationibus à me nisi fallor euictũ esse posse dari in intellectu nostro, tum supernaturaliter, tum etiam aliquando naturaliter. actum, qui iudicet de obiecto suo sine vlla eius apprehensione prænia. Ibidem etiam ostensum est, argumenta pro diuersa opinione adduci solita quam sint inania, quam difficultatis omnis expertia. Ad octauum respondeo: etiamsi intellectus noster eodẽ indiuisibili actu possit vnum in alio, siue propter aliud cognoscere, atque eatenus similem se gerere Deo & Angelo, tamen aliis nominibus vtrique decedet, atque cognoscendi primas deferet: Deo quidem, quia hic vnum propter aliud, siue in alio cognoscens totum hoc seipso quantus, quantus est, præstat: Angelo verò, quia hic si non seipso, at actu magis claro quam nobis inesse soleat, magisque simplici, & apprehensionis præuiæ in egeno vnum in alio contuetur.

72 Ad nonum respondeo, nulla compertum esse experientia, quod non sit vnquam in nobis vnus indiuisibilis habitus, qui simul sit præmissarum, & conclusionis: quod enim experimur est, nos aliquando faciles esse ad præmissas disponendas, & non ad inferendam conclusionem, aut è contrario ad huius illationem, non vero ad illarum dispositionem artificiosam, adeóque inesse nobis diuersos habitus ad vnum, alterumque munus: at cum hac diuersitate habituum quidem cohæreat tertius habitus vtrique æquiualens, qui facilitatem conferat ad discursum virtualem, sicut illi, queis æquialet, eam dant ad formalem. Ita, licet diuersi sint in nobis actus præmissarum, nec non conclusionis, vnus tamen eis indiuisibiliter æquipollens in nobis reperitur aliquando, vt superius probatum.

73 At fortasse aliqui nostræ sententiæ assertores iudicabunt, neutiquam in nobis inueniri tertium illum habitum, qui simul sit præmissarum, & conclusionis, non quod experientiæ repugnet, sed alio ex titulo, videlicet quia est superfluus: non enim est necessarius ad eliciendum discursum formalem, & quibus constat, distinctos actus, cum his sufficiant distincti habitus præmissarum, & conclusionis: non etiam ad discursum virtualem, cum hic ab iisdem proficisci possit, qua nimirum tendit in obiectum conclusionis ab huius peculiari habitu, & qua in obiectum præmissarum ab earum habitu etiam proprio. Cæterum nulla eius tertij habitus superfluitas; tum quia confert maiorem facilitatem, quam si sine illo existerent in intellectu tantum diuersi habitus circa eadem obiecta: tum etiam quia in absentia distinctorum habituum conclusionis, & præmissarum potest ille deseruire ad eliciendos earum actus, nec non etiam ad illum qui sibi est assimilis, & proportionatus. Et quidem vti præmissæ, & conclusio actuales, cum sunt distinctæ, distinctos habitus generant, non est quapropter vnum, eundemque plurib̃us æquialentem non producant, si quando distinctione omni carent ac sunt vnus realiter actus.

Ad decimum respondeo, admisso in nobis eo intellectus actu, qui indiuisibiliter feratur in plura obiecta formalia diuersarum præmissarum; item habitu indiuisibili ei respondente, ac totidem obiecta formalia respiciente. Quod autem hinc sequatur infinitas aliqua habituum est omnino falsum: quando namque sunt semper finiti, ac fortasse numero pauci, actus illi, quorum quiuis plura obiecta formalia diuersarum præmissarum attingat, necessum etiam est, vt habitus per eos acquisiti sint finiti, vel pauci; quo pacto habitus illi acquisiti, quorum quiuis vni duntaxat obiecto formali incumbit, nec nisi ad vnam præmissam eliciendam est distinatus, non sunt innumeri, sed potius numero finiti, videlicet eadẽ de causa. Iam quod habitus de quibus est quæstio, nimirum nõ singulis obiectis formalibus singuli, sed pluribus intenti, propter id neutiquam sint superuacanei, aut hoc nomine reiiciendi, superius est ostensum in simili. Vide P. Martinez lib. 3. de ent. supernat. disp. 47. s. 2. num. 11. vbi de habitibus virtutum acquisitarum voluntatis eodem modo Philosophatur quo nos in præsenti de habitibus intellectus. Bene tamẽ ibi censet, quoad virtutes infusas spectat, nullum earum habitum in nobis reperiri, qui plura obiecta formalia indiuisibiliter respiciat: alioqui necessum esset admittere infinitos iuxta innumeras combinationes obiectorum formalium, quas nunc vno simul actu, nunc alio possumus intueri. Quod autem huiusmodi actus sint finiti, non obstat: quandoquidem ab eis habituum supernaturalium infusio minimè dependet: satis ergo erit actus hos mixti generis nobis possibiles esse innumeros, vt tales sint habitus infusi ad eos eliciendos destinati, ac præuiè necessarij, vbi semel admittantur in nobis aliqui ab vnius generis vnico obiecto formali commensi suapte natura distincti. 74

Ad postremum respondeo suprà, cap. primo, & tertio huiusmet tractatus, necnon in Dial. lib. 3. tract. 2. cap. 4. affatim probatum esse, quod vnus idemque actus noster possit plura vt plura representare: ibidem etiam soluta sunt quædam argumenta Thomistarum in contrarium fieri solita. Quod autem huc reiectum est non est ponderis alicuius: nam ex imperfectione motus Physici, siue corporei, & naturalis orirut quod nisi vnum terminum non habeat pro vnitate corporis quod mouet: proinde motus intentionalis, qui longè perfectioris & altiotis est ordinis, multiplicem terminum ad quem, pleraque obiecta vt plura poterit suo sibi iure vendicare. Adiice, ipsum motum localem, vbi sit spiritualis, & non materialis, atque imperfectus posse habere terminum ad quem, non vnum, sed multiplicem, ac diuersum, vt cum Angelus v. g. vno motu plures locos deserit, ac totidem denuò acquirit. B. Thomas, si forte est contrarius, haud est sequendus: sed forte hoc tantum sibi vult, plura vt plura non cognosci sine aliqua eorum vnitate, qua scilicet omnia dicantur vnum quodammodo, vel ab vno actu, vel 75

ab

ab vno intellectu, vel ab aliquo ipsorum obiectorum mutuo respectu, & connexione reciproca. Vide P. Hurtado disputatione 5. de anima, sectione 7. §. 25. prope finem.

76 Ad primum argumentum contra posteriorem verioris sententiæ partem dici debet, transitum ab vno obiecto ad aliud tunc esse discursum, quando vnum ex alio cognoscit, non verò quando vnum in alio, siue per aliud cognoscit, vt docet B. Thomas 1. p. q. 58. artic. 3. ad 1. & quæst. 8. de verit. artic. 15. & cum eo Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 2. artic. 3. in solutione ad primum Gregorij contra 10. conclusionem. Quis asserat, visionem externam, & materialem homini cum bellua communem esse discursiuam? nihilominus vnum in alio scilicet obiectum directum in speculo cognoscit, & intuetur. Quamuis ergo vna indiuisibilis cognitio nostra transeat ab vno obiecto ad aliud vnum in alio cognoscendo haud erit propterea discursus, videlicet quia vnum ex alio cognoscit. Vel etiam dici potest, discursum esse transitum ab vno obiecto provt tali ad aliud cognoscendum: obiectum autem, provt tale, reduplicat cognitionem, ac proinde discursus erit transitus ab vna cognitione ad aliam: ex quo fit, si quando cognoscitur aliquid eodem indiuisibili actu, hunc non esse discursum, videlicet quia non transit ab vno obiecto, provt tali, ad aliud, siue quod instar est, ab vna cognitione ad aliam.

77 Ad secundum dicendum est, rationem bifariam sumi posse: primò vt cum intellectu recurrit & eadem est: atque in hoc sensu Deus rationalis est, quin tamen inde possit colligi, eum esse discursiuum. Secundò, & strictius, provt incidit in idem cum vi discurrendi: sic autem ratio claudit imperfectionem, nec in Deo est admittenda: quo etiam modo sumpta ne in Angelis circa non pauca obiecta locum habet, eique non tam rationales dicendi sunt quam intellectuales, vt docet B. Thomas citata 1. parte, quæst. 58. artic. 3. Molina ibidem, & alij eius interpretes.

78 Ad tertium dici debet, in primis haud omnem discursum physicum postulare locorum diuersitatem, & non duntaxat motuum: nam qui circularis est, & corpus cœleste in orbem reuoluit, & continuò gyrat, semper fit in eodem loci spatio, nec post mille reuolutiones, aut quantasuis alias aliud quam antea denuo acquirit. Deinde ad discursum physicum haud opus est diuersis locis realibus & physicis, sed tantum imaginariis, vt si res moueatur per vacuum, tantumque ad illum sunt necessarij diuersi motus physici, ac reales, & quæ eis diuersæ vbitates respondent: bene ergo est quod ad discursum intentionalem sit necessaria distinctio realis, ac physica actuum, motuumve intellectus, solaque distinctio rationis, & veluti imaginaria obiectorum. Denique quamuis discursus intentionalis dictus sit à physico, haud propterea opus est, vt alter alterum æmuletur quoad omnia, adeoque potest vnus more alterius distinctos motus physicos postulantis diuersas similiter cognitiones, ac motus rationis petere, non tamen, sicut alius diuersa loca exposcit, diuersa pariter obiecta postulare.

79 Atque hinc constat ad quintum argumentum. Quod autem ordine postremum est haud magnopere premit; nam etsi discursus formalis nostri intellectus sit impropriè discursus, tamen secus, ac virtualis, siue eminentialis: hic siquidem omnem compositionem, & pluralitatem actuum adeoque imperfectionē exuit, ac proinde in vno actu potest saluari, atque in Deo reperiri: ille vero prior haud est ab omni compositione, & imperfectione immunis, quantumuis sit improprius, & translatitius: etenim non omnis translatio, ac metaphora quæ sunt imperfectionis abolet, vt videre est in homine picto, qui tametsi sit metaphoricè homo, haud tamen de Deo dici potest, quæ est eius imperfectio: hæc etenim prædicatio est euidenter falsa, *Deus est homo pictus, siue simulacrum, aut idolum hominis.*

CAPVT VIII.

Quam dependentiam actuum argumentatio importet.

80 ASserendum est primò, conclusionem haud ita pendere à præmissis argumentationis, vt hæ illam propriè efficiant, sed duntaxat ita vt ad eius effectionem intellectum excitent, & illuminent, instarque solius causæ directiuæ ad illam concurrant. Sic Hurtadus disputatione 7. de anima, sect. 8. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 5. §. 8. Auersa quæst. 25. Logicæ sect. 3. §. *Secundo dubitari potest*, & plures alij Neoterici. Probatur autem: quia regula ad actum regulatum efficienter non concurrit, vt constat, tum ex physic. cum sermo esset de caus. final. & exemplar. tum etiam ex Dialect. lib. 2. tract. 3. cap. 7. vbi regulas Dialecticas ad actus aliarum scientiarum efficienter non concurrere, sed directiuè tantum est multipliciter ostensum: atqui præmissæ conclusionem regulant. Deinde quoniam experientia docet præmissas in genere causæ formalis extrinsecæ, siue mouentis, aut illuminantis ad conclusionem concurrere: alterius vero concursus maioris nimirum efficientis nulla potest esse necessitas, vtilitas nulla.

81 Asserendum secundo, assensum conclusionis haud pendere essentialiter à præmissis, sed sine eis esse posse. Probatur assertio: namque in primis actus, siue intellectus, siue voluntatis per alium regulatus sine illo esse potest, hic v.g. *homo est animal rationale*, sine hoc dictamine Dialectico *definitio constat genere, & differentia*: haud enim illud, haud aliud vllum est simpliciter necessarium ad actus aliarum facultatum vt in Dialect. vbi paulò suprà visum: igitur etiam conclusio à præmissis quodammodo regulata sine iis esse potest, ac proinde ab iis essentialiter nō depēdet. Rursus præmissæ à conclusione à posteriori essentialiter non pendent, ita vt sine ea esse nequeant, vt iam iam constabit: igitur è conuerso conclusio à præmissis à priori essentialiter non pendent, ita vt sine iis esse non possit: quæ enim est vnius quam alterius dependentiæ essentialis maior necessitas? Postea calor B. v.g. productus à calore A non dependet ab illo essentialiter, sed sine eo potest etiam naturaliter esse, & in eius absentia à solo Deo, vel ab alia causa secunda conseruari: par ratio est vnius ignis respectu alterius, & cæterorum effectuum comparatione causarum, à quibus physicè prodeunt: similiter ergo hic assensus v.g. *omnis homo est risibilis*, illatus ex hoc, *omnis homo est rationalis*, potest esse, & conseruari sine illo, & vel immediatè ac per se, vel munere alterius principij existere. Huic assertioni nostræ fauent ex parte Conimbr. tom. 2. Logicæ in c. 1. de prægnitis q. 3. art. 2. post medium Tellez 1. p. summæ disp. 17. sect. 3. num. 4. & alij qui docent, assensum conclusionis sine præmissis actu existentibus per solam earum recordationem elici, & contineri posse adstruunt: magis vero fauent recentiores ij, qui ne recordationem præmissarum ad conclusionem, eius spectata substantia, requiri existimant. Denique fauet expressè Gabriel q. 8. prol. dub. 2. Illud autem animaduertendum est, si non sit sermo de assensu conclusionis secundum se, &

specificatiuè

specificatiuè sumpto, vt hactenus, sed de eo reduplicatiue sumpto, & provt est conclusio, ita illum dependere essentialiter à præmissis, eorumve saltem memoria, aut habitu: id quod omnes sentiunt, & merito; nam conclusio, provt talis, illationem à præmissis, harumque influxum & quandam coexistentiam formalem, aut virtualem reduplicat.

82 Asserendum est tertio, conclusionem haud ita pendere à præmissis, vt hæ, siue probabiles, siue euidentes sint, ad illam necessitent quoad exercitiũ; quin potius eis suppositis posse nihilominus intellectum impediri, aut renuente voluntate, aut alio superueniente obstaculo ne quidpiam concludat. Ita Beatus Thom. 1.2.q.17.art.6. Rubius lib. 1. poster. c.1.q.8. Murcia in log. lib. periherm. disp. 3. quæst. vltima Auersa. q. 25. log. l. 3. Onnia in præsenti quæst. vnica art. 2. §. *iam dico* Tellez in log. disp. 17. s. 5. n. 4. Probatur assertio: positis præmissis quibuslibet intellectus potest non elicere assensum conclusionis: ergo præmissæ ad assensum conclusionis quoad exercitium non necessitant: antecedens suadetur: haud enim de bonitate consequentiæ potest esse dubium: experientia teste contingere multoties solet, vt intellectus conclusionem non eliciat, nec possit, vel quia distrahitur per alia obiecta, vel quia sine vlla distractione obiectum conclusionis non apprehendit, eiusque non recordatur, vel quia in assensu conclusionis noua aliqua difficultas ei occurrit, propter quam non tantum conclusionem non elicere cogitur, verum etiam præmissas reuocare, ne si illarum falsam conclusionem inferat, aut certe periculo falsitatis sese exponat. Secundo intellectus est finitæ, & limitatæ virtutis: demus ergo illum tot actus elicuisse, vt positis duabus præmissis nõ supersit ei virtus ad alium actũ: sanè in hoc euentu intellectus positis præmissis conclusionem cohibere poterit, imò, quod plus est, non poterit eam elicere.

83 Respondent quidam aduersariorum, præmissas tunc solum necessitare ad conclusionem quoad exercitiũ, cum intellectus positis præmissis habet omnia requisita ad conclusionem si enim hæc adsint voluntas per nolitionem efficacem cohibere non poterit assensum conclusionis: at in duplici euentu superius posito desunt intellectui aliqua ad concludendum requisita. Contra tamen: quia hæc solutio largitur intentum, videlicet præmissas secundum se sumptas ad conclusionem necessitare non posse, easque ex defectu alicuius requisiti cum defectu conclusionis cohærere. Deinde falso suponunt hi Auctores, actum voluntatis, quo intellectum concludere velit, & imperet, ad conclusionem non requiri: siquidem intellectus non est magis potentia necessaria quam potentia loco motiua: sed hæc actum voluntatis efficacem ad suas functiones postulat, ita vt positis aliunde ad se localiter mouendam, volnntas tamen postulat, ita vt positis omnibus requisitis aliunde ad se localiter mouendam, voluntas tamen possit localem motionem impedire: similiter ergo intellectus positis aliunde requisitis omnibus ad aliquem actum suum interdum tamen à voluntate impediti poterit, ne eum eliciat: cur ergo positis præmissis hoc vsuvenire credendum non sit? præterea sicut præmissæ ad conclusionem dirigunt, ita apprehensio ad iudicium; imò apprehensio immediatius, & longè magis necessario ad iudicium dirigit, quam præmissæ ad conclusionem, ad quam tantum mediante apprehensione conclusionis obiectiuæ dirigunt, & quæ sine præmissis sæpissime potuit elici, & elicita conseruari, sicut nuper visum: at apprehensio iudicium præcedens ita pendet ab imperio voluntatis, vt posita apprehẽsione, & reliquis requisitis exparte intellectus adhuc iudicium interdum suspendi possit; ergo, &c. Cur autem apprehensio sit aliquando independens ab eo voluntatis imperio, nimirum cum euidens est, præmissæ vero nunquam, statim constabit.

Ipse eandem sententiam suadeo vna, vel altera ra- 84
tione non exiguæ, nisi fallor, efficacitatis. Sola propositio euidens obiecti ad eius assensum ita intellectum necessitare potest, vt ab eo suspendi nequeat, sed præmissæ, qualescunque sint, obiectum conclusionis euidenter intellectui non proponunt: ergo, &c. Maior probatur: tum quia visus solum necessitatur ad videndum obiectum, ita vt illud non videre, seu discernere nequeat, quando obiectum euidenter ei proponitur, secus vero cum ei obscure repræsentatur, vel quia eminus, vel certe quia sub luce maligna ei apparet: ergo similiter intellectus, &c. Tum etiã, quia ideo apprehensio obscura obiecti ad eius assensum obscurum, & probabilem intellectum non necessitat quoad exercitium, quia ea apprehensio obiectum intellectui non euidenter, sed obscure, & probabiliter proponit. Minor probatur: namque obiectum conclusionis est identitas extremorum immediata inter se: sed præmissæ hanc identitatem euidenter intellectui non proponunt, nec repræsentant, cum eam tantum implicite, & virtualiter repræsentent, solamque identitatem mediatam, & in tertio extremorum explicite, & formaliter repræsentent, vt certo certius. Atque ex his constat, cur nam præcedente apprehensione euidenti alicuius obiecti non possit eius iudicium à voluntate cohiberi, possit autem assensus conclusionis, non obstante quantauis euidentia præmissarum: si quidem apprehensio prævia, & subsequens iudicium sunt circa idem obiectũ explicite, & immediate, quocirca vbi apprehensio sit euidens sui obiecti talis non esse non poterit circa obiectum iudicij, sicut ad necessariam huius sequelam oportet: Cæterum obiectum præmissarum, provt tale, distinguitur ab obiecto conclusionis: proinde earum euidentia non redundat in obiectum conclusionis, nec illud clarescere facit intellectui, sicut ad eius necessarium assensum opus est.

Rursus hæ propositiones intellectui possunt à Deo 85
infundi, *Quidquid Deus reuelat ita est, sed Deus reuelat in instanti. A. tres propositiones: in eodem intellectu neutiquam simul existere:* sed hæ propositiones ad hunc assensum: *ergo tres propositiones in eodtm intellectu in instanti A. neutiquam existunt*, ad hunc inquam quoad exercitium non necessitant, quantumuis eius obiectum virtualiter, & implicite repræsentent, & intellectui proponant, imò eum ne diuinitus in instanti. A. inferre possunt; alias falsum subesse posset diuinæ reuelationi, quippe quæ asserit, nunquam concurrere simul in eundem intellectum tres propositiones, nunquam in eo ex duabus sequi tertiam: quantumuis igitur quæcunque aliæ præmissæ identitatem extremorum cum tertio repræsentent, atque adeo eorum identitatem immediatam inter se intellectui quodammodo offerant, & implicita, ac virtuali ratione proponant, adhuc ad assensum conclusionis circà eam identitatem quoad exercitium non necessitabunt.

Asserendum est quartò, præmissas, siue euiden- 86
tes, siue probabiles sint, ad conclusionem quoad speciem interdum non necessitare, interdum vero necessitare, ac proinde conclusionis dependentiam à præmissis aliquando necessariam non esse quoad speciem, aliquando vero esse ita necessariam. Prior assertionis nostræ pars non paucis displicitura probatur, hunc in modũ: concessis præmissis potest & solet intellectus negare conclusionem, eique per actum contrarium dissentiri: præmissæ

igitur ad conclusionem quoad speciem non semper necessitant. Antecedens probatur primò experientia ipsa,quæ in scholis est frequentissima.Deinde secundò:quia si qua de causa intellectus cõcessis præmissis conclusionem negare non posset,maximè,quia intellectus duo contradictoria assereret, nimirum aliqua esse idem vni tertio per præmissas,& non esse idem inter se per conclusionem negatam quæ sanè inter se contradicunt: sed hæc ratio,qua aduersarij præcipuè innituntur, nullius est momenti: ergo, &c. Minor probatur:quia intellectus duo contradictoria, præsertim virtualiter talia,potest confusè,& implicitè affirmarè, vt in Dialect. lib.10. appositissimis, nisi fallor, ostensum est exemplis cum sermo fuit de insolubilibus:ast qui concessis præmissis conclusionem negat, eique dissentit,interdum confusè tantum,& implicitè duo contradictoria affirmat: ergo, &c. Postrema hæc minor suadetur.

87 Tum quia aliud est,actum aliquem,in se euidentem & explicitum esse respectu sui obiecti,aliud explicitè, & euidenter contradicere alteri actui circa oppositum versanti: nam hic actus, *Deus est vnus*, in se euidens est;& tamen huic actui, *Deus non est trinus*,non euidenter,sed obscurè contradicit,& illo priori actu concesso hic posterior negari potest, & solet, videlicet quia prior tantum mediatè, ac materialiter, adeoque confusè,& non clarè repræsentat veritatem posterioris falsitati oppositam, videlicet Dei Trinitatem, cumque ea connectitur: quamuis ergo præmissæ aliquæ in se euidentes sint, aut certè explicitæ comparatione sui obiecti, tamen interdum poterunt non opponi conclusioni negatæ euidenter & explicitè, sed tantùm confusè & implicitè: quapropter cum idem sit,duos actus confusè tantum contradicere,ac duo contradictoria confusè affirmare, sanè iudicium præmissarum, & conclusio negata duo contradictoria confusè tantum, & implicitè interdum affirmabunt.

88 Tum etiam quia modi directi primæ figuræ longè euidentius concludunt, quam reliqui modi, siue indirecti, siue aliarũ figurarum,vt ex reductione ostensiua reliquorum modorum ad illos quatuor, & ex communi Dialecticorum consensu perspicuum est:at non alia ratione, nisi quia concessis præmissis in aliquo ex iis quatuor modis, si quis nihilominus conclusionem negaret,duo contradictoria virtualia,vt talia proposita, & explicitè, & clarè cognita, semper affirmaret, cum tamen in aliis modis id sæpè sæpius non vsuueniat: igitur qui concessis præmissis conclusionem in modis indirectis, aut secundæ, vel tertiæ figuræ negat interdum confusè solum,& implicitè duo contradictoria affirmat.

89 Posterior assertionis nostræ pars plerisque auctoribus citra dubium placitura, suadetur primò experientia,qua sæpissimè in scholis cernimus,iis à disputante respondentem syllogismis vrgeri, vt si præmissas concedat eo ipso conclusionem necauſit,nec possit inficiari. Quis mentis compos concessis his præmissis, *si sol lucet dies est, sed sol lucet*, possit negare hanc conclusionem, *ergo dies est*, siue quod perinde est, asserere diem non esse. Idem est de compluribus aliis præmissis, quæ ex sola apprehensione terminorum à dissensu conclusionis efficacissimè auertunt. Secundò à priori:quia nequit intellectus falsò clarè,& euidenter proposito vt tali assensum præstare;saltem ex natura rei,& secluso miraculo: at si quis assereret, duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se, si quis,inquam, hoc explicitè,& clarè,ac sub his terminis assereret,falsò euidenter cognito vt tali assensum præberet:ergo nequit quis hoc asserere. Quod si concessis his præmissis, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se,sed Petrus & animal sunt idem vni tertio,homini,v.g.hanc conclusionem negaret,ergo Petrus,& animal sunt idem inter se, seu ergo Petrus est animal, is sanè duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se clarè,& explicitè,ac sub his terminis affirmaret:concessis igitur iis præmissis nequit ea conclusio negari. Minor probatur: quoniam aliqua duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se euidenter falsum est: qui ergo id assereret,falso euidenter tali assensum exhiberet.

CAPVT IX.

Aduersùs superiorem doctrinam repelluntur variæ aliorum obiectiones.

PRæmissas, contra quam docuimus assertione prima,efficienter,ac non directiuè tantum concurrere ad conclusionem tuentur Ferrariensis 1. contra gent. c.57. Sotus 1.posterior. q.1 ad 2.Rubius super caput primum eiusdem lib.q.5. Tellez citata disp.17. Logicæ sect.3. Collegium Conimbr. lib.1.posterior. c.2.q.2.art.2. Idem insinuat Serna disp.4. Log.art.3. necnon cursus Thomisticus q.24.de præcognit.art.2. Arguunt primò auctoritate Aristotelis 1. posterior. c.1.loquentis ita: *Omnis doctrina & omnis disciplina discursiua ex præexistente fit cognitione*,& c.2.ita:*Demonstrationem autem dico ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit*:vbi verba illa,*fit*,& *efficit*,habitudinem causæ non directiuæ modò,sed effectiuæ in præmissis ad conclusionẽ indigitãt.Sed quod attinet ad priorem Aristotelis textũ,eo dũtaxat cõuincitur,cõclusionem fieri, & effici ab intellectu prius illustrato per præmissas:an autem hæ tantum illustrent,ac dirigant intellectum ad eius effectionem,vel potius aliquas in ea efficienda partes sibi vendicent,neutiquã exprimitur, sed in ambiguo remanet: nisi vero non ens entis, lignum ignis,& materia, ac forma hominis causa propriè effectiua dicatur,propterea quod ex non ente ens, ex ligno ignis,& ex materia,& forma homo fiat:particula ergo,*ex*,non semper propriam effectionem significat, sed vel habitudinem termini, à quo, vel causæ intrinsecæ,& componentis,vel cuiusuis alterius:nihil igitur nobis obest,assensum conclusionis iuxta Arist. ex præmissis fieri.Quod ad posteriorem textũ attinet, eum rectè intelligũt Arriaga,& Auersa locis superius citatis de effectione lata,& impropria,atque à concursu directiuo, seu dispositiuo minimè diuersa: quare sicut calor tantum disponens ad ignem vulgo tamen dici solet eum efficere, & quemadmodum cognitio dirigens duntaxat ad amorem,nihilominus dicitur facere,vt amemus,ita & non aliter assensus præmissarum ab Aristotele censetur effectiuus conclusionis.Cui explicationi fauet B.Thom.1.contra gent.c.57.tat.4. *In omni* (inquiens) *scientia discursiua oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis: vnde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire.* Vbi particula, *quodammodo*, est diminuens, & quædam effectionis à propria ad impropriam significationem translatio, quidquid Rubius, & Ferrariensis contradicant. 90

Rursus arguunt exemplo seminis: virtus enim seminalis ab animante decisa producit efficienter aliud, siue alterius efficiendi ratio est, postquam semel est in matre recepta:assensus autem præmissarũ est veluti semen omnium conclusionum:receptus ergo in intellectu simul cum eo cunctas efficit. Verum in primis complures negant semini concursum effectiuum in 91

substantiam

substantiam viuentis, eique tantum concedunt concursum dispositiuum, quo videlicet organisationem accidentalem, & membrorum formationem ad substantialem viuentis generationem prius natura requisitam producat. Deinde, vt alij malunt, inest semini ea vis generatiua, ac viuentis effectiua, ideo quidem erit, quia pater eo mediante dicitur prolem efficere, ac generare, etiamsi sit absens, aut, quod plus est, non existens: at mediis præmissis in intellectu receptis nihil est, quod conclusionem absens, aut non existens dicatur efficere etenim præmissæ sunt virtus solius intellectus & non alterius qua in re maximè dissidet à semine, vt certo certius. Tertio vtuntur aduersarij exemplo speciei impressæ: namque species impressa conclusionis obiectiuæ conclusionem formalem efficienter producit: ergo à fortiori præmissæ specie impressa perfectiores conclusionem formalem efficient. Cæterum vti ignis ignem efficit, homo tamen igne perfectior ignem immediate efficere nequit; ita species impressa præmissis imperfectior conclusionem efficere poterit, quam tamen nequeunt præmissæ efficere. Quapropter argumenti consequentia nulla est, quidquid sit de veritate antecedentis, quam nunc permitto latius de ea actutus in metaphysica.

92 Assensum conclusionis semel elicitum à præmissis sine eis esse nec posse, nec vnquam potuisse, contra quam statuimus assertione secunda, tuentur Hurtad. disp. 7. de anim. s. 7. & Auersa q. 25. log. s. 3. ad finem. Primò, quoniam iudicium, cui prælucet in nobis apprehensio simplex, sine ea nequit esse, aut conseruari. Secundo, quoniam assensus conclusionis, more cuiusuis alterius actus vitalis intellectus, aut voluntatis, includit actionem, sine qua nulla sit vita: omnis autem actio respicit essentialiter suum principium: ergo & conclusio præmissas, ac proinde sine illis non poterit, aut Primò esse, aut posteà manere. Tertiò quia assensus conclusionis terminatur essentialiter ad obiectum materiale: nihil autem esse potest obiectum materiale, nisi merito alicuius obiecti formalis antecedenter cogniti: conclusio igitur postulat essentialiter præuiam, & antecedentem principiorum cognitionem. Sed hæc non vrgent: quod enim iudicium intellectus nostri possit esse diuinitus imò etiam aliquādò naturaliter sine apprehensione præuia supra cap. 5. à nobis est ostensum. Quod etiam non omnis actus vitalis, siue cognitio, & amor actionem includat ostensum est tract. 3. huius lib. præterquamquod esto eam includat haud est propterea censenda quamcunque includere, haud illam qua dirigitur à præmissis, sed duntaxat eam qua efficitur ab intellectu, præsertim cum hæc posterior actio nimirum effectiua, sola sit immanens & vitalis, eiusmodi verò non sic illa prior, nempe directiua: assensus ergo conclusionis eo quod sit actio, & vita non præmissas, sed intellectum essentialiter respiciet, eiusque solius egebit. Denique quod obiectum conclusionis sit materiale, haud facit eam non posse esse sine præmissis: tum quia si pro eo ac potest, supra obiectum præmissarum reflectat, vi huius reflectionis obiectum suum seipsa cognoscet propter aliud, adeoque materiale proprio marte sibi præstituet, nec ad id vllo principiorum indigebit assensu: tum etiam, quia quando non reflectit intrinsecè suprà præmissas obiectiuas obiectum eius intrinsecum haud est materiale nisi per denominationem extrinsecam, & contingentem à præmissis, quæ, si adsint, erit materiale, si vero absint, ac nullatenus præluceant erit formale, non tantum intrinsece, sed etiam extrinsece, hoc sensu quod aliud formale extrinsecum non supponat: titulo igitur obiecti materialis hoc posteriori modo sumpti non est quod conclusio secundum suam substantiam præmissas essentialiter supponat illiusve absentibus eo ipso debeat aut non elici, aut semel elicita deficere.

Intellectum positis præmissis necessitari quoad 93
exercitium ad assensum conclusionis, nec posse hunc ab eo cohiberi, aduersus quam constituimus assertione 3. docent Scotus in 1. dist. 1. q. 4. cum suis, Caietanus 1. p. q. 82. art. 2. Ferrariensis, 3. contra gentes c. 62. Socin. & plures alij Thom. præsertim vero cursus Thom. in log. quæst. 24. de præcognitis, art. 3. Item Durand. in 2 d. 25. q. 4. n. 7. Argentin. q. 4 1. ad finem, Henr. quodlibet. 3. Fonseca 6. met. cap. 1. q. 4. s. 4. Collegiū Conimbricense 1. posterior. cap. 1. q. 4. art. 4 conclus. 2. Hurtadus disp. 7. de anima sect. 4. §. 27. & sequentibus, Arriaga disp 15. log. s. 6. n. 65.

Arguunt autem primò: potentia necessaria positis 94
omnibus requisitis ad operandum nequit non operari: sed intellectus est potentia necessaria, & positis præmissis habet omnia requisita ad conclusionem: non poterit igitur eam non inferre. Arguunt secundò, & præcedens argumentum vnà confirmant, atque declarant: nequit aliquis apertis oculis, & præsente luce rem sibi obiectam non videre, videlicet quia eius potentia visiua suapte natura est necessaria, ac tunc omnibus instructa requisitis: similiter ergo in præsenti, &c. Arguunt tertio: præmissæ repræsentant duo esse idem vni tertio: sed ex hac suppositione est euidēs, ea esse immediate idem inter se: præmissæ igitur hanc identitatē immediatā intellectui euidenter proponunt, ac proinde ad assensum conclusionis circa eam intellectum quoad exercitium necessitabunt.

Arguunt quartò: vnus actus voluntatis ad aliud 95
quoad exercitium multoties necessitat, imperium efficax v. g. ad actum quem ita imperat: igitur etiam vnum iudicium intellectus poterit ad aliud iudicium quoad exercitium necessitare; si quod autem iudicium ita necessitat, maxime iudicium præmissarum ad assensum conclusionis. Arguunt quintò: quemadmodum se habent fines in moralibus, ita principia in speculabilibus: vt est in communi, atque ab Aristole recepta parœmia: sed efficax intentio finis necessitat quoad exercitium ad electionem medij, nec eam vllatenus patitur ommitti: quod si quis finem intendat, & nullum eius consequendi gratia medium eligat, hoc ipso conuincitur, non efficacem, & strenuam, sed inefficacem, ac remissam finis intentionē habuisse: similiter ergo assensus efficax, ac determinatū iudicium principiorū necessitabit ad assensū conclusionis. Arguunt sextò: *ratiocinatio* iuxta Aristotel. lib. 1 prior. c 1 *est oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab his, quæ posita sunt, cum hæc ipsa sint, necessario euenit*: vbi conclusionem ex præmissis necessario sequi asseritita ergo sequitur. Septimò tandem arguunt: præmissæ euidentes plus necessitant ad conclusionem, quam præmissæ probabiles, maioremq; vim intellectui inferunt: at probabiles ad conclusionem, quoad exercitum non necessitant: euidentes igitur ad eam quoad exercitium necessitant, alioqui si neutræ necessitatem vllam imponunt, par erit euidentiæ, ac probabilitatis, ac tantumdem erit in vtraque momenti.

Verum his argumentis prōptum est respōdere. Ad 96
primum: intellectus positis solis præmissis non habet omnia requisita ad inferendam conclusionem: tum quia præter præmissas ad eius illationem opus est, vt exercitio aliorum actuū non sit exhausta virtus intellectus, & vt hic conclusionis immemor non sit atque vt ei non superueniat noua aliqua difficultas, & ambiguitas circa veritatem conclusionis tum etiam

quia præter præmissas ad inferendam conclusionem requiritur imperium voluntatis efficax circa conclusionem, quod imperium cum voluntas cohibere possit, sanè positis præmissis poterit etiam impedire, ne intellectus quidpiam concludat. Ad secundum: vsque adeò exploratum non est, apertis oculis, ac luce præsente visionem externam esse necessariam quoad exercitium: etenim fieri potest, vt quis liberè distractus per alia obiecta ita extra se rapiatur vi contemplationis, aut studiis, *vt coram posita non videat, vt iuxta sonantia non audiat, vt percursam legendo paginam non intelligat*, sicut optimè tenet, & explicat Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animæ cap. 23. Quocirca quod capite præc. à nobis est insinuatum, rem oculis clarè, & euidenter propositam non posse non cerni, quantumuis voluntas renuat, id intelligendum est, nisi ipsa prius imperet, aut permittat nimiam aliquam distractionem, ratione cuius faciat, hominem à corporeis sensibus illocaliter abscedere. Verum enim transeat, apertis oculis, ac luce præsente exercitium videndi necessarium esse, & voluntatis arbitrio minime subiectum, ac proinde, cum quis valde distractus est, rem clarè propositam non tam ab eo non videri, quam visionem non aduerti, vt posteriora Claudiani verba nuper posita innuunt: totum hoc inquam transeat; nihil enim inde colligi potest aduersus assertionem nostram: beneficio namque præmissarum non proponitur intellectui clarè, & explicite, sed duntaxat confusè, & implicitè obiectum conclusionis: poterit ergo huius assensum liberum relinquere, & ad eum eliciendum nulla vi intellectum compellere, quantumuis obiectum oculis clarè propositum, ac
97 luce non maligna affulgès ab eis necessario videatur.

Ad tertium: veritas intellectui euidenter proposita ad sui assensum rapit, atque necessitat, saltem quando virtus intellectus non est per accidens exhausta, aut distracta, aut aliter impedita, vt nuper perstrictum à nobis est, & latius probatum in Dial. lib. 4, tract. 1. c. 3. ex Cicer. lib. 1. Academ. q. vbi docet tam necessarium esse animum rebus perspicue & clare sibi propositis cedere, quam lancem in libra ponderibus impositis deprimi: necnon etiam ex aurea illa, & nunquam satis commendara S. P. nostri Ignatij epistola de obedientia, vbi docet, subditū excusari ab obediendo superiori, quando cogit illum euidētia veritatis cognitæ. Cæterum præmissæ nunquam intellectui obiectum conclusionis euidenter proponunt, cum illud tantum virtualiter; & implicite repræsentent, prout sæpe sæpius dictum. Quod autem euidēs sit, ex suppositione quod aliqua vni tertio eadem sint ea esse idem inter se, in contrariū non obstat: siquidem non ea veritas conditionalis per præmissas
98 repræsentatur aut intellectui proponitur, sed alia absoluta, nec si proponatur, est obiectum conclusionis.

Ad quartum: sicut vnus actus voluntatis ad alium interdum quoad exercitium necessitat, sic etiam vnus actus intellectus ad alium: cæterum eum actum intellectus alterius necessario illatiuum non esse iudicium præmissarum, respectu conclusionis nostræ, rationes suadent, atque persuadent: quare erit apprehensio euidens obiecti respectu iudicij circa illud, ea, inquam, apprehensio, vel secundum se, vel saltem prout non impedita per accidens vi alicuius nimiæ distractionis per alia obiecta, siue alterius rei similis: aut eiusmodi actus intellectus alteri necessitatem imponens erit in Thomist. sentent. imperium illud intellectus quod his vocibus, *fac hoc*, correspondet, & aliquam cognitionem efficaciter imperat. Ad quintum: non omnis intentio finis necessariam facit electionem alicuius medij, sed ea solum, quæ est efficax: cur ergo omnes præmissæ necessitent quoad exercitium ad assensum conclusionis: cur non imitentur aliquæ saltem inefficacem intentionem, atque ad eius instar liberum homini non relinquant, vt concludat, vel à concludendo supersedeat? Rursus quoties ad finem adipiscendum plura suppetunt media cuiusuis electio est libera voluntati, suppositā etiam efficaci finis intentione: quid est ergo, quapropter conclusio æmulari debeat necessitatem electionis vagè, & confusè sumptæ, & non potius libertatem eius determinate, & singulatim acceptæ? Item tertio: ea de causa electio sequitur necessario intentionem efficacem finis, quia non potest voluntas consequi obiectum intentionis, nisi per media: at intellectus non debet consequi præmissarum obiectum secundum eius esse reale, & Physicum, ac tametsi esset ita ei consequendum, conclusionis assensus, & obiectum ad hunc finem nihil posset conferre: quod si sermo sit de consecutione ac possessione intentionali, ita quidem intellectus consequi, ac possideri solet, debetque obiectum præmissarum, non tamen ope conclusionis, sed independenter ab illa, & in priori naturæ, antequam adueniat. Summa est, quod electio necessario sequatur intentionem efficacem, quia consecutio finis dependet à mediis: intellectus autem, vt consequatur obiectum præmissarum, seu Physicè seu, quod magis ad rem est, intentionaliter, non eget eo ad quod fertur assensus conclusionis. 99

Ad sextum. Locus Aristotelis nobis obiectus ad summū probat, conclusionem esse necessariam quoad speciem suppositis præmissis, non vero necessitatem vllam quoad exercitium. Deinde ne hanc probat: sensus enim Aristotelis eo loci est, non quod conclusio ex parte modi, siue actus, necessario, & ineuitabiliter, sequatur ex præmissis, sed quod eiusmodi consecutio necessaria, & impediri nescia connexio sit ex parte obiecti, quia scilicet repugnat, obiectum præmissarum ita esse, quin obiectum etiam conclusionis ita sit, sicut per eam enunciatur. Ad septimum, ac postremum: præmissæ euidentes, quatenus tales, non magis necessitant ad exercitium conclusionis, quam probabiles, sed ad eam magis inclinant: sicut habitus intensus, absque eo quod vllā necessitatem inferat, ad actum, magis quam remissus, inclinat, atque facilitat.

Aduersus priorem quartæ assertionis nostræ par- 100
tem obiici ab Hurtado, vbi supra, & aliis aduersariorum, consueuit, fieri non posse vt intellectus eidem rei simul assentiat, & dissentiat, duoue contradictoria affirmet: atqui sequeretur hoc, si quando negaret aliquis conclusionem concessis præmissis: facta igitur hac suppositione nequit conclusio negari: ac proinde nulla manet libertas quoad speciem. Cæterum huic argumento factum est satis inter nostram sententiam probandam.

Aduersus posteriorem eiusdem assertionis quartæ 101
partem obiici potest, ac difficulter quidem, iuxta nostra principia. Idcirco non necessitatur vnquā intellectus quoad exercitium ad conclusionem concessis præmissis, quoniam hæ non repræsentant explicite, & immediate, ac proinde nec euidenter, & clare obiectum conclusionis: sed assensus præmissarum non affirmat explicita, & immediata ratione, adeoque nec cum euidentia, aut claritate aliqua obiectum quod dissensus conclusionis negat: hic enim negat obiectum solius conclusionis, quod est formaliter diuersum ab obiecto præmissarum: nunquam ergo hæ poterunt dissensum conclusionis tollere, aut ad eius assensionem specie tenus necessitare. Secundo, &

paulo

paulo aliter: assensus præmissarum, quia est obscura tantum, & implicita propositio obiectiuæ conclusionis, idcirco nunquam necessitat ad formalem: similiter ergo quia est obscura tantum affirmatio conclusionis obiectiuæ, eius formalem negationem, siue dissensum nunquam amouebit. Tertio, nequaquam est inconueniens, vt intellectus noster duo contradictoria, confusè, ac virtualiter talia simul affirmet: ergo neque vt concessis quibusuis præmissis conclusionem neget: quoties enim cunque id facit, tantum adstruit duo contradictoria, confuse, & virtualiter eiusmodi: siquidem oppositum conclusionis solius huius obiecto formaliter & clare contradicit, adeoque non obiecto præmissarum. Quarto denique: connexio, quæ est inter obiectum præmissarum, & obiectum conclusionis, non facit vnquam hanc sequi ineuitabiliter ex illis, videlicet quia est sola connexio, & non identitas formalis: oppositio igitur, quæ est inter obiectum præmissarum, & obiectum conclusionis negatæ, siue dissensus, nunquam faciet, hunc tolli ab illarum assensu, videlicet quia non facit vtroque actu idem formaliter affirmari, & negari, sed aliud, & aliud. Atque his argumentis aduersus tertiam assertionem nostram vti quis potest talem in modum: præmissæ, si non necessitant ad conclusionem quoad exercitium, nec ad eam necessitabunt quoad speciem, aut, quod instar est, ad eius assensum si non cogunt intellectum, ab eius illum dissensu minimè auertent, vt quatuor rationes adductæ videntur persuadere: sed præmissæ necessitant aliquando ad conclusionem quoad speciem: ergo & quoad exercitium: siquidem ex oppositi consequentis sequitur oppositum antecedentis.

102 Ad primum, & secundum horum respondeo: difficilius longe est, rem produci quam tolli. ac plura ad illud priusquam ad hoc posterius sunt requisita. Vt v.g. producatur calor, opus est igne, aliaue simili causa efficienti; item ligno vel alio passo eius susceptiuo; nec non approximatione agentis, & passi, insuper etiam diuino concursu: vt autem calor tollatur de medio, cuiusuis horum defectus sufficit, neque requiritur, vt omnia simul deficiant. Nil mirum ergo, si ad ponendam conclusionem, eamque necessario exercendam vi præmissarum, opus sit eius obiectum per has clare proponi, ac repræsentari, huiusque repræsentationis, ac propositionis defectu præmissæ illam ea necessitate, & ineuitabilitate non ponant, nec deducant. Contra vero ad tollendum dissensum conclusionis, eiusve assensui necessitatem quoad speciem imponendam haud sit requisitum, vt præmissæ clarè, & explicitè affirment quod negat eiusmodi dissensus, satisque sit vt implicite, & confuse id affirment.

103 Ad tertium respondeo, haud esse absurdum, aut insolitum, vt intellectus affirmet duo contradictoria virtualiter, & confuse talia, quoties ei non sublucet eiusmodi contradictio: quo pacto contingit, aliquem arbitrari se peccare, si audiat missam, quia est excommunicatus, & peccare, si eam non audiat, quia est dies festus, videlicet quia neutiquam assequitur, hæc duo esse inuicem contradictoria virtualiter, & implicite. Cæterum, tametsi contradictio duorum non sit formalis & explicita, sed virtualis & implicita; nequibit intellectus ei assentiri, si semel eam subodoretur, multoque minus id potetit, illam si clare perspiciat: quo pacto nemo vel mediocriter Philosophus affirmet, hominem simul esse rationalem, & non esse risibilem, quia scilicet eum non præterit, duo hæc, quamuis formaliter non contradicant, at virtute contradicere, & formalem contradictionem rationalitatis, ac non rationalitatis latenter continere. Ea aut arte disponi solent præmissæ inquatuor modis directis primæ figuræ, vt intelligenti terminos statim clare appareat contradictio virtualis inter earum obiectum, & id in quod suapte natura fertur dissensus conclusionis: fieri ergo non poterit, vt eis concessis intellectus dissentiat conclusioni, aut huius vlla sit libertas quoad speciem.

Ad quartum respondeo sicut ad primū & secundū plus nimirum requiri ad ponendum aliquid quam ad tollendum, ac longe operosiorem esse actionem quam destructionem: quare, tametsi connexio duorum, eorumque identitas, non formalis sed virtualis, neutiquam cogat assensum vnius inferre, ac ponere assensum alterius, nihilominus oppositio duorum, virtualis solum, ac nequaquam formalis, potest esse in causa, vt affirmatio vnius alterius negationem tollat, & impediat: cuius rei experientia ipsa locuples testis est, vt superius monitum. Atque ex his claret, quatuor rationibus hactenus positis, & expositis nullum tertiæ assertioni nostræ præiudicium creari. 104

Caput X.

Quænam succeßio actuum ad argumentationem sit requisita.

105 In ea sententia sum, vt existitnem non omnem discursum intentionalem postulare temporis moram, aut successionem vllam realem actuum intellectus, eam tamen exposcere aliquem, ac solius naturæ successione, prioris instar, haud esse contentum. Prima pars assertionis nostræ est extra scholam Thomisticam cæterorum omnium Scholasticorum, ac facile suaderi potest: quoniam hoc ipso quod vna cognitio aliam inferat, & causet vi connexionis repertæ inter vtriusque obiectum censetur intellectus discurrere ab vno obiecto ad aliud, vnoque actu ad alium, modumque cognoscendi hominis proprium, ac belluis irrationalibus non communem sibi vendicare: at hoc totum contingere potest in vno instanti, & sine vlla vicissitudine aut successione reali eorum actuum, quorum vnus infert, & alius infertur, vt cernere est in sole, & luce, igne, & calore, aliisque innumeris causis, & effectis sibi coexistentibus mutuò, nec pætientibus vllam inuicem successionem, aut interuallum temporis.

106 Secunda assertionis nostræ pars, Thomistis etiam placitura, non minus est probatu facilis. Si quidem fieri potest, vt quis sine notitia actuali conclusionis præmissas prius habeat, postea vero earum vi conclusionem eliceat, hac autem elicita à præmissarum assensu supersedeat, eius videlicet fine adepto: huiusmodi autem processus vicissitudinem importat, ac successionem realem: est autem discursus intentionalis in suo genere proprius ac strictus, vt qui maximè, siquidem causalitatem actuum connexioni obiectorum innixam concernit, quæ causa sola ad rationem proprij discursus intentionalis sufficit: præterea vero merito supradictæ successionis realis cum discursu Physio, & locali non parum conuenit.

107 Aduersus secundam assertionis nostræ partem Auctoritas nulla, nulla ratio obiici potest, quæ sit ponderis alicuius: ei vero quoad primam partem refragantur non pauci Thomistæ cum Capreolo in 2. dist. 3. q. secunda ad 1. contra. 6. conclus. quorum prima

prima ratio est huiusmodi: discursus noster esse debet à notis ad ignota; est enim modus sciendi, ac proinde oratio ignoti manifestatiua: quod si quis simul cum præmissis norit conclusionem, haud procedet à notis ad ignota, sed à notis ad æque nota: opus igitur est ad talem processum, qualem exigit argumentatio nostra, vt quo tempore quis habet præmissas, careat notitia conclusionis, siue quod perinde est, vt hæc ei sit ignota: requiritur ergo ad argumentationem nostram successio, ac mora temporis inter eius partes. Nec vero vt intellectus dicatur à notis ad ignota progredi, satis est eum carere notitia conclusionis in articulo temporis antecedenti: nam etiam caret tunc notitia præmissarum haud raro: quare si eiusmodi carentia sufficit vt obiectum dicatur ignotum, eo modo quæ vocabulum hoc vsurpatur in præsenti, intellectus non à notis ad ignota, sed ab ignotis ad ignota procedet per discursum.

108 Respondeo, argumentationem nostram, discursumve esse processum à notis ad ignota, non negatiue, vt probat argumentum sed ignota præcisiue, idest non cognita pro eo priori naturæ quo intellectus habet præmissas, vt recte monet Auersa suprà q. 25. s. 1. §. *propter hoc aliquis* ad eius finem: ad hoc autem non est opus successione temporis. Confirmatur, & declaratur: quemadmodum intellectus noster per discursū procedit à notis ad antea ignota, ita etiam munere creationis res trāsit à nō esse ad esse: est enim creatio productio rei ex nihilo: nihilominus ad creationem omnem, seu productionem rei haud est opus, vt res prius tempore non existat quam producatur, sed prius natura, cum Deus possit creaturam producere ab æterno, sicut produxit verbum increatum: similiter ergo non est necesse, vt ignotum vi discursus postea cognoscendum eo ipso sit prius tempore incognitum, sed satis est, vt prius natura. Secunda eiusdem instituti confirmatio, & declararatio sit talis: quemadmodum argumentatio est modus sciendi, & oratio ignoti manifestatiua, ita etiam definitio, & diuisio: quamobrem hæ quoque à notis ad ignota procedent quodammodo: v.g. Definitio hominis ad cognoscendum, eum esse animal rationale, quod ante latebat, & diuisio animalis ad cognoscendum, illud esse rationale, vel irrationale, quod erat antea incognitum: nihilominus nulla successio realis simultati reali oppositæ requiritur inter partes definitionis, nulla etiam inter partes diuisionis quin potius totam propositionem definientem, omnesque, & singulos, quibus constituitur, actus, seu re, seu ratione distinctos simul habet intellectus, simulque cognoscit, hominem, v.g. & animal rationale, & vtriusque identitatem, hunc in modum. homo est animal rationale, vt certo certius: totam item propositionem diuidentem v.g. hanc animal aliud est rationale, aliud irrationale, simul complectimur, ac eius obiecta nullius exceptione facta veluti vno mentis obtutu cognoscimus. Quidni ergo discursus noster sit totus simul, quantumuis sit modus sciendi, & ignota notioribus manifester.

109 Arguunt secundò aduersarij: intellectus noster non potest habere plures actus circa res diuersas: alias cognosceret plura vt plura, contra quam docuit Aristoteles 2. topicorum cap. 4. *contingit*, inquiens, *plura scire, sed non cogitare:* fieri ergo non potest, vt intellectus noster habeat eodem tempore Maiorem, minorem, & conclusionem, earumve obiecta diuersa simul cognoscat. Verum quod intellectus noster possit cognoscere plura vt plura diuersis actibus tenent Suarez lib. 3. de anima, cap. 7. Molina 1. p. quæst. 58. articulo 2. disput. 1. Vasquez 1. part. quæst. 57. disp. 220. cap. 2. Hurtadus disp. 5. de anima s. 7. §. 52. Tellez p. 1. Summæ disp. 17. s. 5. Conimbricenses in cap. 1. de prædicamentis quæst. 4. art. 1. parum ab initio vbi etiam citant Scotum Gregorium & Marsilium. Item ex ipsis Thomistis, Caietanus 1. p. q. 85. art. 4. ac Sotus 1. posterior quæst. vnica *ad quartum principale*. Ratio autem huius sententiæ est meo iudicio manifesta: nam intellectus est longe perfectior visu, & quouis alio sensu corporeo: sed albedinem & ingredinem, Petrum, & Paulum, & omnia coram posita simul cernimus per diuersas visiones: quidni ergo cuncta possimus simul intelligere, non minus diuersis actibus, quam ipsa inter se differunt. Rursus plura vt pluta possumus operari Physicè per diuersas actiones, neque nos solum, sed elementa nobis imperfectiora; quo pacto ignis, verbi gratia simul lucet, calefacit, exiccat, ac sursum irrequieto conatu sese mouet: à fortiori ergo plura poterimus intelligere per diuersas actiones intentionales. Præterea intellectus noster potest vno eodemque actu plura vt plura cognoscere, vt cum Hurtado de mendora demonstratum est à nobis in Dialectica lib. 3. tract. 2. capite 4. tum etiam huius operis libro & tractatu præs. cap. 1. & c. 3. cap. 7. in solut. postremi argumenti aduersus priorem partem sententiæ quæ inibi reuocatur in examen. Multo igitur potiori iure fieri poterit vt intellectus noster diuersis notitiis plura vt plura cognoscat. Deinde quamuis plerique Thomistarum præsertim vero Capreolus vbi supra Herueus quodlibet 7. quæstio 16. & in 1. distinct. 11. quæst. 2. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 55. & Albert. in 1. dist. 1. art. 3. quamuis inquam hi aliter censeant ac plura vt plura diuersis actibus attingi posse renuant, hanc tamen moderationem communiter adhibent nimirum si vnus actus non sit ratio alterius neque inter vtrumque sit ordo & connexio: en verba Ferrariensis citato illo lib. 1. contra gentes capite 55. §. *considerandum vlterius* quibus Scholæ suæ doctrinam restringit: *possunt ergo plura simul intelligi diuersis intellectionibus & diuersis speciebus quando & species & intellectiones ordinem formalem inter se habent ita quod vnum est ratio alterius in intelligendo*. At assensus principiorum est ratio conclusionis, estque vtrinque connexio & naturæ seu causalitatis ordo: quare non est quapropter intellectus noster simul habere non possit eos actus, quantumuis diuersos ac circa diuersa obiecta: tota si quidem hæc diuersitas est cum quadam vnitate & ordine coniuncta. Locus Aristotelis in contrarium obiectus non vrget, scire namque in eo refertur ad habitus nostros & cogitare ad actus: eius ergo sensus est multarum rerum habitus n bis inesse quarum tamen actuales notitias simul habere non possumus quæ est imperfectio nostri intellectus ac rerum ipsarum ingens multitudo ac varietas: quo pacto conclusiones omnes Euclidis cum tot sint tamque diuersæ plures Mathematici cognoscunt habitu nemo tamen actu quantumuis in ea facultate excelleat. Atque hac ratione Aristotelem explicant Molina & Sotus locis superius relatis & communiter cæteri nostræ opinionis assertores.

Arguunt tertio aduarsarij ex Veneto: maior est causa remota ac mediata conclusionis, minor verò proxima & immediata: haud ergo necesse est vt quo tempore infertur conclusio existat maior propositio, sed satis est vt sola minor: qua ratione Pater quando 101

generat

generat prolem debet exiſtere, ſecus vero auus quoniam videlicet hic remotè concurrit ad generationem ille vero proximè : cum ergo ſimultas realis maioris & concluſionis non ſit requiſita ad diſcurſum poterit ſanè ad eum requiri realis illarum ſucceſſio & viciſſitudo. Cæterũ hoc in primis argumento ad ſummum ſuadetur fieri poſſe, vt maior præcedat tempore concluſionem, non tamen quod debeat ita præcedere, aut quod eiuſmodi ſucceſſio ſit neceſſaria ad diſcurſum : auus enim, etſi poſſit antecedere Patrem, eiuſque concurſum ad generationem prolis, haud tamen debet, ſed potiùs ſolet ſimul exiſtere multoties : nec video quo pacto vel hoc exemplum, vel aliud vllum probare poſſit ex contingentia ſucceſſionis realis, qua de agimus, eius neceſſitatem ad diſcurſum. Deinde ſecundò multo verius eſt, quod docent Conimbricenſes ſuprà in capite 1. de præcog. quæſtione quarta, articulo primo, concluſione prima, non tantum minorem, ſed etiam maiorem eſſe cauſam proximam concluſionis : ſiquidem vt eius vi cognoſcam, aliqua extrema eſſe idem inter ſe, ratio, & cauſa proxima eſt identitas eorundem vni tertio prius cognita : ſed non præcognoſcitur identitas extremorum vni tertio per ſolam minorem ſine maiori, ſed per vtramque ſimul : vtraque ergo eſt cauſa proxima concluſionis.

111 Arguunt quartò : præmiſſæ ſunt diſpoſitiones quædam intellectus ad aſſentiendum concluſioni: imitantur ergo quoad ſucceſſionem, & ordinem diſpoſitiones phyſicas : hæ autem quo non exiſtunt inſtanti ſolum cauſant ; aliàs in generatione ſubſtantiali non daretur reſolutio vſque ad materiam primam, & potius aliqua accidentia corrupti manerent in genito, contra Ariſtotelem cap. 1. de ortu & interitu, vbi definit generationem mutationem totius in totum, nullo ſenſibili manente vt ſubiecto eodem. Hoc argumentum id habet vitij, quod eo confici poſſit, cognitionem haud exiſtere, cum voluntas amat bonum, ſed potiùs debere non natura modò, ſed etiam temporis interuallo præcedere amorem: eſt enim diſpoſitio quædam ad amandum, magiſque ad id, aut certè non minus requiſita, quam aſſenſus principiorum ad concludendum. Rurſus quod diſpoſitiones ad generationem non cauſent eo quo non exiſtunt inſtanti, aut immediatè poſt ſuam exiſtentiam quantum opinor eſt euidens, atque manifeſtum: quî enim fieri poteſt, vt largiantur eſſe quo carent, & cum nihil ſint, aliquid tamen actu producant ? ſed de hoc latius in phyſic. lib. 5. tract. 5. cap. 2. vbi conſtabit non dari reſolutionem vſque ad materiam primam quoties aliquid generatur de nouo, ſed potiùs aliqua accidentia corrupti permanere in genito, verbi gratia, in homine & cadauere eundem colorem, figuram, ſtaturam, membrorum proportionem, atque ſymmetriam : cuius rei haud aliud argumentum opus eſt præter ipſam experientiam. Locus autem Ariſtotelis tantum conuincit, nullum ſubiectum ſenſibile eſſe idem in genito, & corrupto : quamuis enim vtrobique ſit eadem materia prima, hæc tamen, iuxta eius phraſim, dici non debet ſubiectum ſenſibile, propterea quod nulla accidentia ſenſibus obuia ei præ aliis deſtinatè debita ſint : ſolum ergo vult philoſophus, in generatione ſubſtantiali non ſubeſſe accidentibus idem compoſitum ſubſtantiale quod antea, eandemve formam ſubſtantialem. Tandem, quidquid ſit de diſpoſitionibus phyſicis quod maior, & minor, non poſtquàm deſinunt ambæ eſſe, concluſionem primò cauſent, ſed potiùs quo primum inſtanti exiſtunt, eſt Ariſtotelis, & communis omnium fermè eius interpretum ſententia, vt animaduertunt Rubius lib. 1. poſterior. capite 1. quæſt. 7. num. 74. & Bartholomæus Amicus tom. 1. Logicæ p. 2. tract. 26. diſp. 3. dubitat. 2. atque hunc in modum poteſt ſuaderi : omnis cauſa naturalis ſufficienter applicata, & expedita ſtatim operatur ſuum effectum, qua ratione ignis, verbi gratia, ſubiectum calori obnoxium, atque à ſe indiſtans è veſtigio calefacit : ſed intellectus eſt cauſa naturalis, ac neceſſaria, poſitiſque præmiſſis, & non renuente voluntate ſufficienter applicata, & expedita : eodem igitur inſtanti concluſionem infert.

Arguunt quintò, & præcedens argumentum confirmant : virtus intellectus noſtri eſt finita valdè, ac limitata : nequit ergo, cum elicit maiorem, & minorem, ſimul aſſentiri concluſioni, ſed poſtea: atque huc facit quod communiter dici ſolet, 112

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Verum quando viſus noſter ſimul habet plures viſiones adeo diuerſarum rerum, vt ſuprà demonſtratum, non video quorſum cenſenda ſit adeo imperfecta intellectus noſtri virtus, vt ſimul concipere nequeat, maiorem, minorem, & concluſionem ? Arguunt ſextò : diſcurſus intentionalis ita dictus eſt à phyſico, & locali : ſed huius partes realem ſucceſſionem, temporiſque moram neceſſario poſtulant, cum nulla celeritas efficere poſſit, vt ſimul aliquis ſit in principio, ac fine cuticuli : ſimiliter ergo partes diſcurſus intentionalis, argumentationiſque noſtræ eam non ſine ſucceſſione conſtituunt, adeoque poſcunt, vt maior, & minor concluſionem tempore anteuertant. Sed hæc ratio non tantum oppugnat ſimultatem præmiſſarum, & concluſionis, ſed etiam maioris, & minoris ſecundum ſe ſpectatarum, vt intuenti conſtabit : at quod ſaltem maior & minor poſſint eſſe ſimul, eſt certo certius. Deinde quod propter etymologiam vocis ſeruanda non ſit proportio quoad omnia inter diſcurſum phyſicum, & intentionalem, & paulò ſuperius eſt à nobis ſtatutum, & liquet exemplo motus intentionalis, qui tametſi dicatur, ac deriuetur à motu phyſico, haud propterea tamen eſt vtrinque analogia ſecundum omnia, cum alter peragi poſſit, ac ſoleat in inſtanti, quoties nimirum ineſt in nobis alicuius rei inſtantanea cognitio, alter vero nonniſi in temporis ſpatio.

Arguunt ſeptimò : præmiſſæ poſſunt cauſare concluſionem mediis habitibus à ſe relictis: non eſt ergo neceſſe, vt ipſæ tum exiſtant : ſucceſſio ergo, & viciſſitudo earum, necnon concluſionis poterit eſſe neceſſaria ad diſcurſum. Sed vt ab hac poſtrema conſequentia incipiam, ea eſt nulla prorſus : ſiquidem aliud eſt, ſucceſſionem illam realem dari poſſe aliquando, aliud eſſe ſemper neceſſariam : quocirca, tametſi prius probetur hoc argumento, ſecus tamen poſterius. Deinde, vt optimè diſputat Gabriel q. 1. prol. nullus habitus generat niſi actus ſimiles eis, à quibus eſt genitus, & eiuſdem cum illis ſpeciei : at concluſio eſt diuerſæ ſpeciei à præmiſſis, eiſque diſſimilis : hæ ſiquidem habent veritatem obiectiuam, quam repræſentant, pro obiecto formali intrinſeco, illa verò, ſi non reflectat intrinſecè ſuprà obiectum præmiſſarum id tantum formaliter extrinſecè reſpicit, ſolamque concluſionem obiectiuam, ſeu extremorum identitatem immediatam habet pro obiecto formali intrinſeco : hæc ergo diuerſitas obiectorum formalium efficiet, vt actus concluſionis ſit diuerſæ ſpeciei à præmiſſis : atque adeo vt harum habitus non poſſit illam generare. Quin etiam, tametſi concluſio reflectat ſuprà obiectum præmiſſarum, fieri tamen poteſt aliquando, vt præ- 113

ter hoc respiciat instar obiecti formalis inadæquati, partialisque motiui aliud distinctum, videlicet quod extrema sint inter se immediatè eadem : hoc autem satis est ad eius à præmissis diuersitatem specificam.

114 Octauò arguunt alij, posse conclusionem inferri ex sola recordatione præmissarum : atque ita censent Conimbricenses in caput illud de præcognitis q. 3. art. 2. ac Tellez citata disp. 17. Logicæ sect. 3. num. 4. Sed in primis hoc nihil aliud quam successionem, ac moram temporis inter præmissas, & conclusionem posse reperiri, non tamen quod sit necessaria, cum tamen de eius necessitate, non possibilitate sit in præsenti quæstio. Præterea qui superius fassus sum ne recordationem præmissarum esse necessariam ad substantiam conclusionis, multo minus nunc inficiari possum, aut debeo, earum existentiam requiri ad talem assensum : hoc tamen inficias eo, esse discursum, vel argumentationem eiusmodi processum: nam tum argumentatur intellectus, quando ex præmissis infert conclusionem, siue quando hæ illam causant : at præmissæ absentes,& quarum sola manet recordatio, non causant conclusionem : quo enim pacto causare potest quod non existit ? tum igitur nullum habet locum discursus, aut argumentatio. Rursus vt propriè eligam haud satis est memoria intentionis præteritæ,si nunc eam non habeo, sed potiùs contrariam, vt videtur vero verius : haud igitur erit satis meminisse præmissarum,quibus modo destituor,vt propriè concludam,arguamve. Tandem impugnatur tertio ea doctrina : quoniam eius fautores putant, ad assensum conclusionis quoad substantiam illius opus esse concursu præmissarum,vel alterius, quod earum vim habeat : eiusmodi autem aliud censent esse recordationem præmissarum : hoc autem est falsum : tum quia talis recordatio, cum iuxta eos sit simplex quædam, & imperfecta apprehensio præmissarum,quarum alterutra est iudicium, idque perfectum, & immediatum, qui fieri potest, vt earum pondus, & instar habeat ? tum etiam, quia hoc ipso quod gratia sit necessaria ad substantiam actus supernaturalis, non sufficit absente gratia sola eius recordatio, vt eliciatur actus supernaturalis ; item quia ad visionis substantiam opus est oculis, hoc ipso non satis est ei qui occæcauit, vt nunc videat memoria oculorum quos habuit aliquando : similiter ergo in præsenti,&c.

115 Nonò demum arguunt aduersarij:discursus noster est valdè diuersus à modo cognoscendi Angelorum, ac beatarum mentium in patria, viæque suæ termino : sed hæc diuersitas in eo maximè consistit, quod intellectus noster nunquam sine successione reali, ac temporis mora discurrat, cum tamen simul,& absque vlla vicissitudine cognoscant Angeli, & quæ Deo fruuntur animæ, vti docet Augustinus libro 15. de Trinitate, cap. 16. in hæc verba : *Fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes, ab aliis in alias euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.*

116 Respondeo : etiamsi intellectus noster absque vlla successione discurrat aliquando, & quamprimum habet præmissas, inferat ex iis conclusionem, atque quoad hoc non differat ab Angelis, & animis beatorum,multum nihilominus intererit inter nostrum, illorumque modum cognoscendi:illi namque intelligunt sine conuersione ad phantasmata,& independenter à sensibus, nos vero prius sentiendo, & non sine præuia phantasmatum, & corporearum imaginum velaminibus : illi item simul intelligunt, atque comprehendunt collectionem quandam ingentem obiectorum, nos aliquam non tamen tantam, tamve numerosam : rursus illi maiori claritate, ac simplicitate cognoscunt, nos autem propterea quod simus huius corporis ergastulo clausi, ac tenebris, cæca & caligine mersi,haud adeo clarè, adeovè simpliciter, ac sine compositione apprehensionis,& iudicij. Augustinus autem præterquam quod dubitatiuè loquatur, hoc tantum vult, plurima obiecta, quæ nonnisi successiuè cognoscere possumus in hos vita ob eorum numerum ac varietatem, in patria à nobis simul cognitum iri : hoc autem non tollit, quominus aliqua etiam in hac vita, quamuis pauciora, simul intueri possimus, adeoque maiorem, minorem, & conclusionem vna quidem, & absque vlla successione complecti.

Caput XI.

An cognitio bonitatis illationis ad argumentationem sit requisita?

PAter Suarez disp. 1. metaphys. sect. 4. num. 26. 117
P. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 3. num 17. iuncta, sectione 4. subsect. 2 & cum iis non pauci recentiores partem affirmantem tuentur, nimirum vt ex his præmissis, verbi gratia, *omnis homo est animal, Petrus est homo*,inferatur hæc conclusio, *ergo Petrus est animal*, opus esse vt per iudicium, aut certè per apprehensionem cognoscatur,eam conclusionem ex talibus præmissis rectè deduci, aut certè obiectum earum præmissarum necessariò coniunctum esse cum obiecto eius conclusionis, & alterum ex altero probè inferri, hunc in modum : *si omnis homo est animal, & Petrus est homo necessario sequitur Petrum este animal.*

Verum cum Hurtado disp. 7. de anima, sect. 5. & 118
Auersa quæst. 25. Logicæ sect. 1. pars negans mihi magis probatur : Primò, quoniam magis, aut profecto non minus requiritur ad assensum conclusionis duplex iudicium præmissarum, quam ea cognitio reflexa, vt certo certius : at conclusio ita ex præmissis infertur, vt sine iis esse possit,cum ab iis essentialiter non dependeat, veluti superius ostensum : igitur à fortiori ita ex cognitione illa reflexa bonitatis illationis infertur,vt sine ea possit esse, atque ex solis præmissis deduci. Secundò, quia vt cognitio amorem inferat, & intentio electionem, opus non est cognitione reflexa, qua quis cognoscat, ex cognitione obiecti rectè amorem inferri, aut ex intentione finis electionem medij, vt omnibus est in confesso : cur ergo ad hoc vt præmissæ conclusionem inferant, opus sit,&c. Tertiò, quoniam ipsa cognitio bonitatis illationis conclusionem immediatè infert absque alia cognitione,qua cognoscatur, ex cognitione illa bonitatis illationis rectè conclusionem sequi,aliàs progrederemur in infinitum : similiter ergo ipsæ præmissæ immediatè,& sine adminiculo cuiusuis alterius cognitionis poterunt conclusionem inferre. Quartò denique : quoniam vti præmissæ iuuant intellectum ad eliciendam conclusionem, ita species impressæ ad ponendas præmissas : quin etiam multò perfectius iuuatur intellectus ad concludendum à præmissis, quam ad has à speciebus impressis, propterea quod specierum repræsentatio sit virtualis, siue habitualis, contra vero præmissarum actualis, atque formalis : at species impressæ se solis & sine vlla cognitione reflexa sufficiunt intellectui ad assensum præmissarum : ergo & hæ solæ ei satis erunt, ad conclusionis assensum.

Obiiciunt

119 Obiiciunt tamen aduersarij Aristotelem libro 1. posterior. cap. 2. *Scire autem vnamquamque rem simpliciter, & non vt sophistæ per accidens, arbitrantur, eum causam ob quam res est illius causam esse, & fieri non posse vt res aliter sese habeat, cognoscere arbitrantur:* quo igitur intellectus aliquid concludat, atque cognoscat per causam, necesse est hanc cognosci velut eius causam, & quod ex ea sequatur veritas obiectiua conclusionis: id enim significat ea textus Aristotelici particula, *eum causam, ob quam res est illius causam esse, &c.* Obiiciunt secundò: positis iisdem præmissis vnus conclusionem ex iis deducit, alius verò eam cohibet: at non alia ratione nisi quia vnus & non alius reflexè cognoscit bonitatem illationis: hæc igitur cognitio ad conclusionem inferendam est necessaria; aliàs qua ratione in eius præsentiam, aut absentiam posset conclusionis præsentia, aut absentia reuocari?

120 Obiiciunt tertiò: conclusio reflectit necessariò suprà obiectum præmissarum, & iudicat, Petrum, verbi gratia, esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo: igitur conclusio iudicat obiectum suum ita esse, quoniam ita est obiectum præmissarum, siue quod instar est, obiectum suum rectè inferri, ac sequi ex obiecto præmissarum: sed ad iudicium conclusionis requiritur apprehensio, quæ feratur in eius obiectum, illudque totum prius intellectui proponat: quamobrem, cum iudicium conclusionis feratur in bonitatem illationis obiectiuæ, sanè apprehensio eiusdem bonitatis erit ad iudicium, siue assensum conclusionis requisita. Obiiciunt quartò: ad inferendam conclusionem ex præmissis necessarium est id quod particulæ, *ergo*, in mente correspondet, aliàs cur illa particula in omni, & quouis adhibetur syllogismo? at id, quod intus in mente respondet ei particulæ, nequit aliud esse, quam cognitio bonitatis illationis.

121 Obiiciunt quintò: quod requiritur ad ponendas præmissas, id etiam est requisitum ad inferendam conclusionem ex præmissis, cum non nisi ex iis positis illa possit inferri: cognitio autem bonitatis illationis ad ponendas præmissas est necessariò requisita: præmissæ siquidem sunt medium ad conclusionem, & hæc illarum finis: at ad ponendum medium opus est prius cognosci conducentiam, & vtilitatem eius ad finem: oportet igitur ad ponendas præmissas, vt cognoscatur earum conducentia, & vtilitas ad conclusionem: quocirca, cum eas conducere, siue vtiles esse ad conclusionem inferendam perinde sit, atque conclusionem ex iis rectè inferri posse; sanè cognitio huius illationis, & quod bona, ac recta sit, ad ponendas præmissas, ac proinde ad inferendam conclusionem erit apprimè necessaria.

122 Obiiciunt sextò: conclusio obiectiua ex se est ignota: nequit igitur intellectus ei assentiri, nisi prius illi proponatur velut annexa veritati præmissarum, siue quod iuxta est, ex eis ritè sequens: secluſa enim hac propositione tam erit ignora sicut antea, adeoque tam non poterit intellectus ei assentiri, quam antea. Obiiciunt septimò: intellectus ne temerè, & irrationabiliter, & absque vlla similitudine, aut specie veri assentiat obscuro consequenti, opus habet luce præmissarum: ergo etiam ne temerarium, & inconsideratum se gerat, aut sine probabilitate, ac verisimilitudine procedat, prius indiget cognoscere, quales sunt præmissæ, ex quibus vult concludere, qualis etiam conclusio quam vult inferre, & quod in illis sit virtus huius deductiua, & in hac ex earum assensu necessaria, ac formalis sequela.

123 Obiiciunt octauò: veritas consequentis pendet ex connexione antecedentis cum illo: prius ergo debet hæc cognosci. Aut paulò aliter: conclusio non nititur veritati obiectiuæ præmissarum, nisi prout connexæ cum illa: ergo, si eiusmodi veritas obiectiua cognosci debet ante conclusionem, profecto debet vt connexa cognosci. Nonò tandem obiiciunt: qui probat vnum ex alio, tenetur probare, posse non tantum veritatem præmissarum, sed etiam earum connexionem cum consequenti: hanc ergo dum non cognoscit, prudenter timere potest de veritate conclusionis, eiusque assensum cohibere, ac proinde nequibit ei euidenter, & sine formidine assentiri: saltem ergo ad conclusionem euidentem requiritur cognitio bonitatis illationis, siue connexionis inter antecedens, & consequens.

CAPVT XII.

Diluuntur argumenta aduersùs nostram sententiam superius posita.

AD primum eorum respondeo, Aristotelem eo loci tantum definire scientiam perfectam, ac *propter quid*, deque eius natura statuere esse, vt non rem per effectum, aliudve medium instar scientiæ, *quia*, cognoscat, sed potiùs per propriam eius causam: particula autem illa, *causam ob quam res est illius causam esse*, non denotat, cognitionē vllam reflexam, sed, vt explicant nostri Conimbricenses 1. poster. cap. 2. quæst. 1. art. 1. §. *sed iam definitionem*, & communiter alij, haud sufficere ad scientiam propter quid effectum cognosci, & etiam causam, ob quam est, sed necesse esse, vt cognoscatur effectus esse propter talem causam, vtque huius cognitio illius notitiam inferat. Quapropter, si quis iuxta lunam miraculosè positus eam deficere cerneret, necnon etiam inter eam, & solem interponi tellurem, non haberet scientiam *propter quid* talis eclipsis, si non concluderet eam ex interiectione telluris inter vtrumque sidus, hunc in modum: interponi tellurem inter solem, & lunam facit hanc deficere: sed tellus interponitur inter solem & lunam: hæc ergo deficit, ac patitur eclipsim. Vbi ergo hic cognitio reflexa bonitatis illationis. 124

Ad secundum respondeo: quod positis iisdem præmissis vnus conclusionem inferat, eo quod habeat cognitionem bonitatis illationis, alius verò, ob defectum eius cognitionis, conclusionem non inferat, tantum arguit, cognitionem eiusmodi conducere ad inferendam conclusionem, non vero ad eam esse necessariam. Ita cum iisdem aliàs motiuis vnus aliquid operatur, quia ab amico rogatus est, alius vero idem officium prætermittit, quia non est rogatus, non quod amici preces ad operandum necessariæ sint, sed præcisè quod sint vtiles, multumque sit in eis momenti ad flectendum in vtramque partem. Deinde quod vnus, & non alter ex iisdem præmissis conclusionem efficiat, non semper reuocandum est in cognitionem bonitatis illationis vni, & non alteri inexistentem; sed sæpè sæpius huius discriminis ratio esse solet, quia eadem præmissas vnus clarius penetrat quam alter, aut, si sint ab vtroque penetratæ æquali claritate, & euidentia, quia vnus, & non alter iis ad inferendam conclusionem vti mauult. 125

Ad tertium respondeo, in primis ad quemcunque assensum conclusionis eius reflexionem supra obiectum præmissarum haud esse necessariam vt cap. seq. clarebit: hoc ergo ex titulo non est quod sit vniuer- 126

saliter,

ſaliter, vt aiunt, & ad omnem concluſionem neceſſaria cognitio bonitatis illationis. Rurſus ne ad aſſenſum concluſionis reflectentem ſuprà præmiſſas eſſe neceſſarium iudicium bonitatis illationis eo probatur argumento, cum tamen de iudicio ſit potiſſimè quæſtio. Tertiò aliquoties intellectus noſter iudicat de rebus euidentibus, ac perſpicuis ſine apprehenſione præuia, vt ſuperius oſtenſum eſt cap. 4. huiuſmet tract. ſi quando autem id poteſt contingere, maximè cum ſuppetit aliquid intellectui vicem gerens apprehenſionis: poterit ergo intellectus interdum aſſentiri obiectiuæ concluſioni, ſine eius apprehenſione præuia, ſeu directa, ſeu reflexa, atque ad bonitatem illationis terminata, nimirum dependenter à ſolis præmiſſis, quæ vicem omnis apprehenſionis gerunt, totumque concluſionis obiectum quodammodo proponunt, ac repræſentant. Præterea lis eſt, an ad concluſionem, quatenus aſſerit extrema aliqua eſſe idem inter ſe, nec niſi ſuo incumbit obiecto, ſit neceſſaria cognitio bonitatis illationis, hoc eſt qua dignoſcatur, eam identitatem immediatam rectè ſequi ex obiecto præmiſſarum, ſiue identitate extremorum vni tertio: atqui argumentum præſens ad ſummum efficit, requiri apprehenſionem bonitatis illationis ad concluſionem, non quatenus hæc iudicat, extrema eſſe idem inter ſe, ſuoque tantum inhæreſcit obiecto, ſed quatenus iudicat ipſam bonitatem illationis, atque ad obiectum præmiſſarum retro ſe conuertit.

127 Ad quartum reſpondeo, quod ſubiicitur voculæ *ergo* ad concluſionem inferendam neceſſarium eſſe: cæterum eius particulæ ſignificatum non eſſe iudicium, aut apprehenſionem bonitatis illationis, ſed cauſalitatem directiuam, qua aſſenſus concluſionis dependeat à præmiſſis, & hæ ad illum actu ſecundo concurrunt. Ad quintum reſpondeo, in primis eo non probari cognitionem bonitatis illationis immediatè concurrere, & neceſſariam eſſe ad concluſionem, quod ſolum inter auctores controuerti ſolet, ſed tantum mediatè, quod eſt extra controuerſiam noſtram. Deinde ne mediatè quidem requiri cognitionem bonitatis illationis ad concluſionem inferendam eo conuincitur argumento: ſiquidem ſæpiſſimè inexiſtunt intellectui præmiſſæ, quin adhibeantur velut medium ad concluſionem inferendam: cur ergo tunc earum vtilitas, & conducentia ad concluſionem, ſiue huius recta ex iis inferibilitas cognoſci prius debeat? Antecedens eſt perſpicuum: ſicut enim ſæpiſſimè quis apprehendit obiectum, quin eam apprehenſionem eligat tanquam medium ad iudicium, quod eius vi formaturus eſt poſtea: & cognoſcit bonum, quin eam cognitionem eligat velut medium ad amandum eius beneficio; quod idem cernere eſt in intentione, & electione, actuque imperante, & imperato: ita ſimiliter ſæpiſſimè poterit quis præmiſſas aliquas intellectu concipere, quin eas prius optet velut medium ad inferendam concluſionem idoneum. Fac aliquas à Deo præmiſſas intellectui infundi: ſanè eiuſmodi præmiſſæ dici nequibunt medium ad concluſionem ſponte electum: cur nam ergo velut ad eam vtiles prius cognoſci debeant?

128 Ad ſextum reſpondeo: conſequens multoties eſt ex ſe ignotum, id eſt non per ſe notum, ſed potiùs egens luce aliqua præuia, ratione cuius mereatur aſſenſum: cæterum, vt veritas obiectiua conſequentis ſuaptè natura obſcura prius innoteſcat quodammodo, & clareat intellectui, quam aſſenſum ei præbeat, ſatis eſt notitia directa præmiſſarum, nec eſt neceſſaria cognitio vlla reflexa: ratio huius eſt, quoniam ne illa reflexa cognitio bonitatis illationis, cuius neceſſitatem intendunt aduerſarij, proponit formaliter, & explicitè quod ita ſit abſolutè conſequens obiectiuum, ſed tantum virtualiter, & implicitè, quatenus ſtatuit, illud ita eſſe ſi ſint veræ præmiſſæ, cum tamen harum veritatem non aſſerat, ſed velut alieni muneris ſupponat: at etiam præmiſſæ ſe ſolis, & circumſcripta quauis alia notitia proponunt intellectui implicita, ac virtuali ratione conſequens obiectiuum: ad præuiam igitur huius propoſitionem, ac lucem, eiuſque tollendam obſcuritatem, abigendaſque tenebras erit tam idonea præmiſſarum directa cognitio, atque reflexa bonitatis illationis.

Ad ſeptimum reſpondeo: quemadmodum voluntas non feratur in bonum aliquod cæco impetu, ſed prudenter, atque conſultè ſe gerat, ſatis eſt eam prius habere cognitionem illius boni, quod eſt amatura, nec eſt opus vt ipſam cognitionem boni reflexè cognoſcat, ita ſimiliter vt intellectus omnem temeritatis, & imprudentiæ, aut præcipitis, & inconſideratæ aſſenſionis periculum fugiat, ſatis ſuperque eſt, vt habeat præmiſſas concluſionis ſuaſiuas ne requiritur, vt illas reflexè cognoſcat, aut ex eis ritè concluſionem ſequi iudicet. 129

Ad octauum reſpondeo: dependet quidem veritas conſequentis ex connexione antecedentis cum illo: propterea tamen opus non eſt hanc connexionem prius cognoſci, quam intellectus conſequenti cedat, & conſentiat, ſed ſufficit ipſum quod ita connectitur præcognoſci: nam etiam executio finis pendet à conducentia, & vtilitate medij ad illam: nihilominus haud oportet, antequam finis executioni mandetur, amari vtilitatem, aut conducentiam medij, hoc, alioue ſimili actu: *volo, vt medium hoc ſit vtile, & conducens ad exequendum finem*, ſed ſufficit ita ſi ametur, & eligatur ipſum id quod eſt vtile, atque conducit. Rurſus, vt aliis exemplis rem declarem, iuxta non paucos etiam aduerſariorum, Deus connectitur eſſentialiter cum creaturis poſſibilibus, ac vi huius connexionis, & dependenter ab illa cognoſcuntur à beatis in Deo creaturæ poſſibiles, cum ſit ideo verum, eas videri in Deo, quoniam hic ad illas relationem habet tranſcendentalem: hoc tamen non obſtante neutiquam eſt neceſſe, prius debere cognoſci connexionem Dei cum creaturis provt talem, quam hæ cognoſcantur, & videantur in illo: hoc enim eſſet, eas prius cognoſci quam cognoſcantur, quando Dei cum illis connexio provt talis nequeat innoteſcere ſine earum notitia: ſimiliter ergo, tametſi dependeat veritas conſequentis ab antecedentis cum illo connexione, non propterea hæc prout talis cognoſci prius debet, quam intellectus veniat in notitiam conſequentis. 130

Vlterius ordo obiectorum multoties facit, vt vnius apprehenſio excitet memoriam, & apprehenſionem alterius, ſine eo quod vtrumque conferatur inuicem, aut alterum cognoſcatur penes eum ordinem, quem habet ad alterum, verbi gratia, memoria primæ dictionis excitat apprehenſionem, & memoriam ſequentis; imo totius orationis: quin tamen opus ſit meminiſſe, quod ea dictio ſit ordine prima: hæc enim reflexio, tametſi contingat aliquando, non ſemper eſt neceſſaria, vt ipſa teſtis eſt experientia: ergo ſimiliter in præſenti, &c. Atque hinc conſtat ad id quod ſubiicitur in argumento ad eius lucem, & confirmationem. Paulo aliter etiam reſponderi poteſt, connexionem videlicet antecedentis cum conſequenti eſſe relationem quandam identitatis implicitæ, quæ proinde includit vnum, & alterum ritu cæterarum relationum prædicamentalium, fundamento & termino coaleſcentium ſiue reales, ac veræ 131

ſint,

sint, siue rationis solius, & per imitationem quandam: dependet ergo veritas consequentis à connexione antecedentis cum illo, eique innititur, non tamen penes eam adæquatè, & se tota sumptam: hoc enim esset eam à seipsa pendere, sed penes eius fundamentum, scilicet antecedens obiectiuum: satis ergo est, hoc tantum prius cognosci, quam veritas consequentis in intellectu locum sibi faciat.

132 Ad postremum respondeo: qui probat vnum ex alio tenetur probare non tantum veritatem præmissarum, quibus vtitur immediatè, sed etiam alias præmissas remotas in eam probationem assumptas, & rursus has, si negentur, per alias, & sic absque fine: & tamen non oportet ob id omnia principia conclusionis etiam remota ante illam actu cognosci: sunt enim infinita syncategorematicè, ac proinde ea quæ nequeat intellectus noster simul cognoscere: quanquam ergo tenetur, aliquis probare connexionem antecedentis cum consequenti, ac bonitatem illationis, quoties respondens eam negat, non propterea debet illa cognosci ante conclusionem. Quocirca, sicut ad euidentem, omnisque formidinis nescium assensum conclusionis non est opus, vt principia remota præmissarum, quibus earum veritas probari possit, insint intellectui, sed quod nihil ei insit, quod contra veritatem præmissarum faciat, sic non oportet ad assensum conclusionis, vt intellectus cognoscat bonitatem illationis, siue conclusionem bene sequi ex præmissis, sed vt cognoscat illam minimè ita sequi.

Caput XIII.

An conclusionis supra obiectum præmissarum reflexio ad argumentationem sit necessaria?

133 Conclusionem saltem extrinsecè & mediis præmissis formalibus à quibus deriuatur ad obiectum præmissarum terminari, velut ad obiectum formale, & motiuum, omnibus est in explorato. An autem ad illud etiam intrinsecè & immediatè terminetur, haud est adeo compertum: siquidem Ferrariensis lib. 1. contra gent. cap. 57. Capreolus in primum distinct. 2. quæst. 1. in solut. ad argumenta contra 4. concluſ. Soncinas 6. metaph. quæst. 10. Durandus in 2. distinct. 38. quæst. 3. ad 3. Fonseca 6. metaph. cap. 1. quæst. 4. Vallius 1. poster. disp. 1. part. 2. quæst. 5. Rubius 1. poster. cap. 1. quæst. 6. num. 54. & sequentibus Hurtadus disp. 11. Logicæ sect. 9. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 4. subsect. 2. Item Caietanus, Adamus, Aureolus, Medina, & Bartholomæus Amicus tractatu 23. Logicæ quæst. 5. art. 3. ac Mæratius disp. 17. de fide sect. 2. concluſ. 3. ac B. Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 3. & quæst. 12. art. 4. & communiter alij tenent partem affirmatiuam: nimirum positis his præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, conclusionem ex iis deductam necessario asserere, Petrum esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo: quanquam non desint qui hanc reflexionem conclusionis aliter explicent. Cæterum Ochamus, Gabriel & Gregorius quæst. 3. prol. art. 1. concluſ. 2. Molina & Auersa quæst. 16. Logicæ sect. 2. concluſ. 2. & alij non pauci tuentur partem negantem, videlicet positis superioribus præmissis, conclusionem ex iis illatam nihil aliud inferre, aut posse, quam Petrum esse animal.

134 Inter has sententias media quædam mihi placet, nimirum conclusionem interdum intrinsecè, & immediatè suprà obiectum præmissarum reflectere, interdum verò ita non reflectere, & vtrumque accidere posse & solere. Primò, quia in eo quod conclusio vtroque modo tendat, nulla repugnantia apparet, cedo enim qualis ea sit. Secundò, quoniam intentio modò mouet ad electionem merè materialem, quę videlicet in solum medium intrinsecè, & immediatè feratur, modò in electionem formalem, quæ quidem in medium, & finem etiam pergat intrinsecè, & immediatè, vt est experientia testatissimum: ecquis enim non videat, intenta efficaciter salute interdum effusionem sanguinis præcisè sumptam, interdum eam propter salutem vi prioris intentionis eligi solere. Et quidem si intentio salutis medio aliquo imperio efficaci à se deriuato electionem inferat medij necessarij, quemadmodum inferre consueuit, non cerno cur modo vnam, modò aliam electionem inferre nequeat: siquidem vtraque possibilis est, vt manifestum: poterit ergo voluntas, quam malit, imperare.

Tertiò argumentor: præmissæ suprapositæ modò 135
hunc actum *Petrus est animal*, modò hunc, *Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*, inferre, atque deducere possunt, sed actus ex præmissis legitimè deductus conclusio est. duplex igitur conclusio ex iis præmissis formalibus possibilis est, quarum vna, & non alia suprà obiectiuas intrinsecè, & immediatè reflectat: maior probatur: eatenus præmissæ ad assensum conclusionis intellectum mouent, eumque inferre possunt, quatenus obiectum conclusionis implicitè repræsentant, illudque intellectui quodammodo proponunt, vti suprà edocuimus: at eæ præmissæ, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, obiectum vtriusque illius actus implicitè repræsentant, & intellectui proponunt: prioris quidem, ac minimè reflectentis, vt apud omnes est indubitatum: posterioris etiam, ac reflectentis: siquidem ideò obiectum prioris actus implicitè repræsentant, nimirum *Petrum esse animal*, quia hoc quod est Petrum esse animal necessario connexum est cum hoc quod est, omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem, quod præmissæ explicitè repræsentant: at obiectum posterioris actus, nimirum Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, necessario connexum est cum hoc quod est hominem omnem esse animal, & Petrum esse hominem, nec alterum verum esse potest, quin alterum etiam cum veritate cohæreat.

Caput XIV.

Argumenta pro duabus sententiis extremis, media, ac veriori oppositis.

OBiici solet pro prima sententia & contra secun- 136
dam nostræ sententiæ partem: obiectum præmissarum est obiectum formale, & specificatiuum conclusionis: at hæc semper attingit intrinsecè, & immediatè suum obiectum formale, & specificatiuum: qui enim fieri potest, vt speciem, ac formam tribuat actui quod ei non obiicitur intrinseca, & immediata ratione? ita ergo semper attingit conclusio præmissarum obiectum. Secundò: ratio formalis aliud attingendi immediatè debet attingi, qua ratione visio coloris perspicit immediatè lucem, quoniam hæc est ratio formalis obiectiua videndi coloris, ideoque videtur color, quia est luce affusus: at obiectum præmissarum est ratio formalis assentiendi conclusioni, ideoque intellectus huic assentitur, quoniam illis præbuit assensum: actus igitur conclusionis debet

bet attingere præmissarum obiectum. Tertiò : si conclusio non affirmat intrinsecè , & formaliter Petrum, verbi gratia , esse animal , quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, affirmabit ergo Petrum esse animal intrinsecè, & formaliter propter se : assensus ergo conclusionis erit intrinsecè,& immediatè assensus principij,siue immediatus : talis autem nunquam esse potest:ergo nec vnquam excludere præmissarum obiectum.

137 Quartò ei particulæ, *ergo*,aliquid in mente correspondet : at non aliud quam modus tendendi conclusionis , quo intrinsecè , & immediatè suprà obiectum præmissarum reflectit. Quintò,& paulo aliter: quando intellectus affirmat aliquid sub conditione expressa per voculam *si* hunc in modum,verbi gratia, si sol lucet dies est , haud attingit vnquam solum conditionatum sine conditione , sed vno indiuisibili actu , quo fertur in illud, hanc etiam intuetur : quapropter superior propositio hypothetica vtrumque complectens est vna prorsus , vt certo certius : eundem igitur in modum quando intellectus concludit aliquid ex præmissis eo processu , qui per voculam, *ergo* , solet exprimi , nequaquam vno ferri poterit actu in solum quod colligit , nulla, eius, quod præmittitur ad colligendum , ratione habita , sed potiùs vtrumque indiuisibiliter per assensum conclusionis attinget.

138 Declaratur & confirmatur: in hoc syllogismo si sol lucet,dies est ; sed sol lucet : ergo est , postremus actus non est conditionatus, sed absolutus, vt est vel ipsa luce diurna clarius : & tamen attingit extrinsecè conditionem : quamuis ergo assensus aliquis ex præmissis illatus , earum obiectum extrinsecè attingat non propterea dicendus conclusio, aut cognitio discursiua & mediata , sed potiùs immediata notitia , & principium quoddam : vt ergo conclusionis rationem habeat opus est reflectere intrinsecè suprà obiectum præmissarum. Antecedens quoad eius vtramque partem est perspicuum, nec minorem habet perspicuitatem secunda consequentia: suadetur autem prima:nam sicut actus conditionatus eiusmodi est per respectum ad conditionem,ita & conclusio per ordinem ad præmissas obiectiuas:has ergo extrinsecè tantum attingi haud magis faciet assensum aliquem esse conclusionem , quam conditio extrinsecè tantum,& mediata repræsentata efficit , vt actus aliquis sit conditionatus , & neutiquam absolutus.

139 Sextò : necessum est , vt actus fidei intrinsecè , & formaliter attingat mysterium reuelatum , & simul diuinam reuelationem , illud nimirum propter hanc. Rursus electio medij semper illud propter finem intrinsecè,& immediatè attingit:ergo similiter in præsenti, &c. Septimò : in hoc syllogismo expositorio, hoc animal est hoc rationale , Petrus est hoc animal, ergo Petrus est hoc rationale , prima propositio est maior, & postrema est conclusio : sed non alia ratione,nisi quia postrema reflectit intrinsecè suprà obiectum aliarum duarum, secus vero prima : aliàs cur è conuerso postrema propositio non sit interius , & in mente maior,& prima conclusio,in hunc modum Petrus est hoc rationale , Petrus est hoc animal , ergo hoc animal est hoc rationale?quod si in hoc syllogismi genere est necessaria conclusionis suprà præmissas reflexio non apparet cur in alio quouis non sit eius reflexionis æqua necessitas. Octauò : ex præmissis deduci potest aliquando actus , qui suprà earum obiectum intrinsecè reflectat , vt nos suprà fassi sumus : igitur ita semper vsuenire credendum est : intellectus enim,cum sit potentia necessaria , quod potest facere id semper facit:quandoquidem ergo potest per conclusionem suprà obiectum præmissarum reflectere,ita semper reflectet.

Nonò : esto consequens sit verum , solet consequentia multoties negari,verbi gratia, proposito hoc syllogismo omnis lapis est substantia , Petrus est lapis,ergo Petrus est substantia, aut quouis alio id genus,sanè concessa maiori,& negata minori,negabitur etiam consequentia, iuxta modum respondendi Dialecticæ regulis præscriptum , atque in scholis vsitatum : consequentia ergo præmissis superueniens non iudicat præcisè veritatem consequentis , aliàs malè negaretur : iudicat ergo insuper,consequens esse verum propter obiectiuas præmissas , adeoque ad has sese conuertit. Quod si in his syllogismis,vbi supposita consequentis veritate negatur tamen consequentia,assensus conclusionis semper reflectit suprà præmissas , non est quapropter in quibusuis aliis non semper vsueniat idem , cum , spectatis vtrorumque generibus, omnium eadem sit forma , & artificiosa dispositio. 140

Decimò : iudicium conclusionis id debet intrinsecè attingere, quod apprehensio ad eam necessaria, & præuia proponit : sed hæc apprehendit bonitatem illationis, siue conclusionem esse veram propter præmissas , & ex his legitimè inferri : necessum ergo est, vt conclusio totum hoc repræsentet , adeoque in præmissarum obiectum reflectat. Maior est indubitata : probamenta minoris posita sunt superius capite 11. & 12. nec est quod repetantur in præsenti. 141

Tandem obiectum conclusionis,& obiectum præmissarum minimè distinguuntur , sed potiùs sunt reuera idem : at conclusio semper attingit intrinsecè & immediatè suum obiectum : eadem ergo ratione intuebitur obiectum præmissarum. Minor,& consequentia sunt in aperto. Probatur maior , in hoc syllogismo , omnis homo est animal , Petrus est homo, ergo Petrus est animal , obiectum præmissarum nil aliud est , quam Petrus, animal, & homo, atque illorum cum hoc identitas per voculam *est* bis prolatam expressa ; conclusionis vero Petrus , & animal, & vtriusque immediata identitas per voculam *est* semel editam repræsentata : at Petrus non distinguitur à seipso , nec animal à se , nec homo ab vtroque , nec identitas extremorum in tertio cum eorum identitate immediata,nam quæ sunt eadem vni tertio , sunt eadem inter se:nequaquam ergo distinguitur obiectum illarum præmissarum ab obiecto conclusionis : par autem videtur esse ratio quorumuis assensuum quemcunque syllogismum constituentium. 142

Atque ex his inferunt quidam aduersariorum cum P. Meratio superius citato , conclusionem omnem necessariò reflectere suprà præmissas etiam formales : quoniam eiusmodi reflexio semper est necessaria suprà præmissas obiectiuas , non qualitercunque sumptas,sed provt sunt ratio assentiendi:iat neutiquam sunt ratio assentiendi nisi vt certè quodam, & artificioso modo cognitæ : ergo provt tales debent vi conclusionis attingi, adeoque simul cum præmissis formalibus. Hinc vlterius inferunt iidem, præmissas formales concurrere efficienter ad conclusionem : scilicet enim obiectum præsens , & proportionatum seipso , & non per speciem efficit cognitionem suam. 143

Iam pro secunda sententia contra primam nostræ sententiæ partem solet opponi. Conclusio,si quando terminaretur intrinsecè ad obiectum præmissarum, haberet sibi intrinsecum , & immediatum obiectum formale, & materiale:quare sine præmissis esse possit, haud secus atque hæc propositio causalis , quia sol 144

lucet

lucet dies est, sine his propositionibus, *Sol lucet, dies est*, aliisve quibusuis esse potest, nimirum quia ea propositio causalis habet suum obiectum formale sibi intrinsecum, & immediatum, & vtrumque per seipsum, & non præcise medio alio actu respicit: at nulla conclusio sine præmissis suis esse potest, reflexio igitur illa intrinseca, ex qua contrarium sequitur, neutiquam est admittenda: minor, quæ sola eget probamento, suadetur hunc in modum omnis conclusio pendet essentialiter à præmissis; aliàs non futura conclusio, sed principium: nequit igitur esse sine illis: item si conclusio sine præmissis esse posset, & ab iis sine vlla essentiali connexione proficisci, non esset quamobrem hæc causalis, *quia sol lucet, dies est*, conclusio non esset intuitu harum propositionum, *sol lucet, dies est* à quibus tanquam præambulis oritur, ita tamen vt sine iis esse, & conseruari possit: consequens autem absurdum, & contra omnes.

145 Rursus secundo solet opponi visio nostra materialis, atque corporea est immediata, & neutiquam discursiua: alioqui, cum belluis communis sit imò in illis aliquando perspicacior quam in nobis, eas oporteret esse discursiuas, ac rationales: at non alia de causa, nisi quia aliunde non emendicat obiectum formale, sed illud suo sibi marte præstituit, atque albedinem, v. g. quia est color luce illusus perse metipsum, & non per alium actum attingit: ergo si assensus conclusionis obiectum formale non aliunde emendicatum, sed sibi intrinsecum, & proprium habet, ac Petrum v. g. esse animal quia est homo, & nullus homo non est animal, seipso affirmat, erit non conclusio, aut discursiua cognitio, sed immediata notitia, & principium quoddam. Nec valet, assensum conclusionis causari ab alio quodam anteriori, cum tamen visio aliam sensionem minimè præsupponat: non inquam valet: tum propter rationem num. superiori positam, quæ etiam in præsenti locum habet: deinde, quoniam prius video quæ sunt in medio, quam quæ sunt è regione sita: hoc tamen ad discurrendum oculis sufficere, cæcus sit, qui asserat: denique quia ne sensio materialis interna est discursiua, cum tamen præsupponat externam.

146 Præterea tertio: in conclusione non debet repeti medium, & ex falso interdum sequitur necessario verum; vt omnes dialectici tradunt: sed neutrum ita se haberet, si cõclusio aliqua supra obiectum præmissarum intrinsecè reflecteret: fac enim ex his præmissis, omnis lapis est substantia, Petrus est lapis, hanc infetri conclusionem, ergo Petrus est substantia, quia lapis est substantia, & Petrus est lapis, sanè hoc ipso repeteretur in conclusione medium, & rursus ex his præmissis falsis non sequetur necessario verum, sed falsum; vbi autem eiusmodi præmissæ verum concludere nequeant, nullis falsitati obnoxiis poterit ea vis concedi.

147 Quartò obiectum præmissarum semper est proprie loquendo obiectum formale conclusionis: tum quia est id propter quod illa suo assentitur obiecto: tum quia quod colligitur ex obiecto præmissarum est obiectum materiale conclusionis, ergo non formale: solum ergo obiectum præmissarum poterit eius esse obiectum formale; haud enim sine aliquo propriè tali esse sustinet: tum denique quia si non respiceret velut obiectum formale verum, ac proprium id ad quod terminantur præmissæ formales, sed omne obiectum formale sibi intrinsecum haberet, esset assensus principij & non conclusionis iuxta dicta paulo superius. Atqui conclusio neutiquam habere posset pro obiecto formali propriè fando præmissas obiectiuas, si supra eas non reflecteret intrinsecè, sed tantum extrinsecè, & mediantibus præmissis formalibus: quemadmodum enim causa remota, & mediata non est propriè causa vt in Physicis ostensum est ex professo, vtque non pauci tradunt Auctores, ita obiectum formale mediatum & extrinsecum haud poterit rationem obiecti formalis propriè sortiri. Huic etiam instituto congruunt, quæ disputabuntur infrà tract. 10. huiusmet libri cap. 3. & 5.

Quintò: post discursum facillime elicimus actum 148
tendentem ad solam conclusionem obiectiuam sine præmissis, & harum obliti illius recordamur absque negotio: signum ergo est, conclusionem formalem, vnde eiusmodi relinquitur habitus, solam conclusionem obiectiuam immediate intueri, nec vnquam reflectere intrinsecè suprà obiectum præmissarum. Tandem si conclusio ex his præmissis veris, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, deducta, posset esse hæc, *ergo Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*; profecto deberet esse falsa: nimirum quæ non causam conclusionis obiectiuæ pro causa tamen redderet: nam causa formalis, quapropter Petrus est animal, est eius animalitas, non verò quod alij omnes homines naturam animalis participant.

Caput XV.

Superiorum argumentorum solutio.

149 Ad primum eorum, quæ sunt aduersus priorem nostræ sententiæ partem obiecta, respondeo conclusionem non reflectentem supra præmissas, qualem in præsenti tueor, bifariam debere sumi: primò intrinsecè & quoad suam substantiam; atque ita eius obiectum formale, & specificatiuum esse solam identitatem immediatam extremorum inter se, siue, quod perinde est, extrema prout eadem immediata inter se, non verò identitatem eorum mediatam sinè cum tertio. nil mirum ergo, si ad hanc more præmissarum intrinsecè, & immediate neutiquam terminetur: secundo extrinsecè, & quatenus per dependentiam ab assensu principiorum denominatur conclusio; prout autem huic denominationi subest optime sortiri posset pro obiecto formali, ac specificatiuo id ad quod terminantur intrinsecè, & immediate præmissæ solæ non verò ipsa: quod enim extrinsecè & mediate comparatur cum re aliqua ei formam, speciemque extrinsecam, & accidentariam tribuere potest, ac solet non raro: qua ratione actio exterior dicitur extrinsecè mala, aut bona ob finem quem non intrinsecè respicit, sed extrinsecè & mediante interiori voluntatis actu à quo dimanat.

150 Ad secundum respondeo, rationem attingendi aliquando attingi intrinsecè, & immediate, vt constat exemplo illo lucis, & coloris aliquando vero non attingi: nam visibilitas etiam est ratio attingendi colorem; & tamen visus noster colore se pascens, & oblectans neutiquam attingit visibilitatem, cum hæc sit denominatio extrinseca à visione in potentia quam proinde actualis visio nequit attingere: tum quia iuxta plures aduersarios supra se non reflectit: tum etiam quia quod est vniuersale, & in potentia intellectui non sensui presertim externo obiicitur vt plurimum. Quinetiam, licet sermo sit de visibilitate, quatenus est denominatio intrinseca, & essentialis colori, eiusque mera non repugnantia terminandæ visionis, haudquaquam attingetur eodem

modo quo color, respectu cuius est ractio obiectiua attingendi: nam color explicitè videtur à nobis, visibilitas autem nonnisi implicitè, & confusè, vt optimè in simili B. Th. 1. p. q. 16. a. 3. ad 3. Quod ergo obiectum præmissarum sit ratio assentiendi respectu conclusionis, non arguit illud ab hac semper attingi intrinsecè, & immediatè, sed ad summum aliquando.

151 Ad tertium respondeo: vt assensus conclusionis non sit assensus principij, & omninò immediatus, satis est, vt in obiectū suum extrinsecè, & remotè feratur propter aliud, esto in illud intrinsecè, & proximè tendat propter sese: atqui in nostra sententia conclusio non reflectens supra præmissas obiectiuas nihilominus obiecto suo assentitur extrinsecè, & remotè propter obiectum præmissarum, à quibus deriuatur. Ad quartum: ei particulæ, *ergo*, non correspondet is tendendi modus, eaue reflexio, quam intendunt aduersarij, sed actio directiua, qua præmissæ ad assensum conclusionis concurrunt.

Ad quintum: actus intellectus conditionatus siue hypotheticus non dicitur talis, propterea quod affirmet, conditionem, aut effectum conditionatū absolutè esse, sed quod asserat dependentiam, & sequelā, siue necessariam, siue contingentem huius ab illa: v. g. non dicitur hypothetica propositio illa, *si sol lucet dies est*, quod solem esse, aut diem esse constituat, sed quod statuat, diem esse, si sit sol, & ad huius lucem illius ortum sequuturum: quocirca necesse, est vt actus conditionatus conditionem, & effectum ab eo pendulum attingat intrinsecè, quando relatio illa dependentiæ, & consecutionis nequit sine illis intrinsecè attingi. Cæterum conclusio, siue cognitio discursiua formaliter, ac propriè talis haud est sita præcisè in iudicio connexionis vnius obiecti cum alio, aut in eo quod affirmet, hoc esse quia est illud, alioqui Deus propriè, ac formaliter discurreret, sed in eo quod vnus actus inferatur ex alio vi connexionis inter vtriusque obiectum: si quando ergo detur hæc illatio sine reflexione intrinseca, & immediata supra obiectum præmissarum, quidni & conclusio, discursusque vtvt absque intrinseca possessione conditionis nullus sit actus conditionatus? Atque hinc constat ad confirmationem, & declarationem argumenti.

152 Ad sextum respondeo, exemplum in primis fidei nullam doctrinæ contrariæ fidem conciliare. Præterquam enim quod sint non pauci, quos inter Ripalda in manuscriptis Theologicis, eius sententiæ; vt putent fidem aliquando intrinsecè attingere solum mysterium, prælucentibus duntaxat extrinsecè diuina reuelatione, & auctoritate, aliquando vero has etiam intrinsecè; ob id verius arbitror, quod in præsenti docet Arriaga, fidem intrinsecè semper attingere diuinam auctoritatem, & reuelationem, quia si eas tantum extrinsecè, & mediatè, adeoque secundū quid attingeret, certè nonnisi secundum quid esset virtus Theologica. Quæ ratio nō procedit in cōclusione cōparata ad præmissarū obiectū: ea siquidē haud est actus Theologicus ex genere suo, nec si esset, vt talis esset, quidpiā interesset tendētia intrinseca in obiectū præmissarū. Porrò electionis exemplū nihil fauet aduersariis, cū electio modò finem modò dūtaxat mediū intrinsecè respiciat.

153 Ad septimum: in eo syllogismo expositorio, posterior propositio, nempe *Petrus est hoc rationale*, potius est conclusio, quam propositio priori loco pronunciata, non quod reflectat intrinsecè supra obiectum duarum [illegible] cedentium, sed quia voluntas voluit, vt duæ antecedentes ad postremam actu secundo concurrerent, cum è conuerso accidere potuerit pro libito, ac nutu voluntatis, vt quæ modo conclusio est cum minore maiorem concluderet eo argumenti genere, quod circulare vocari consueuit. Ad octauum: intellectus in elicienda cōclusione subditur imperio voluntatis: quare potest elicere conclusionem ad obiectum præmissarum intrinsecè terminatam, aut conclusionem ita non terminatam, vt maluerit voluntas, cui, vt iam iam perstrictum est, & suprà latius ostensum, intellectus, quantumuis sit potentia necessaria, subiicitur in exercitio conclusionis.

Ad nonum respondeo; illud in eo peccare, quod 154
supponat consequentiam esse assensum conclusionis, cum tamen non sit nisi illatio illa, & dependentia conclusionis à præmissis: quocirca non dicitur à Dialecticis vera, aut falsa, sed bona, aut mala: haud ergo iudicat consequentia, cum negatur, supposita veritate consequentis, hoc esse quia est obiectum præmissarum: quod enim iudicij rationem non obtinet, quî iudicare potest? Rursus si, vt docet Iauellus tract. 9. Log. c 1. §. *quantum ad primum aduerte*, consequentia est argumentatio tota, quatenus præmissas complectitur, rectè poterit negari, & falsa esse consequentia, etiamsi sit verum consequens, non quod assensus conclusionis suprà falsas præmissas reflectat, sed quod eas includat argumentatio: quocirca perinde est ita consequentiam negari, ac argumentationem haud esse omnino veram, sed quadantenus falsam. Ad decimum respondeo, necessitatem illam apprehensionis præuiæ, qua repræsentetur bonitas illationis, anteaquam inferatur conclusio, satis esse à nobis suprà cap. 11. & 12. reiectam.

Ad postremum respondeo: in primis in syllogis- 155
mo, quem obiicit, medium præmissarum, videlicet homo, si non re at ratione distinguitur ab extremis conclusionis, Petro scilicet, & animali: item identitas extremorum mediata, & vni tertio per præmissas representata distinguitur etiam ratione saltem ab identitate eorum immediata, quam assensus conclusionis exprimit: hoc autem satis est, vt quodam vero sensu non reflectat intrinsecè & immediatè suprà obiectum præmissarum, sed ab eo præscindat, vel ratione ratiocinata, & obiectiua, vel ratione ratiocinante, ac formali. Rursus quid dicent aduersarij ad hunc syllogismum, *si sol est, lux est, sed sol est ergo lux est*, vbi obiectum conclusionis distinguitur realiter ab obiecto præmissarum, tanquam effectus à sua causa.

Atque ex his constat, neutiquam concedendam 156
esse reflexionem conclusionis suprà præmissas formales: tum quia innititur reflexioni illius suprà obiectiuas, quæ hucusque est satis cumulateque reiecta: tum etiam quia licet conclusio reflectat suprà præmissas obiectiuas, perperam inde arguitur reflexio illius supra formales: duplex enim est ratio assentiendi, alia nimirum obiectiua, & formalis alia: illa quamuis admittatur vltro debere cognosci per actum ab ea pendentem, non tamen hæc: præmissæ autem obiectiuæ provt cognitæ haud sunt ratio assentiendi obiectiua, sed potiùs ratio formalis: quamobrem ita sumptæ, ac reduplicatione facta suprà cognitionem non debent cognosci per conclusionem, imò nec per vllum intellectus actum. Sic lux provt visa est ratio formalis videndi colorem, eaque non visa nequaquam hic videretur: nihilominus iuxta aliquos non est necesse propterea visionem lucis reflexè videri: & quamuis non desint alij, qui eam tueantur reflexionem non tamen illa de causa, quam in simili obiiciunt nunc aduersarij, sed aliis multò diuersis. Sed de hoc puncto latè inferius tractatu 12. Constat etiam secundò concursum effectiuum præmissarum formalium in assensum conclusionis neutiquam admittendum esse:

esse: innitit reflexioni conclusionis suprà præmissas formales, quæ tamen quam sit inutilis, ac superuacanea demonstratum est haud ita suprà.

157 Progrediorìam ad argumenta contra posteriorem nostræ sententiæ partem: atque ad primum illorum respondeo actũ conclusionis sine præmissis esse posse. Prima probatio opposita nihil conficit, cum superius ostensum sit, quatenus actus conclusionis à præmissis essentialiter non pendeat, & quatenus vt conclusio, & principium sit, sufficiat quod actu à præmissis pẽdeat, esto ea dependentia non sit essentialis. Secũda probatio contraria haud est magis momẽtosa: siquidem ea propositio causalis, *quia sol lucet dies est*, non est cõclusio respectu harum, *sol lucet, dies est*, tametsi ab iis oriatur, eo quod ratione formæ non repræsentent implicitè obiectum illius causalis, nec illud intellectui proponant: quocirca ratione formæ eam causalem non inferunt, sicut oporteret, vt cum ea constituerent argumentationem, illamque deducerent velut conclusionem: quod autem eæ propositiones ratione formæ obiectum causalis, nimirum diem esse quia sol est, minimè repræsentent, facillimo suadetur negotio: nam hæ propositiones, *ignis amburit, aqua humectat*, eandem formam, eundemque tendendi modum, atque propositiones illæ præambulæ nobis obiectæ sortiuntur: at hæ propositiones postremæ non repræsentant simpliciter, aquam humectare quia ignis amburit, nec causalem aliquam virtualiter continent: ergo nec priores.

158 Ad secundum respondeo, visionem nostram cum belluis nobis communem haud esse conclusionem, haud cognitionem discursiuam: huius autem ratio non est quod habeat independẽter à quouis alio actu obiectum formale sibi intrinsecum, & proprium, vt malè supponitur in argumento, sed quod non sit intellectio, cum tamen sola facultas intellectiua possit discurrere saltem in hac serie rerum: vel quod non sit iudicium, cum tamen sola cognitio iudicatiua possit esse discursiua, & vim conclusionis obtinere: vel quod vnum propter aliud prius cognitum beneficio connexionis vtrinque repertæ non attingat: huiusmodi autem connexio plerumque in eo sita est, quod vnum obiectum sit identitas extremorum inter se, siue hæc, provt eam subeunt, aliud vero propter quod cognoscitur eorum sit identitas mediata, atque in tertio: quamuis autem visio vnius obiecti visionem alterius, & sensio interna externam supponat, non tamen propter supradictam connexionem obiectorum, aut innitendo huic principio, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se vel id genus alteri. Proinde exempla ad finẽ argumenti obiecta non vrgent: quin potius nobis præbent ansam, retorquendi argumentum in aduersarios: haud enim negabunt, vel iure poterunt, simplicem apprehensionem habere obiectum formale sibi intrinsecum: cur ergo non est conclusio, quando nascitur vel ex alia apprehensione, vel ex alio iudicio?

159 Ad tertium respondeo, regulas illas Dialecticas, nimirum in conclusione non debere repeti medium, & ex falso quandoque sequi verum, intelligendas esse de sola conclusione vocali, in qua semper verum habent, & nunquam sunt falsitati obnoxiæ: aut secundo de conclusione etiam mentali, quæ in obiectum præmissarum intrinsecè non reflectat: aut tertio de omni conclusione, quatenus tamen conclusio præcisè repræsentat, extrema esse eadem inter se.

160 Ad quartum respondeo, in primis eius maiorem esse falsam: quidquid enim sit de aliis syllogismis, vbi obiectum præmissarum haud distinguitur realiter ab obiecto conclusionis, sanè in hoc, *si sol est lux est, sed sol est, ergo lux est*, aliove simili, verius est conclusionem, vt non attingit immediatè, & proximè obiectum præmissarum, sed aliud realiter distinctum, & non conditionem, causamve, sed effectum, ita haudquaquam habere propriè loquendo velut obiectum formale id ad quod respiciunt præmissæ. Prima autem ratio contraria non obest: nam obiectum præmissarum est id, propter quod conclusio suo assentitur obiecto, propter quod, inquam, siue intrinsecè, & immediatè, siue extrinsecè, & mediatè. Non etiam secunda: præterquam enim quod non desint quidam arbitrantes, haud absurdum esse actum aliquem intellectus nostri omni obiecto formali propriè tali destitutum, satisque aliquibus esse illud impropriè sumptum intueri, quo pacto Deus seipsum cognoscens aut amans nullum iuxta nonnullos, obiectum formale strictum, propriumve cognitioni, aut amori suo præstituit, ob horum actuum ab eo in quod feruntur realem indistinctionẽ præterquam, inquam, quod hæc ita sint, respõderi potest, cõclusionẽ habere posse velut obiectum formale id quod colligit ex præmissis: dicetur autem simul materiale, sed aliter, & aliter: videlicet formale intrinsecum, & materiale extrinsecum. Non denique tertia: quoniam eã nititur fundamentis, quæ iam supra sum demolitus.

Respondeo secundò, minorem eius argumẽti haud 161
esse veram vniuersim: nam in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, & in quocunque alio idem realiter obiectum vi præmissarum, & conclusionis attingente, hæc, etiamsi intrinsecè non reflectat supra præmissas obiectiuas, provt tales, at eas absolutè sumptas verè, ac propriè cognoscit, vt constat ex dictis suprà lib. 2. tr. 4. c. 13. ibi enim ostensum est ex professo, quando intellectus cognito animali, v.g. non cognoscit rationale provt tale, nihilominus illud cognoscere propriè, & absolutè; videlicet quia merito identitatis realis illud cognoscit, provt est animal: par autem est ratio in præsenti. Respondeo tertiò, obiectum præmissarum, quales eæ cunque sint, esse obiectũ formale cõclusionis propriè loquẽdo, si non sumatur cõclusio quoad suã substãtiam, provt fuit de illa sermo in prima respõsione argumẽti,, sed provt extrinsecè denominatur, & informatur à præmissis formalibus, easque quodãmodo includit: ita enim fieri nequit, vt obiectũ formale præmissarũ non sit eiusmodi respectu conclusionis, quæ penes hanc denominationem illas, vt dictum est, complectitur. Hoc autem pacto non refert, quod assensus conclusionis quoad suam substantiam non reflectat intrinsecè, & immediatè suprà obiectum præmissarum: satis enim est, vt quoad denominationem extrinsecam, & accidentariam ab ipsis præmissis supra illud ita reflectat, & ita denominata eiusmodi obiectum formale suo sibi iure vendicet.

Ad quintum respondeo: quemadmodũ recordamur 162
multoties lucis sine colore, & mysterij reuelati sine reuelatione: & tamen eodẽ possumus actu videre lucem, & colorem; eodemque credere mysteriũ reuelatum, & eius reuelationẽ: ita similiter in præsenti, &c. Præterea post discursum sæpè remanet in nobis memoria conclusionis obiectiuæ sine præmissis, & sæpè etiã vtriusque memoria, ac recordatio: prior ergo si arguit nos concludere non reflectẽdo intrinsecè supra obiectum præmissarum, & posterior argumento esse poterit, inesse nobis haud rarò conclusionem, quæ supra præmissas obiectiuas immediatè reflectat. Ad postremum respondeo: aliud est, esse causam quoad esse rei: aliud esse causã quoad esse cogniti: quod verò omnis homo sit animal haud est causa reipsa tenus, quapropter Petrus sit animal: quid enim refert, alios homines esse

animalia, vt Petrus sit eiusmodi? at omnem hominem esse animal, in cognoscendo potest esse causa, ob quam Petrus sit animal. Sic diuina reuelatio non est causa mysterij, quod reuelat, in esse rei, vt aiunt: est tamen eius causa in esse cogniti. Proinde quando ex his præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, infertur, Petrum esse animal, quia est homo, & omnis homo est animal; huiusmodi reflexiua conclusio non est falsa, nec affert in causam sui obiecti, quod eius causa non est, sed potiùs quod talis est, sin minus reipsa, at cognitione tenus: hoc autem nisi sufficiat ad abolendam omnem falsitatem, fidei diuinæ suberit proculdubio falsum.

TRACTATVS V.

De aliis speciebus actuum intellectus.

CAPVT I.

Septuplex diuisio actuum intellectus.

1 NIMIRVM in artem, scientiam propriè dictam, prudentiam, sapientiam, intellectum, suspicionem, atque opinionem. Porrò autem ars, vt ab eâ ordiamur, tripliciter sumi consueuit. Primò, pro quauis notitia intellectuali, seu practica, seu etiam speculatiua: hoc sensu Mathematicas, quamuis alioqui speculationes sint, & scientiæ, artes tamen vocant Plato, Aristoteles 1. Rhetoric. ad Theodectum, & alibi sæpè. Plutarchus lib. de diuinat. apud Stobæum. Eodem sensu Cicero libro 5. defini. dixit: *Omnium artium rectè dici potest, commune esse vt in aliqua scientia versentur: scientiam autem suam cuiusque artis esse.* Eodem etiam sensu dixit Fabius lib. 2. cap. 18. *Cùm sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est, cognitione, & æstimatione rerum, qualis est Astrologia nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quæ theoricè vocatur: aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, &c.* Secundò vsurpari solet ars pro omni, & sola notitia practica. Ita B. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. Arist. 1. ethic. c. 1. quos referunt, & sequuntur Conimbr. q. 1. proœmiali art. 2. Tertiò accipi solet ars pro sola notitia practica ad externam materiam transeunte; quo pacto loquitur Plato in sophista, & Aristot. dicto lib. 6. ethic. sic inquiens: *Et nulla neque ars est, quæ non cum ratione factionis habitus est, neque talis, quæ non ars: idem vtique erit & ars, & habitus cum ratione vera factiuus.* At iuxta Arist. 9. met. factio est circa externam materiam, & actio circa internam. Quod etiam sentit B. Thom. lect. 3. nuper citata: *Actio, manens in ipso agente operatio dicitur, vt videre, intelligere, & velle. Sed factio est operatio transiens in exteriorem materiam ad aliquod formandum ex ea, sicut ædificare, & secare.* Eadem ratione vsurpant artem Conimbr. vbi suprà, & Theophilus in prolog. discip. mor. §. 2. num. 20.

2 Post diuisionem artis, reliquum est, vt eam finiamus. Omnium autem celeberrima eius finitio est hæc: *Ars est collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ.* Ita Stoici omnes teste Cicerone lib. 4. academ. quæst. ita etiam medici cum Galeno c. 5. introd. & q. 1. medicarum finitionum: ita denique omnis Peripateticorum schola. Quænam autem ars ea definitione explicetur, explicatu eget, an nimirum primo modo sumpta, vel potius secundo, aut tertio modo vsurpata? Quod eius definitionis materia non sit ars postrema ratione accepta, certo certius: alioqui sicut hæc excludit practicas scientias ad externum opus non prodeuntes, ita etiam huiusmodi facultates sub eam definitionem non caderent: atqui nulla eius particula est, quæ eas reiiciat. Quod ars secundo modo tradita eius definitionis subiectum sit, opinio est Galeni & Theophili locis nuper citatis, & aliorum plurium, eaque, quantum arbitror, verior, ac probabilior est: omnes enim, & qualescunque scientiæ practicæ, necnon solæ illæ sunt collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ: omnes quidem vt sponte sua patet: solæ etiam, quia facultates non practicæ, sed tantum speculatiuæ haud inuentæ sunt ad vsum aliquem vitæ, sed propter solam veritatis contemplationem, vt luculenter docet Aristoteles l. 1. metaph. c. 1. *Cùm autem plures artes inuenirentur, quarum aliæ ad res necessarias, aliæ ad cultum vitæ conferrent, semper tales cæteris sapientiores fuisse putamus, quod eorum scientiæ non ad vsum referantur. Quocirca omnibus iam huiusmodi rebus comparatis, eæ scientiæ repertæ sunt, quæ nec ad voluptatem, nec ad vsus necessarios conducunt, ac primum iis in locis, vbi homines in otio vitam agebant. Hinc Mathematicæ artes in Ægypto primum constitutæ sunt, quod ibi concessum sit, vt Sacerdotes otio fruantur.* Idipsum etiam cum Aristotele sentiunt Fonseca ibid. littera T. pluresque alij interpretes. Atenim probabilitate non vacat, quod Conimbricenses suprà quæstione 1. articulo secundo, & communiter alij recentiores volunt, artem etiam primo modo sumptam, & quatenus scientias omnes tam practicas, quam speculatiuas complectitur, ea definitione exponi: quod vt sustineri queat, postrema definitionis verba ita sunt interpretanda, vt vtilitas, quam respicit ars, non præsè accipiatur, sed omne bonum coërceat: sic autem facultates speculatiuæ ad finem aliquem vtilem vitæ conducunt, scilicet ad bonum intellectus, & veritatis perfectam possessionem, atque ignorantiæ, & errorum fugam.

Obiicies tamen aduersùs prædictam artis definitionem. Deus Optimus Maximus arte præditus est, vt habetur Sapient. capite 7. *Omnium enim artifex docuit me. Sapientia* & capite 8. *Quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex.* Quæ de sapientia increata communiter interpretes intelligunt, & merito quidem: namque nuper citato capite 7. de artifice illa sapientia subditur: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis & imago bonitatis illius.* Artem etiam in Deo agnoscit Augustl. lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Verbum est ars omnipotentis Dei, plena omnium rationum viuentium.* Eam etiam Pater Suarez 1. parte libro 3. de attributis capite 4. numero 7. velut exploratam supponit. Atqui in Deo non est collectio multarum comprehensionum, &c. sed potius vno simplicissimo mentis suæ intuitu cuncta comprehendit: perperam ergo ars per multitudinem, & collectionem comprehensionum à summa Dei simplicitate prorsus alienam definitur. 3

Obiicies secundò: tota Logica, v. g. est vnus simplex habitus, ac proindè vna habitualis comprehensio: non ergo collectio multarum comprehensionum: & tamen est ars. Argues tertiò: Logica si non est simplex habitus, sed multiplex, certè hoc ipso non de vna re, siue obiecto formali censetur esse, sed potiùs de multiplici, vtpote ex quo multiplicitas in habitus Dialecticos redundet: vel hoc ergo nomine ea 4

definitio

definitio reiicienda est, aut Logica quidem disciplina non circa vnam rem occupatâ à cœtu artium remoueri debet, nec solum ipsa, sed quæcunque alia totalis. Argues quartò: tametsi Logica in plures habitus distincta sit, attamen quiuis eorum est ars: quid enim inter auctores vsurpatius arte definiendi, verbi gratia, arte diuidendi, aut arte inueniendi medium? quarum tamen nulla plures habitus claudit, nulla non vno duntaxat continetur: malè ergo ad artem multitudo comprehensionum exigitur. Tandem oppones: Magia est ars: eam enim vocant artem Plinius libro 30. capite 1. & 2. ac reliqui auctores gentiles: eam etiam eo nomine appellant Diuus Clemens libro quarto, de rog. & alij Patres: denique scholastici nostri eam sic passim nominant, in primis vero noster Delrius libro primo magicarum disquisitionum cap. 2. Atqui non est collectio multarum comprehensionum ad finem vtilem vitæ, sed potiùs inutilem, noxium, & pernicioſum. Quapropter Plinius nuper laudatus eam inestabilem, irritam, inanem, fraudulentissimam appellat, talemque re vera esse vtriusq; iuris aduersus eam sacitæ leges testantur.

5 Ad primum argumentum ita respondeo. Quemadmodum in Deo artem esse negari non debet, sic etiam ratione certa credendum est collectionem multarum comprehensionum ei inesse, dummodò non de multitudine reali, sed virtuali, ac solius, rationis sermo sit: quod autem simplicitati diuinæ non repugnet pluralitas prædicatorum, eorumque distinctio impropria, ac metaphorica, cuiusmodi est virtualis siue solius rationis, quantum ego sentio, per se dispalescit. Ad hoc, si comprehensiones non formaliter, sed obiectiuè sumantur, multæ quidem distinctæque, à Deo colliguntur, ac percipiuntur, ac proinde ei inexistit ars, quæ sit collectio quædam intentionalis, siue comprehensio plurium veritatum, quæ ad vnum aliquid sua aut alterius sponte rediguntur. Atque hac ratione definitionem explicandam esse ex Stoicis, à quibus est adinuenta, docent Conimbricenses loco superius allegato. Qui etiam id rectè adiiciunt, Zenonis sectatores, aliosque gentiles fortassis solam artem creatam, sibi cognitam ac perspectam, non verò increatam, ac Dei propriam descripsisse, atque adeo abundè esse, si illi, & non huic omnes descriptionis particulæ conueniant.

6 Ad secundum argumentum similiter respondeo, logicam, si simplex habitus sit, esse quidem vnam comprehensionem habitualem realiter, ac multiplicem virtualiter, seu ratione nostra: aut secundò, esse multiplicem obiecto formali, vel materiali tenus, alterutrum enim horum in Dialectica multiplex esse, nemo inficias ierit. Ad tertium respondeo, logicam habitualem, multiplex si sit, vt longè probabilius, hoc ipso esse non de vno obiecto formali, sed de pluribus, omnia tamen cum referantur ad vnum obiectum attributionis, eam totam ex hoc titulo esse de vna re, sicut adveram rationem artis oportet.

7 Ad quartum respondeo, solam artem totalem, & integram definitam esse: proinde necessum non esse, vt definitio singulis eius habitibus congruat, ac accommodetur. Sed quiuis habitus, eius definitionis esto materies. Quid tū? Profectò quiuis multas comprehensiones obiectiuas in se claudit, & colligit, si de obiectis materialibus loquamur. Adde, quod ars definiendi, aut diuidendi, aut inueniendi medium multos habitus specie diuersos complectitur, tametsi quæuis earum sit vnus habitus generice: quod ergo vnus simplex habitus nequeat esse ars, argumento contrario, exemplisque in eo adductis haud probatur.

8 Ad postremum argumentum respondeo, Magiam in communi sumptam esse quidem artem improprio, ac vulgari modo, aut proprio, ac rigoroso, nec obstis testimoniis conuinci, quod vno magis, quam altero rationem artis obtineat. Quamobrem cum P. Delrius cap. illo 2. eam ita definiisset, ex sua, & communi aliorum sententia, *est ars, seu facultas vi creata & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat*, statim explicat artem generis loco positam non magis proprie, quam impropriè sumi oportere, atque vtrumque modum complecti: eius hæc sunt verba: *Artem dixi, seu facultatem pro quauis cognitione, & operatione apodictica, topica, scientiam gignente, vel non gignente, mechanica, vel liberali, artificiosa vel artis experte, vel circulatoria, superstitiosa, vel vitij experte.* Merito autem hæc adeo dicta sunt: namque cum Magia in naturalem, artificiosam, & diabolicam tribui soleat, sola postrema est, quæ vi pacti cum dæmonibus initi mira quædam, & insolita operatur, cuiusmodi sunt incognitis linguis fari, mortuorum simulacra coram sistere, montes loco suo mouere, innumeras leucas breuissimo temporis spatio emetiri, specula facere in quibus quæ multis milliaribus circum circa fiunt tanquam si essent præsentia appareant, aliaque eiusmodi humanitus fieri impossibilia. Magia vero naturalis, ac legitima est, vt notant Psellus lib. de demon. Proclus lib. de Magia, ac P. Delrius suprà c. 3. Accuratior quædam secretorum naturæ cognitio, qua syderum, & cœlorum influxu, & conuersione, necnon simpathiis, & antipathiis rerum singularium sedulo animaduersis, tuo loco, tempore, ac modo actiua, vt aiunt, passiuis applicantur, & mirifica quædam hac ratione perficiuntur, quorum tamen quia causæ latent, idcirco non sine dæmonum interuentu ea facta communiter creduntur: quemadmodum Tobias felle piscis paternam cæcitatem dispulit, quam tamen vim Galenus, Plinius, Ælianus, & alij cōmuniter Callioyomo pisci attribuunt. Plura id genus exempla habes apud Aug. l. 29. de ciu. Dei, c. 4. 5. & 6. Hieron. Tertull. & alios Patres. Magia autē artificialis humana industria nititur, variisque principiis geometricis, &c. arithmeticis. Huius præsidio creditur Archimedes in Siracusana obsidione Romanorū naues per specula combussisse, item vitrea sphæra cœlum omne 12. signis suis distinctum depinxisse. Huc etiam pertinent, quæ funambuli circulatores, & Agyrti manuum, ac pedum agilitate efficiūt. Quæ cum ita sint, duo priores species Magiæ vtiles sunt, ac laudabiles, adeoque artes omni rigore, & proprietate: cęterum extrema species Magię, videlicet diabolica inutilis, & etiam pernicioſa, ac noxia est, ac proinde non est ars, nisi improprio, & largo modo: optimo ergo iure diximus cum Delrio, Magiam in communi sumptam haud esse artem strictè & rigorosè, sed magis ab ea ita sumpta præscindi: quid igitur mirum, si artis definitio ei non conuenit? præsertim cum ars ab Aristotele, & Stoicis inter virtutes numeretur, non minus quam prudentia, scientia, sapientia, & intellectus; Magia autē genere suo virtus non sit, ac facilè in vitium defectat, si Dæmon ei se admiceat.

9 Porrò scientia etiam trifariam accipitur: primò pro quauis cognitione vera, quanquam obscura, aut etiam incerta sit. Sic dixit Iob c. 19. per solam cognitionem fidei, atque obscuram, & inuidentem: *Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Sic etiam dixit Ionathas Dauidi libro primo, reg. cap. 23. *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saūl patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & Saūl pater meus scit hoc.* Atqui nisi per solam coniecturā, & cognitionem incertā non potuit id impio regi Saūl cōstitisse.

Sumitur etiam scientia multoties pro quauis cognitione euidenti, etiamsi non sit mediata aut discursiua: quo pacto Deus in Scripturis tertio quoque verbo scire dicitur. Denique accipitur scientia pro notitia euidenti mediata, & discursiua, siue ex præmissis demonstrata. Hoc sensu scientiam vsurpauit Aristoteles tum citato libro 6. ethicor. cap.3. tum etiam 1. poster. c.2.

10 Prudentia est recta ratio agendi ea quæ moralem honestatem habent, & ad bene, beateque viuendum pertinent. Sapientia est euidens notitia rerum diuinarum, humanarumque non per causas inferiores, sicut scientia, sed per altissimas, & supremas. Eius sex conditiones ex Aristotelis doctrina luculenter explicat P. Suarez disp.1.metaph.sect.5. à num.8. Intellectus passim significat potentiam quandam animæ, munere cuius ea spiritaliter cognoscit, ac suprà corporeos sensus erigitur. Cæterum in præsenti, atque etiam alibi sæpè ab Aristotele, & aliis sumitur, pro notitia certa, & euidenti, qua intellectus actu, aut habitu assensum adhibet principiis primis, ac per se notis, cuiusmodi hæc sunt, quodlibet est vel non est, omne totum est maius sua parte. Tandem suspicio, & opinio, omnem cognitionem dubiam, incertam, ac probabilem complectuntur. Quapropter hæ duæ species ab Aristotele non numerantur inter virtutes sicut aliæ quinque, quoniam circa falsum esse, & à vero aberrare possunt.

11 At repones, artem etiam sæpè sæpius falli, nihilominus eam à virtutum cætu non arceri: quidni ergo opinio, aut suspicio virtus sit, quanquam vtrique falsum subesse queat & consuescat? Sed facilè repelli potest hæc obiectio. Tametsi enim vulgo dicatur, artem falli, quando summa non contingit, & aduocatus, verbi gratia, causa cadit, aut medicus ægrum non sanat, cæterum reuera ac sublato verbi abusu, ars nunquam falli potest: ea namque non affirmat opus, intentum, fore, sed potiùs quibus modis & mediis eius executio sit procuranda: at semper verum, & infallibile est, rem ita esse faciendam, & procurandam, sicut regulæ artis præscribunt. Cæterum opinio rem fieri, aut esse repræsentat, non vero quatenus fieri, aut esse debeat: quare errori, ac falsitati obnoxia est, propter id quod eius obiectum non fieri aut non esse sustineat.

Caput II.

Diuisio actus intellectus in practicum, & speculatiuum.

12 Svpersunt duo alij generales modi repræsentandi, practicus nimirum, & speculatiuus quos, prætermissis aliorum sententiis, ita explico. Cognitio practica ea est, quæ suaptè natura ad executionem sui obiecti tanquam ad finem tendit. Speculatiua vero quæ omnino aliter tendit, atque ad solam rei cognitæ veritatem assequendam destinatur. Hæc sententia est planè Aristotelis 2.metaphys. text.13. *Nam theoricæ finis est veritas, & practicæ opus.* Et tertio de anima, cap.10. text.50. *Atque hic finem ab intellectu contemplatiuo differt.* Et 6.ethic.cap.1.& 5. cui B.Thom. & reliqui interpretes prædictis locis subscribunt. Eandem sententiam tuentur Henricus quodlibeto 8. Suarez disp.44.metaphys. sect.13.num.42. Vasquez tom.1. in 1.part. quæst.1. articulo 4. disputatione 8. cap.5. num.24. Hurt. disp. 11. de anima sect.1. §.2. Auersa quæst.27.Logicæ sect.1.patum ab init. Pereira lib.1.phys. cap.2.& 3.

13 Porrò autem plura quæ ab aliis conciliari nequeunt iuxta hunc sentiendi modum difficultate extricantur. Nam quod hæc cognitio Mathematica *triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, & reliquæ huius scientiæ, speculatiuæ sint, & non practicæ ex earum fine tantum proficisci: sicut enim Dialectica, & philosophia moralis ad artificiosam dispositionem, & effectionem actuum intellectus, & voluntatis dirigunt, ita similiter ea cognitio Mathematica ad effectionem trianguli dirigit, & instruit: quod igitur scientia moralis, & Logica (vt in Logica lib.2. cap.4.& 5. probauimus) practicæ sint potius quam Mathematica, & hæc potius quam illæ contemplatiua, exinde tantum oriri potest, quod hæc ad executionem quantitatis continuæ tanquam ad finem non destinetur; cum tamen illæ ad actuum intellectus, & voluntatis artificiosam executionem tanquam finem per se institutæ sint: quod hunc in modum explano.

14 Constructio trianguli, *cuius tres anguli æquales sint duobus rectis:* deductio lineæ rectæ, *quæ breuissima sit inter duo puncta*; aut *cuius media obumbrant extrema*, aut *quæ ex æquo interiacet sua puncta*, iuxta varias Mathematicorum lineæ rectæ definitiones: Descriptio circuli ex *cuius centro* ad *peripheriam omnes lineæ æquales sint*; horum inquam, & similium executio parum, aut nihil vtilitatis habet: quod vsque adeo verum est, vt Aristipus Mathematicas explodat, quia eius quod melius, aut deterius est, nullam habent rationem, & ex fine nihil conferre, vtilesve esse videntur: quod quidem de fine intrinseco, & obiectiuo Mathematicæ ipsius verissimum est: cur enim melius, aut vtilius nobis sit, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quam inæquales, aut lineas omnes circulari centro ductas pares potius quam impares, aut lineam rectam inter duo puncta posse, vel non posse esse breuiorem? at demonstrationes harum, & similium veritatum, & ad perficiendum intellectum vtilissimæ, & ad oblectandum iucundissimæ, & propter maximam euidentiam, certitudinem, ac difficultatem ad sciendum dignissimæ sunt: vnde demonstrationes Mathematicæ non sunt congruè, & ordinatè expetibiles propter quantitatis continuæ in varias figuras, ac lineas sectionem, velut propter finem, sed potiùs ea sectio, & diuisio fieri debet, & solet ad demonstrationes Mathematicas intelligendas: proinde hæ quantumcunque causatiuæ sui obiecti practicæ non sunt, eo quod ad eius causalitatem, & executionem velut finem natura sua non instituantur.

15 In Dialectica, & scientia morali aliter se res habet: nam actus studiosi voluntatis ad perficiendam voluntatem, & ad felicitatem consequendam, plurimum bonitatis, & vtilitatis habent, ratione quarum eorum exercitium, seu executio scientiæ moralis finis esse potest: actus etiam intellectus artificiosè dispositi ad intellectum excolendum, & oblectandum plurimum conferunt, adeoque eorum exercitium, & executio Dialecticæ finis esse potest, ac proinde tam ipsa quam scientia moralis practicæ esse possunt, vt in loco ostendimus.

16 Eadem ratione explicari potest, quatenus Metaphysica agens de ente in communi speculatiua sit & non practica, quamuis ad eius executionem dirigere quodammodo possit: quid enim vetat, cognoscentem ens in communi, vi huius notitiæ ad alicuius entis executionem accingi? Item quatenus philosophia circa actus intellectus, & voluntatis, aliaue ad illam spectantia atque à philosopho factibilia, nihilominus sit speculatiua, & non practica, nimirum

quia

quia nec metaphysica, nec philosophia ad executionem sui obiecti tanquam ad finem ordinatur. Etenim cognitio, qua Metaphysica cognoscit ens esse vniuocum potius quam analogum, diuidi adæquatè in substantiam, & accidens, &c. hæc inquam ad executionem entis quid conferre potest? Et cognitio, qua philosophia, siue prima, siue absolutè dicta, cognoscit actum intellectus consistere in qualitate potius quam actione, immediatè liberum non esse, nec posse, vitalem, & immanentem, &c. quid conferre potest ad eius executionem, magis quam si de actu intellectus, non ea, sed alia omnia cognosceret. Tandem iuxta nostram sententiam rectè defenditur, quatenus bruta practicè operari nequeant, & sicut speculatiua sic etiam practica cognitione careant, videlicet, quia propter finem operari non possunt, vt in Physica probatum est ex communi Doctorum consensu.

17 Hæc vt amplius elucescant, aduersùs ea obiicies primò ex P. Tellez part. 3. tractatu 2. adnot. breui num. 9. Cognitio Dei est practica respectu creaturarum ad quarum effectionem eum dirigit, vt B. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 16. & alibi sæpè & P. Suarez 1. part. lib. 3. de attributis positiuis cap. 4. & reliqui Theologi communiter docent. Atqui diuina cognitio non refertur ad exequutionem rerum creaturarum tanquam in finem propter quem expeti possit aut debeat: perperam igitur cognitionem practicam explicuimus. Minor probatur: quoniam Deus est rerum creatarum non minus finis vltimus, quam primum principium, quare sicut Deum dedecet principium efficiens extra se, ita & finis præsertim solius vtilitatis, quam Deus ex creaturis nullam capit: huiusmodi autem est finis per quem practicam cognitionem expositimus. Respondeo: quæ de cognitione practica disseruimus in cognitione etiam diuina locum habent, si commodè intelligantur: vt enim cognitio sit practica, præter efficacitatem respectu sui obiecti ea debet esse, vt vel ipsa, vel alia obiecto tenus ei similis exequutionem rei cognitæ velut finem sibi proponat: eiusmodi autem est diuina cognitio. Vel aliter: ea debet esse cognitio practica, vt si finis à se distincti capax esset, obiecti sui exequutionem finem sortiretur: quæ etiam ratio non minus in cognitionem practicam Dei quam nostram conueniunt. Vel demum cognitio practica, duplicem habet relationem ad praxim, aliam principij actiui, aut quasi actiui ad terminum agibilem, aliam medij ad finem exequibilem propter quem ordinatè expeti possit, duplicem inquam hanc relationem habet cognitio practica ad praxim, vel formaliter vel eminenter: cognitio creata eas habet formaliter: cognitio increata alteram formaliter, alteram eminenter: siquidem formaliter est efficax comparatione praxis creatæ, & cum hæc efficacia sit infinita virtute, & eminenter, ac sublatis imperfectionibus continet aliam relationem, videlicet medij ad finem.

18 Alia obiectio ad hominem ita se habet. Cognitio Verbi diuini est practica respectu illius, vt hoc tractatu decurrente constabit: at Verbum non est eius finis: sicut enim nulla persona diuina alterius causa efficiens esse potest, ita similiter alteram alterius finem esse repugnat. Respondeo, aliud est esse finem, aliud causam finalem, sicut aliud est esse materiam animæ subiectam, aliud causam materialem animæ, sicut in anima rationali nostro corpori vnita vitur: causa finalis postulat distinctionem realem, ac prioritatem naturæ respectu effectus finalis, quæ distinctio, & prioritas nec Verbo cognitionis à qua originem trahit, nec alicui personæ diuinæ comparatione vllius prædicati diuini conuenire possunt: at finis, nec prioritatem, nec posterioritatem naturalem, nec distinctionem, aut instinctionem realem exigit, sed alterutram compatitur, ita vt idem respectu sui finis esse possit, vt expresè docet D. Thomas de prædicatis etiam absolutis Dei, & ne relatiuè quidem distinctis 1. contra gentes cap. 87. & quæst. 1. de pot. art. 5. & quæst. 32. art. 1. ad 12. igitur à fortiori vna persona respectu alterius potest esse finis, esto non principium efficiens, atque adeo Verbum finis esse poterit cognitionis paternæ à qua procedit.

Tertiam obiectionem mouet Scotus quæstione 4. prol. ibi nobis contrarius: aliqua intellectio est practica respectu praxis potentiæ inferioris, vt cum prudentia, aut scientia moralis actus potentiæ sensitiuæ, aut loco motiuæ ordinat: at actus potentiæ inferioris nequit esse finis intellectionis, eò quod illa ignobilior sit. Respondeo: finis est duplex: *qui*, & *cui*: finis *cui* fortè semper nobilior, & præstantior est eo quod finalizat, qua ratione medicina sanitate præstat, & voluntas, & intellectus intellectiones, & volitiones suas perfectione superant. Cæterum finis *qui* suaptè natura nobilior non est, eo cuius finis est: nam sanitas est finis *qui* medicinæ, qua tamen ignobilior est, cum hæc habitus incorporeus, illa verò corporeus sit, & hæc animam illa corpus perficiat. At praxis est tantum finis *qui* notitiæ practicæ: igitur quod ea ignobilior sit non obstat, quo minus eius finis esse possit, sicuti nos finem explicamus. 19

Quartò argumentaberis, ex Ochamo quæstione 4. prol. articulo 2. Gabriele quæstione 11. articulo 1. notat. 2. & Gregorio quæstione 5. articulo secundo, vbi censent, cognitionem practicam differre à speculatiua obiecto non fine tenus, tantumque sufficere ad notitiam practicam, vt sit circa rem operabilem, tametsi in eius executionem, velut finem neutiquam referatur. Fieri potest, vt inter eos, qui philosophiam moralem, verbi gratia, addiscunt, alius exercitium bonorum actuum, quod considerat, finem habeat, alius verò non eum, sed alium finem prauum lucri, aut inanis gloriolæ respiciat, vel etiam in sola eorum actuum contemplatione sistere intendat. Item vt vnus, & idemmet homo operam det ei facultati, modò propter executionem virtutis, & honestatis moralis; & postea animum mutet, eamque lucri, famæ, aut solius etiam contemplationis gratia pergat addiscere: Quapropter, si finis cognitionis, illam practicam aut speculatiuam arguit, atque huius est discriminis potissima ratio, disciplina moralis in vno erit practica, & in alio speculatiua, quin etiam in vno eodemque iam practica, iam speculatiua deprehendetur. Idem etiam continget Dialecticæ, idem medicinæ, & cæteris facultatibus seu mechanicis, seu ingenuis: nihil igitur erit fixum, nihil stabile in modo repræsentandi practico, ac speculatiuo, & vter cuiuis disciplinæ conueniat, dubium semper manebit, vtpote quod magis arbitrio, quam ratione, ac natura constat, atque singulis momentis, & etiam circumstantiis personarum variatur. Hoc autem quam absurdum sit, & per se patet, & exemplo quoque claritatis, & obscuritatis, quas alternis vicibus mutare nequit vlla cognitio, nisi si etiam eius substantia vicissitudinem subeat. 20

Propter hoc argumentum oportet in præsenti controuersia distinguere cum P. Suarez t. 2. Metaph. d. 44. s. 13. n. 35. & P. Vasquez t. 1. in 1. p. q. 1. art. 4. d. 8. c. 5. n. 24. & 25. Superius citatis duplicem finem, alium scientis, alium ipsius scientiæ: 21

prior finis est propter quem aliquis actu scientiam expetit : posterior est duntaxat obiectum scientiæ, propter cuius executionem, aut assecutionem, ea est expeti digna. Quamuis autem Caietanus 1. parte q. 14. art. 16. Ferrara 3. contra gen. c. 20. Soncin. 6. met. q. 4. Iauel. q. 5. aliique plures Thomistæ, & cum iis Aureolus q. 3. prol. art. 2. & Vasq. nuper citatus existiment, cognitionem practicam à speculatiua vtroque fine differre, deque illius conceptu esse, vt voluntas eam in executionem sui obiecti non modò possit referre, sed etiam actu referat, & dicendi laborem hoc respectu aggrediatur; Ceterum longè probabilius est oppositum, videlicet, solius scientiæ finem sufficere, vt ea practica magis quam speculatiua, aut è conuerso euadat. Primo quoniam Aristot. lib. 6. met. & etiam eius lib. 11. distinctionem notitiæ practicæ, & speculatiuæ petit solummodo ex vtriusque obiecto, locis vero initio capitis huius relatis eam sumit ex vtriusque fine. Hæc autem Aristotelis testimonia sibi primo aspectu contraria facilè conciliari possunt, vt animaduertit Pereira supra cap. 3. Si fateamur, Aristotelem loquutum fuisse de solo fine ipsius scientiæ, vt pote qui cum eius obiecto idem prorsus est. Sin autem ei sermo fuit de fine, non tantum scientiæ, sed & scientis, difficilem, imò nullum habet explicatum : namque finis scientis non est duntaxat obiectum scientiæ, sed multo maximè eius voluntatis, qua quis eam consequi intendit: non potuit ergo Aristoteles modò per finem scientiæ, & ipsius scientis, modò verò per obiectum scientiæ duos illos repræsentandi modos secernere, nisi si sibi parum constet, nec solum ipse, sed plerique eius interpretes, qui nimirum iam penes fines, iam penes obiecta notitiam practicã à speculatiua dilucidant. Rursus intellectus est, qui ab Aristotele, & cæteris diuiditur in practicum, & speculatiuum, haud igitur habet alteram denominationem potius quam alteram ab actu voluntatis, quo velit, quouè nolit quis vti scientia sua ad operandum : alias tales differentiæ, non tam essent ipsius intellectus, quam voluntatis : patique iure, aut potius iniuria dici posset, cum diuidatur ab omnibus fermè Philosophis intellectus in agentem, & patientem ; reuera in actum aliquem voluntatis vtramque denominationem refundendam esse, contra quàm cuncti sentiunt. Item tertio: ante voluntatis intentionem quamuis, vna notitia essentialiter dissidet ab alia, & altera est executiua sui obiecti, ac propter eius executionem eligibilis, altera verò neutrum habet; quidni ergo merito huius præuij discriminis vna sit practica, & alia speculatiua circumscripto quolibet voluntatis actu. Ad hæc, tametsi plures aduersariorum iuxta sua principia concedant, vnam eandemque facultatem solere esse iam practicam, iam speculatiuam, aut in diuersis hominibus, aut in diuersis temporum interuallis; quam tamen hoc absurdum sit, quartum illud argumentum nuper obiectum ostendit. Denique: si quod cognitio practica aut speculatiua sit, hoc à voluntatis electione, & arbitrio emendicat, quidni astronomia v.g. aut quæuis alia similis facultas, circa obiectum non operabile, practica nihilominus sit, videlicet propter id quod voluntas eam multoties intendit, ob acquisitionem lucri, voluptatis, honoris, adeoquè ob operationem aliquam, licet tali scientiæ non subiectum, sed potius ab eius consideratione omninò alienam. Atqui hoc, nisi fallor ego, falsum esse, ne ipsi aduersarij diffitebuntur. Quapropter ad argumentum proximè factum respondeo, eo solum vrgeri, qui notitiam practicam à speculatiua penes finem scientiæ, & etiam ipsius scientis distinguunt. At ipse secundum solius scientiæ finem alteram ab altera distinguendam arbitror, cum P. Suarez suprà citato, Fonseca Pereira, & aliis multis, quos refert, ac sequitur Auersa q. 27. log. s. 1.

Quintum argumentum aduersus nostram sententiam est, iuxta eam plus aliquid requiri ad notitiam practicam, quam vt sit executiua sui obiecti, fierique posse, vt cognitio aliqua directiua sit ad effectionem rei sibi propositæ, quin respectu illius sit practica, si nimirum res exequenda non habeat eam bonitatem, aut vtilitatem ratione cuius scientia eligi mereatur, vt in Metaphisica, Mathematica, & Philosophia vsuenire diximus. At repugnat, cognitionem illam esse obiecti sui effectiuam, quin huius efficacitatis titulo practica euadat: talis enim notia non sistit in sola contemplatione sui obiecti, sed vlterius ad eius exercitium proficiscitur ; quî ergo non sit practica, aut quî duntaxat speculatiua? Respondeo, cuiusmodi cognitionem sistere in sola obiecti sui contemplatione, eatenus saltem vt ad illius executionem veluti finem neutiquam progrediatur, adeoque esse merè speculatiuam ; Nec nisi in hoc sensu notitia, aliqua speculatiua dicitur in obiecti sui contemplatione quiescere: namque si hæc finitio sine vlla restrictione sumatur, & quomodolibet verba sonant, nulla cognitio non erit practica, nulla speculabitur : quæ enim excogitari potest magis speculatiua quam visio Dei ? ac hæc quodammodo non sistit in sola contemplatione Dei, sed vlterius ad eius amorem procedit, illumque in intellectu Deum videntis accendit ; ea ergo verba sine restrictione non sunt intelligenda, restricta autem locum relinquunt explicandi, ac tuendi, quatenus aliqua cognitio sit aliquando executiua sui obiecti, & nihilominus respectu illius speculatiua, & non practica, sicuti initio capitis statuimus. 22

Sextum argumentum aduersus nostram sententiam est, Mathematicas etiam esse praticas; iis si velit aliquis vti, vt quantitatem continuam in circulum conuoluat, in quadrum redigat, in conum acuminet, aut in aliam quamuis figuram accommodet. Idipsum, quoque dicendum esse de Methaphysica, si quis eam cogitet ad entis, substantiæ, aut accidentis effectionem. Neque non similem esse condirionem scientiæ, animasticæ, quam Philosophiæ naturalis partem iam permitto, quoniam id an oppositum dicatur, ad præsens institutum parum interest) si in sola cognitione actuum intellectus & voluntatis non sistat, sed insuper ad eorum exequutionem voluntatis arbitrio applicetur. Sin autem Philosophia naturalis de actibus intellectus, & voluntatis agit, nihilominus ea quidni sit practica respectu caloris v.g. quem applicato passo produci cognoscit, aut motus recti, quem linea recta, & non alia fieri præscribit, aliorumque similium. Nec refert Philosophiam naturalem. seu Physicam, necnon Metaphysicam, & Mathematicam absolute dici speculatiuas ab Atist. 2. Metaph. tex. 3. & reliquis Philosophis : hoc enim non eo valet, vt dictæ facultates nullos habeant actus practicos habent enim non paucos, sed quod præcipui earum habitus sint speculatiui, & circa res actioni neutiquam subiectas, vt de Physica animaduertit P. Hurtad. in illius proœm. §. 7. 23

Quæ, vt ab ea incipiam, maiori, & meliori sui parte versatur circa cælos, elementa, animalia omnia, locum, tempus, infinitum, vacuum, quæ tamen sub solam eius considerationem, non vero actionem cadunt, Quin etiam cum motum, calorem, frigiditatem 24

tatem, aliqua eiusmodi philosophus naturalis cognoscit, eorum aliqua non omnia potest ex equi, quis enim omnem motum, quis quemuis caloris gradum quantumuis excellentem efficiat etiam res rebus applicando, cum tamen motuum species innumeræ, & caloris semper crescentis infiniti gradus sint possibiles? Rursus metaphysica circa Deum, Angelum, & eorum proprietates nullam habet efficacitatem, cum tamen in his explicandis multa sit. Reliquorum etiam quæ considerat, scilicet entis, substantiæ, accidentis, & similem graduum superiorum quoramquamque partem instar cautæ directiuæ valet operari? Par ratio est mathematicæ, cuius vi, & directione, tametsi multæ figuræ queant formari, at longè plures imò infinitæ sunt, quæ propter earum magnitudinem pene immensam, aut exiguitatem nobis planè imperceptibilem, aut operosissimam ac summè artificiosam dispositionem, aut denique sublimitatem materiæ, & cum ea coniunctam impassibilitatem, supra nostram mathesim sunt eiusque vim excedunt. Quamobrem etsi metaphysica & mathematica magis sint speculatiuæ quam practicæ, eas tamen esse prorsus speculatiuas & praxis nihil intueri perperam assumpsimus, ac nostræ sententiæ hunc veluti cardinem suppossuimus.

25 Cæterum non pœnitet, ineunte capite suppossuisse tres illas facultates esse omninò speculatiuas, & & nullatenus practicas: arbitror enim hoc receptum, atque commune scholasticorum omnium dogma esse, si paucos neotericos excipias: Atque de metaphysica quid P. Suarez, quid apud ipsum alij sentiant, colligere licet ex his eius verbis disp. 1. met. sect. 5. num. 4. *dicendum est, doctrinam hanc nihil habere practicæ scientiæ, sed tantum esse contemplatricem. Ita sumitur ex Aristotele & aliis expositoribus, nam licet expressè non attingant hanc quæstionem, tamen dum simpliciter docent, hanc scientiam esse speculatiuam, & aut tacent de practica, aut certè id negant, planè sentiunt esse purè speculatiuam.* Idipsum etiam de ea sentit, & Aristotelem, ac plerosque sentire docet P. Hurtad. disp. 1. metaph. sect 9. §. 86. qua tamen doctrinæ consequentia, postquam loco nuper citato dixit physicam esse quadantenus practicam, ipse viderit. Profecto physicam in speculatione totam esse positam, & nihil habere practicæ facultatis, eruditissimi PP. Collegij Conimbricensis in proœmio physicorum quæst. 3. art. 2. ad tertium & opinantur ipsi, & eiusdem opinionis fuisse referunt initio art. Aristotelem, Platonem, Augustinum, Boëtium, Hugonem, Victorinum ac cæteros Philosophos vno consensu. Quod ad mathematicam attinet, Proclus, Clauius noster in prolegomenis ad Euclidis elementa, aliique eius disciplinæ professores communiter eam diuidunt in duas partes, quarum altera, eaque, iuxta ipsos, prima, & præcipua quantitatem continuam, ac discretam prout ab omni materia sensibili abstractam respicit, & Geometriam, & Arithmeticam, coërcet, altera vero Materiam sensibus obnoxiam attingit, & Astrologiam Perspectiuam Geodesiam, Musicam, siue Canonicam, Supputatricem, siue Arithmeticam practicam, ac tandem Mechanicam, complectitur. At Philosophi contractius loquuntur, & solam eam facultatem appellant Mathematicam, quæ in rebus ab omni materia sensibili separatis versatur, reliquas autem circa materiam sensibus obuiam occupatas, vel ad Physicam reducunt, vel non Philosophiæ partes, sed ingenuas aut seruiles artes, nominant. Mathematicam ergo, prout à Philosophis sumptam, omnino speculatiuam initio capitis censui, ipsumque id omnes fermè authores censuisse reor: an autem laxius vsurpata dicenda sit prorsus speculatiua, aut aliquatenus practica, non laboro. Quanquam hoc certum habeo, tres posteriores eius species, Canonicam videlicet, Supputatricem, & Mechanicam omnino practicas esse: id tamen nostræ, & communi doctrinæ non repugnat, vt intuenti cuiuis erit exploratum.

Quod autem in argumento dicitur primo, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam speculatiuas esse, dummodo nullus eis ad operandum vti velit, practicas verò, si non otiosæ maneant, sed ad opus aliquod adhibeantur præterquam quod suprà impugnatum est, id insuper habet incommodi, quod nullus habitus esset omninò, & essentialiter practicus, qualis enim cunque sit, eo si quis vti nolit ad operandum, speculatiuus abibit. Consequens autem est absurdum; sicut enim sunt habitus speculatiui, qui nequeunt esse practici, ij v.g. quibus Deum cognoscimus, & amamus, quidni etiam è conuerso? Rursus quod secundo loco dicitur, prædictas disciplinas absolutè dici speculatiuas, & non practicas, quoniam denominati debent ab eo quod in illis præcellit, haud magno opere diluitur: etenim vt vt hæc doctrina locum habeat in Physica, & Metaphysica, quæ pleraque rerum genera sibi subiecta tantum speculantur, eaque non sunt operando, at in Mathematicam non conuenit: illa enim omnes figuras sibi subiectas, omnes itidem numeros efficere potest, si non in omni, at in aliqua saltem materia, etsi non quoad quamlibet speciem & rationem particularem, at quoad rationem genericam, & communem: Tam igitur erit practica, ac Dialectica, quæ definitionem, diuisionem, & argumentationem non cuiusuis intellectus, sed alicuius, nec humani, sed Angelici conficit, & quæ ne omnis etiam cognitionis humanæ principium esse potest, sed earum solum, quarum capax est, is qui artem dialecticam exercet: hæ autem paucæ sunt comparatione earum, quarum est incapax; tum quia infinitæ res sunt adeò abstrusæ, & reconditæ, vt viribus naturalibus nostri intellectus nequeant finiri, distribui, & demonstrari: tum etiam quia intellectio nostra iuxtà plures in modo sita est, & Petrus v.g. præter suam, nullam aliam potest etiam diuinitus immanenter efficere, adeoque nec Socraticam, nec Platonicam, nec Zenonisticam, nec vllius alterius hominis in infinitum. Quemadmodum ergo logica nihilominus absolutè practica censetur; (exemplum pono in hac facultate, quod tamen ex quauis alia practica peti potest, si quis talem esse logicam renuat) quoniam munere illius potest quis absolutè definire, diuidere, & argumentari; cur etiam de Mathematica idipsum non sit dicendum? quandoquidem triangulum, quadrum, circulum, & reliquas figuras merito illius absolutè describere possumus: triuolum igitur est hoc secundum discrimen, nec superiori solidius.

26

Quapropter communis, ac recepta inter omnes fermè doctrina statuens, tres illas disciplinas esse omninò speculatiuas, facilè potest defendi: adeoque magis est, vt eam quam contrariam sequamur, propter id quod in vsu vocum, de quo solo disseritur modò, plurium, & antiquiorum arbitrio sit standum: præfati ergo dogmatis tuendi gratia iure hactenus laborauimus. Verumenimvero dissiteri non possumus, satis probabilem, & aptum esse modum loquendi recentiorum, quorum alij cum P. Hurtado nuper laudato Physicam, alij Mathematicam, & etiam Metaphysicam quadantenus practicas appellant. Hoc autem statuto, quæuis cognitio practica erit respectu eius obiecti, erga quod efficacitatem habet aliquam, cuiusve producendi principium esse potest, atque

27

origo.

origo. Neque vero hoc contrarium est nostræ doctrinæ, qua cognitionem practicam non modò per obiectum, sed etiam per finem exposuimus. Bifariam enim intelligi potest, rem cognitam, & cognitionis vi exequibilem eius esse finem: primò vt cognitio prudenter queat à nobis eligi, & quantocunque temporis, & laboris impendio comparari propter rei cognitæ executionem: hac autem ratione non semper est finis cognitionis obiectum vi illius operabile, quæ nimirum est multoties talis operationis facilitas, vilitas, ac inutilitas, contra vero cognitionis in eam intentæ præstantia, & dignitas, vti initio capitis disputauimus. Secundò finis latius sumitur pro omni eo ad cuius exercitium quantumuis facile, & ignobile, res tamen suaptè natura creata est, atque instituta, iuxta communem paræmiam: *esse est propter operari*: hoc autem sensu cognitio semper habet finem illud obiectum, cuius efficiendi principium esse potest. Quæ cum ita se habeant, per finem primo modo sumptum notitia practica & speculatiua sunt explicandæ, si iuxta communem penè omnium sententiam Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam speculatiuas omninò esse velimus. Sin autem eas quadantenus practicas malumus, nec recentem loquendi modum auersamur, finis secundo modo vsurpandus est, atque per eum ita vsurpatum explicari debet, qualis cognitio sit practica, qualis speculatiua. Nostris certè principiis vtraque sententia quadrat, & quamuis prior nobis magis placeat, posterior tamen non omnino displicet.

Caput III.

De Praxi penes quam notitia practica, & speculatiua differunt.

28 Quoniam praxis est obiectum notitiæ practicæ, & non speculatiuæ necesse est, eam ad amussim explicare, quo vterque ille repræsentandi modus magis illucescat. Vnde assero primò: Praxis vt sic non est *actus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi ad hoc vt sit rectus*, non est inquam necessario, ita vt actus intellectus esse nequeat. Hæc assertio est aduersùs Scotum quæst. 4. prolog. cuius est superior definitio, & Antonium Andream, & reliquos eius assecias. Item aduersùs Sotum in Logica quæst. 4. proœm. & Masium quæst. 10. & aliquos alios Thomistas. Cæterum probatur primò: actus voluntatis, præsertim moraliter bonus, quo quis intellectionem imperat, est praxis: ergo & intellectio imperata erit praxis. Antecedens est perspicuum: tum ex definitione ipsius Scoti: tum ex iis quæ subdit ibi: *Praxis ad quam extenditur habitus practicus non est nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus*: tum demum quia alioqui nec scientia moralis, nec prudentia forent practicæ, vtpote quæ tantum non totæ sunt circa actus voluntatis. Consequentia probatur: intellectio sic imperata ab eo imperio bona denominatur, quidni etiam ab eo praxis dicatur? aut cur bonitatem potius quam rationem praxis in cognitionem refundere possit ea volitio. Dices ex Scoro ibi: *Cum igitur dicitur intellectio est imperata, ergo est praxis, non sequitur, sed sequitur, ergo est praxis, vel practica.* Contra: quoniam nequit eadem intellectio respectu eiusdem esse simul practica, & speculatiua: at fieri potest, vt intellectio nostra imperata sit speculatiua, si verbi gratia, sit circa Deum, aut Angelum: haud igitur erit practica: ergo praxis, cum alterutrum necessaria ratione sequi Scotus fateatur.

Confirmatur primò: quia actio exterior, ac proinde actio intellectus ab actu voluntatis recto dimanans habet iuxta Scotum quodlib. 18. art. 3. bonitatem moralem, & vim meritoriam distinctam ab actu voluntatis, & ei superadditam: igitur etiam provt condistincta ab actu voluntatis praxis esse potest, & debet. Confirmatur secundò: quoniam actus voluntatis elicitus, & imperatus est verè praxis, vt Scotus loco supra citato admittit; & tamen hic posterior est praxis ab actu, quo imperatur, & ille prior à cognitione practica, qua dirigitur, vt Scotus contendit ibidem; *communiter conceditur, cognitionem practicam extendi ad praxim, vt directiuum ad directum, & regulatiuum ad regulatum.* Hactenus ille: similiter igitur intellectio ab actu voluntatis se priori poterit dici praxis. Confirmatur tertiò: quoniam actio exterior videlicet potentiæ loco motiuæ est praxis verè, & propriè, alias ars saltandi, citharizandi, pugnandi, scribendi practicæ non forent: at eiusmodi actio duntaxat est praxis mediante voluntatis actu, quo imperatur: ergo etiam actio intellectus ab imperio voluntatis strictè praxis nominabitur. 29

Probatur secundò ratione communi. Philosophia moralis est practica; sed actus intellectus non minus quam voluntatis considerat: non minus igitur illi, quam hi notitiæ practicæ obiiciuntur, ac proinde ambo rationem praxis ex æquo participant. Minor probatur: actus prudentiæ est actus intellectus, cum prudentia virtus intellectualis sit, scientia autem moralis considerat actus prudentiæ, sicut & cæterarum virtutum moralium. Porrò esse practicam est Aristotelicum dogma, cui Scotus cum aliis aduersariis consentit. Idem argumentum instaurari potest in dictamine prudentiæ, quod in his circunstantiis studendum præscribit: at dictamen prudentiæ proculdubio practicum est: ergo & studium ad intellectum attinens praxis. Dices Philosophiam moralem, & prudentiam immediatè non dirigere ad actus intellectus, sed solius voluntatis: quare actus intellectus propriè, & immediatè praxim non esse. Contra primò: quoniam saltem mediatè praxis esse poterunt: id autem sufficit, vt veræ & propriæ praxis rationem obtineant, vt nuper triplici confirmatione dicta ostendunt. Contra secundò: quia praxis est obiectum notitiæ practicæ, vt infrà constabit: at actus intellectus est obiectum immediatum dictaminis practici prudentiæ, quæ in his circunstantiis studium dictat: ergo est immediatè praxis, etiamsi ad hanc requiratur immediatè dirigi ab aliqua cognitione eive proximè obiici. Minor probatur: idem est obiectum cognitionis, & volitionis studendi: at volitionis studendi studium est immediatum obiectum: ergo & cognitionis practicæ & prudentis: ac proinde hæc instar obiecti ad studium, actumque intellectus immediatè dirigit. 30

Obiicit primò Scotus: intellectus extensione fit practicus, vt fert commune proloquium: at non alia de causa, nisi quia tunc intellectus est practicus, cum ad actus alterius potentiæ se porrigit, atque extendit. Respondeo admisso illo modo loquendi, quem cum Patre Hurtad. distinct. 2. Logicæ sectione 2. §. 10. Auersa libro 27. Logicæ sectione 3. & aliis reiicere possem, intellectum etiam extendi ad suos actus, quando non in eorum contemplatione sistit, sed vlterius ad eorum exequutionem progreditur, sicut etiam intra limites suorum actuum discurrere dicitur: quamobrem penes eos practicus esse poterit, si cætera non desint. 31

Obiicit

32 Obiicit secundò Sotus: omnis actus intellectus est speculatio: sed speculatio nequit esse praxis: nullus igitur actus intellectus potest esse praxis. Respondeo primò negata maiori: quoniam actus intellectus practicus speculatio non est. Secundò negata minori: quoniam cognitio quæ respectu sui obiecti est speculatio, comparatione actus quo cognoscitur, praxis esse potest, videlicet si ad eius effectionem dirigat, vt rectè notat Gabriel quæst. 10. prologi corollario 3. & quod caput est, B. Thomas 2.2. q.47. art.2. ad 2. his verbis: *Ipse actus speculativæ rationis, secundum quod est voluntarius, cadit sub electione, & consilio, quantum ad suum exercitium, & per consequens cadit sub ordinatione prudentiæ, sed quantum ad suam speciem provt comparatur ad obiectum quod est verum, necessario non cadit sub consilio, nec prudentia.* Ecce docet, speculativum cognitionem electioni, consilio, & ordinationi prudentiæ subesse, adeoque praxim esse. Respondeo tertiò, distincta maiori: omnis actus intellectus est speculatio formalis quodammodo, non tamen est speculatio obiectiua, praxis autem speculationi obiectiuæ non formali opponitur, atque adeo actus intellectus praxis esse poterit.

33 Assero secundò: Praxis non est actus solius intellectus, sed cuiusuis alterius facultatis. Hæc assertio est contra Durandum quæst. 6. prolog. numero 5. & Bachonum quæst. 4. art. 2. vbi aiunt, praxim esse solam cognitionem ab habitu practico dimanantem, ac suapte natura directiuam vlterioris operis. Quantum tamen hallucinentur, constat: tum quia omnes fermè artes mechanicæ, & etiam liberales sunt practicæ: at pleræque sunt circa actiones exteriores: hæ ergo obiiciuntur notitiæ practicæ, eiusque vi exercentur: quidni ergo notionem praxis participent? tum etiam quia philosophia moralis, & prudentia sunt practicæ: habent autem pro obiecto, si non vnico, at potissimo, actus voluntatis quos ad honestatem moralem informant: huiusmodi ergo actus sub directionem cognitionis practicæ cadunt, sicut ad praxim oportet. Tertiò praxis est illa operatio, quæ obiicitur notitiæ practicæ, ac vi illius exercetur, vt mox clarebit: at cognitio, ab habitu practico proficiscens, non obiicitur notitiæ practicæ nempe sibi ipsi, nec etiam alij per se loquendo: talis ergo cognitio per semetipsam duntaxat, & sine ad aliam notitiam actualem sibi præuiam non est praxis vt aduersarij contendunt. Quartò denique: aliud est, cognitionem aliquam esse practicam, aliud eam esse praxim, etiamsi ambæ rationes aliquando per accidens in eandem notitiam concurrant, sicut iuxta laudatos auctores in ipso habitu practico & operatiuo, vnde manat cognitio directiua vlterioris operis, aliud est talem habitum esse practicum, aliud esse praxim: & prior denominatio ei est essentialis, & necessaria, posterior vero ferè nunquam ei conuenit: cum ergo prædicta cognitio directiua sit practica more, & iure sui habitus, non est quapropter praxis esse debeat?

34 At ex doctrina Durandi, & Bachoni hæc pro eis argumenta existunt. Praxis, & speculatio sunt correlatiuæ, quemadmodum ratio practica, & speculatiua: & sicut se habet comparatione huius speculatio, ita & respectu illius praxis: at speculatio est solum cognitio orta ex habitu speculatiuo: ergo & praxis duntaxat cognitio ex intellectu, siue habitu practico oriunda. Item quod immediatè fit ex directione actus practici id iuxta nos est praxis: hac enim ratione diximus, actiones transeuntes & exteriores, neque non immanentes voluntatis praxes esse quod igitur etiam immediatè fit ab habitu practico id praxis erit: cognitio autem directiua alicuius vlterioris operis, immediatè efficitur ab habitu practico, nec ab hoc nisi illa mediante quidpiam aliud promanat.

Ad primum tamen respondeo: speculatio alia est 35
formalis, videlicet cognitio quædam nostra, veritati, & non operi intenta: alia vero physica & obiectiua, scilicet res illa, quam speculamur, quo pacto visio in sacris litteris pro re visa multoties vsurpatur: hæc ergo posterior speculatio sola est correlatiua praxis, & cum ea proportionem, & comparationem habet, & è conuerso, secus vero illa prior. Hinc autem nihil sequitur, quod contrariæ sententiæ prosit, imò quod ei incommodet non parum colligitur: nam quando praxis, quam obiectum notitiæ practicæ esse statim constabit, totam suam analogiam, & proportionem habet cum speculatione obiectiua, siue re speculationi subiecta, sicut hæc non est aliquid immediatè productum ab habitu speculatiuo, quid est quod praxis habitus practici effectus immediatus esse debeat? Quandoquidem etiam praxi cum speculatione formali nihil commune, nihil æquiparabile, sanè quamuis altera sit cognitio manans ab habitu speculatiuo, non propterea oportet, alteram esse cognitionem ortam ab habitu practico, quin imò huius oppositum ex illo priori consequitur. Ad secundum respondeo, id interesse inter effectum immediatum habitus, & actus practici, quod huius obiectum sit etiam eius effectus: quidquid autem vtroque modo rationi practicæ respondet hoc ipso est praxis, adeoque obiectum actus practici, siue res per eam cognita necessario est praxis. Atqui è contrario effectus immediatus habitus siue intellectus practici non est eius obiectum, vique, ac merito illius non tam cognoscitur quam producitur, cum sit ipsa eius cognitio, quocirca non est praxis, cui nihil est penitius, aut essentialius, quam quod rationis practicæ sit obiectum, & per eam cognoscatur.

Porrò duplicem assertionem nostram tuentur 36
B. Thomas, & Gabriel locis nuper citatis, Capreolus quæst. 2. prolog. concluf. 4. & plures alij Thomistæ Ochamus in prologo etiam sent. quæst. 4. articulo 1. Gregor. quæst. 5. art. 1. & cæteri nominales, item Aureolus quæst. 3. prolog. & antiquorum innumeri super eundem prologum. Post eos Fonseca 2. metaph. cap. 3. quæst. 2. sect. 3. Suarez disp. 44. metaphys. sect. 3. num. 26. Vasquez 1. part. disp. 8. cap. 5. n. 18. Molina 1. part. quæst. 2. art. 4. disp. 1. Pereira 1. phys. capite 2. Hurtadus disput. 2. Logicæ sect. 2 Auersa quæst. 27. Logicæ sect. 3. Hi namque omnes docent, omnem operationem, siue intellectus, siue cuiusuis alterius facultatis praxim esse, vbi fiat ex directione cognitionis practicæ eique obiiciatur: quanquam iuxta aliquos eorum ne vtraque pars hujus postremæ conditionis, sed tantum altera, nempe dirigibilitas ad praxim requiritur: hoc tamen ad præsens institutum nihil refert. Vide etiam P. Amicum in præsenti, disputatione 4. quæstione 4. dubitatione 4. vbi vtramque assertionem nostram plurima vt solet auctoritate confirmat.

Assero tertiò: praxis debet esse obiectum cognitio- 37
nis practicæ. Hæc assertio est aduersus Scotum q. 5. prolog. & sectatores, ac Soncinatem 6. metaph. q. 2. est tamen præter Capreolum quæst. 2. prol. reliquorum omnium, quos numero præcedenti citauimus, eosque inter Auersa illam dicit manifestam esse, si bene intelligatur. A priori in hunc modum probatur: praxis est operatio illa, quam cognitio practica dictat esse efficiendam: atqui talis operatio notitiæ practicæ

practicæ necessaria ratione obiicitur. Item secundò: nisi praxis debet esse obiectum notitiæ practicæ, sed satis est, vt sit affectus aliquis per eam elicitus, & non tam cognitus, quam exteriorem actionem ab intellectu cognitam imperans, vti Scotus, & cæteri aduersarij contendunt, profectò nulla cognitio erit omninò speculatiua, nulla non practica: quæuis enim affectum aliquem in voluntate accendit, eamque vel à malo auertit, vel ad bonum stimulat: praxem ergo respicit. Ad hoc: actus voluntatis dicitur bonus, vel malus à sola bonitate, & malitia obiectiua, quas complectitur, & actus intellectus verus, aut falsus à solo obiecto in quod fertur: similiter ergo actus intellectus practicus, & speculatiuus respectu solius obiecti dicendus: atqui est practicus ab ordine ad praxim: hæc igitur necessariò est obiectum cognitionis practicæ.

38 Assero quartò: praxis debet esse obiectum operabile ab ipso cognoscente, vi eius notitiæ, qua illam dignoscit. Ita Suarez, Molina, Auersa, Hurtadus suprà citati. Item cum B. Thoma 1. part. quæst. 14. art. 16. Caiet. & plerique Thomistæ, etsi conditionem obiecti excipias, cætera Scotus quæst. 4. & 5. prol. eiusque discipuli. Probatur autem assertio hæc aduersus Algazelem lib. 1. philosoph. cap. 1. Gregorium quæst. 5 prolog. art. 2. & Fonsecam 6. metaphys. cap. 1. quæst. 5. sect. 2. & 4. Notitia practica debet esse directiua operis efficiendi; aliàs erit pura obiecti speculatio: sed cognitio obiecti non operabilis à cognoscente ad eius effectionem directiua non est, propter id quod nemo dirigi possit ad rem impossibilem, siue ab ipso non operabilem: nequit igitur ea cognitio practica esse respectu talis obiecti, nec hoc praxis respectu eiusmodi cognitionis; horum enim alterum cum altero cohæret. Rursus idipsum suadetur: quoniam alioqui vniuersa philosophia, quatenus de creaturis agit, practica esset, cum sit de obiecto factibili, licet non à cognoscente: at eam penè totam esse practicam nullus, quem viderim, admittit, & vel quadantenus practicam esse plerique renuunt, vt superius ostendimus. Prior autem harum rationum, qua sumus vsi, posteriorem assertionis nostræ partem demonstrat: nisi enim praxis sit operabilis vi notitiæ practicæ, hæc ad illam directiua non erit, contra quam eius natura, & à speculatione distinctio postulat.

Caput IV.

An praxis, penes quam notitia practica, & speculatiua differunt, opus liberum esse debeat?

39 Libertas alia est contrarietatis, id est ad contrarios actus, verbi gratia, ad amandum, vel odio habendum: alia est contradictionis, hoc est ad actum, & eius carentiam ei contradictoriè oppositam, v. c. ad amandum & non amandum: verius ergo meo arbitro est, ad praxim non requiri vllam libertatem contrarietatis, aut contradictionis. Ita P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 1. disp. 1. §. *ad id vero* Hurtadus disp. 11. de anima sect. 2. §. 13. Auersa q. 27. Logicæ sect. 4. prope medium Arriaga disp. 1. Logicæ sect. 4. subsect. 3. numero 53. & 54. Balthasar Tellez part. 3. summæ, tract. 2. n. 4. breuis adnotationis circa lib. 6. Item Christophorus Gilius tom. 1. in 1. part. lib. 1. tract. 5. cap. 2. num. 6. & apud eum Heruæus quodlibeto 1. quæstione 3. articulo 1. Mairon in 1. dist. 48. quæst. 2. art. 2.

Probatur autem prior assertionis nostræ pars: quoniam scientia Dei de creaturis possibilibus est practica, & consequenter earum productio praxis respectu diuinæ scientiæ: attamen ea productio non est libera Deo libertate contrarietatis, ea nimirum qua possit eas bene, vel malè producere, siue in eis producendis errorem committere, illumve procul habere; hæc enim est sola libertas contrarietatis, qua de auctores oppositi inferius citandi nobiscum altercantur: praxis igitur non debet esse contrariè libera, sed potiùs contrariam necessitatem interdum subit, sicut altera assertionis nostræ parte statuimus. Nihil est in antecedente probationis indigum, nisi quod scientia Dei respectu creaturarum possibilium sit practica: huius autem prima probatio sit: scientia illa Dei obtinet rationem artis contemplatione creaturarum possibilium: vt constat ex cap. 7. & cap. 8. Sapient. & reliquis quæ cap. 1. huius tract. allegauimus: neque non etiam, quia iuxta Aristotelem lib. 6. ethic. cap. 3. *ars est recta ratio factibilium*; quod autem Deus recta ratione faciat, quidquid creat, neminem nisi atheum arbitror negaturum. Atqui omnis ars est practica, vel circa quasuis actiones, vel saltem (quod nemo inficias ierit) circa exteriores, & transeuntes, resve in lucem productas; alioqui practicæ non erunt artes illiberales. 40

Vlterius secundò eadem antecedentis nostri pars suadetur: Deo prudentia inest respectu creaturarum, quas producit: sed prudentia est practica, & eius terminus praxis: creaturæ igitur intuitu Dei eas producentis aut id valentis praxes sunt, cum tamen in eis producendis errare nequeat, aut esse liber libertate contrarietatis. Minorem argumenti ait esse indubitatam, ac manifestam B. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 2. his verbis: *Ratio eorum quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica, vnde manifestum est, quod prudentia non consistit nisi in ratione practica.* Maior autem probatur: tum quia Theologi omnes cum B. Thoma 2. 2. quæst. 49. & 1. parte quæst. 22. art. 1. inter partes integrantes prudentiæ statuunt prouidentiam, prout hæc est cognitio futurorum, anteaquam facta sint: idipsum docuit Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 31. siue vt alij codices habent quæst. 61. item Cicero lib. 2. de inuent. parum ante finem: at in Deo prouidentia, est vt fide sanctum: ergo & prudentia: tum etiam, quia id liquidissima ratione tradit Scriptura Prouerbiorum 3. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia.* Ieremiæ 10. *Qui fecit terram in fortitudine sua præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos.* Denique quoniam prudentia est *recta ratio agibilium* iuxta Aristot. 6. ethic. cap. 4. & B. Thomam ibid. aut *rerum appetendarum, & fugiendarum scientia* secundum August. lib. 1. de lib. arb. cap. 13. At vtraque prudentiæ definitio in Deum conuenit respectu creaturarum, vt vero verius. 41

Quod argumentum in Deo secundum se confecimus idem conficere licet in Deo homine, siue in Christo Domino, eiusque etiam exemplo probari prior illa assertionis nostræ pars. Etenim Christus impos fuit errandi in hac vita, adeoque caruit libertate contrarietatis, qua de loquimur: non caruit autem cognitione practica, non praxi: fuit namque in illo ars, fuit prudentia; tum quia reliquis virtutibus moralibus pollebat, ergo & earum moderatrice prudentia; tum etiam quia id habetur Lucæ 2. de eo fic fantis, *stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & sapientia eius.* Quod autem nonnulli respondent huic, & superiori argumento, prudentiam, & artem in Deo, & Christo propriè practicas 42

non

non esse, sed solummodo impropriè, vocis est suffugium, quod sine vllo potest negotio præcludi. Nam primò eadem respondendi arte defendere esset, prudentiam, & artem propriè sumptas Deo, & Christo nec inesse, nec vnquam inextitisse. Tum etiam ea distinctione praxis propriæ, & impropriæ eludi possent argumenta omnia quibus ipsi aduersarij actum intellectus praxim esse contendunt. Denique tam essentiale est prudentiæ, & arti quod sint practicæ, quam homini esse animal, quemadmodum ergo nullus propriè homo esse potest, quin eadem proprietate sit animal, sic etiam fieri nequit vt prudentia, & ars Deo, & Christo propriè insint, quin eadem proprietate, ac rigore practicæ eis inexistant: at illud prius contrarij non negant: perperam igitur hoc posterius inficiantur.

43 Porrò suadetur posterior nostræ sententiæ pars: quoniam ad praxim aliud obiecto tenus non requiritur, quam vt sit quid agibile: sed operatio non libera contradictoriè, nihilominus est propriè aliquid agibile, defectus igitur libertatis non oberit, quominus praxis sit, vbi cætera requisita ex parte actus concurrant. Maior est Aristot. lib. 3. de anima, cap. 9. *Intellectus enim contemplatiuus nihil eorum quæ sub actionem cadunt contemplatur, neque dicit quicquam omnino si sit fugiendum, aut prosequendum.* Et c. 10. seq. *Intellectus is inquam qui alicuius gratia ratiocinatur, quique principium est agendi, atque hic fine ab intellectu contemplatiuo differt.* Et 6. metaphys. cap. 1. *Circa actionem itaque, & quæ in agendo posita sunt, prudentia, circa facturam, & quæ in faciendo posita sunt, ars est.* Ecce ad praxim, siue intellectus practici terminum non aliud exposcit Aristot. quam vt sit aliquid agibile, siue vt sub actionem cadere possit, non inquam aliud ex parte ipsius rei, quæ praxis dicitur. Minor certo certior est: actio enim in liberam, & necessariam diuidi consueuit: aliquid igitur non liberum est actioni obnoxium.

44 Alio quoque argumento eadem nostræ sententiæ pars probatur. Operatio necessaria dirigibilis est à cognitione cui obiicitur: praxis igitur esse potest. Consequentiam aduersarij non negabũt, nec poterunt, qui nimirum vt inferius constabit, operationẽ necessariam praxim esse nolunt, propterea quod ipsis nullatenus dirigibilis esse videatur. Antecedẽs suadetur: quoniam si Deus ageret necessitate naturæ, & sine libertate ad vtramlibet contradictionis partem adhuc ageret per intellectum, & voluntatem, & naturæ opus futurum esset opus intelligentiæ, vt ex Arist. 2. phys. & plerisque eius interpretibus, & asseclis colligitur: potentia igitur necessaria, & determinata ad vnum, per intellectum, & voluntatem dirigi potest, ac proinde actio necessaria ei respondens dirigibilis est. Deinde Christus Dominus ad mortem oppetendam determinatus erat, supposito præcepto Patris: at cognitio præcepti eum ad moriendum, & Patri audiendum dirigebat: potentia igitur antecedenter determinata ad vnum nihilominus dirigi sustinet: atque adeo actio necessaria, & destinata ad vnum est dirigibilis; siquidem eadem cognitio causam, & operationem eius dirigit; illam, vt agat, hanc vt agatur.

45 Hactenus egimus de libertate indifferentiæ, qua opus esse, aut non esse potest, eaque tam contraria quam contradictoria: supereſt libertas à coactione, merito cuius opus est spontaneum, ac voluntarium, siue, quod instar est, à voluntatis electione, vel imperio proficiscitur. Assero ergo, praxim non debere esse liberam hoc genere libertatis, id est non oportere vt sit voluntaria. Ita Pater Vasquez citata disputatione primæ partis capite quinto, numero decimonono, ibi enim fatur: *Quamuis Logica sine electione dirigeret ad opera rationis, nihilominus hoc pacto practica esset appellanda.* Ita etiam Pater Balthasar Tellez tertia parte, summæ philosophiæ tractatu secundo, adnotat. breui numero quarto, namque ibi docet, omnem actum intellectus esse practicum non solum respectu cuiusuis amoris liberi, aut necessarij à se illati, sed etiam comparatione cuiusuis alterius actus intellectus quem quomodolibet dirigit, & hunc vicissim praxim intuitu illius: cum ergo fieri possit vt vnus actus intellectus immediatè fiat ex directione alterius absque vllo imperio voluntatis, vt cum apprehensio euidens alicuius obiecti eiusdem iudicium rapit, non solum non consentiente, verum etiam renitente voluntate, aut etiam quando iuxta plures Auctores præmissæ euidentes, ne non assentiamur conclusioni similiter prohibent, profectò in his euentis dabitur praxis neutiquam voluntaria. Eodem modo, quo hic auctor, loquuntur alij antiquiores, & quidem multo consequentius, quam Scotus, & eius sectatores: quando namque vt ipsi fatentur, amor immediatè dirigibilis à cognitione, hoc ipso est praxis, cur etiam cognitio immediatè oriens ex alia cognitione, hoc solo, ac circumscripto quocunque alio, nequeat esse praxis? Rursus Durandus & Bachonius superius laudati, omnem cognitionem ex habitu practico immediatè natam, adeoque eam quæ ab illo indeliberatè & inuoluntariè enascitur praxim esse volunt, quemadmodum cognitio ab habitu speculatiuo proximè producta, quantumlibet inuoluntaria, ab omnibus tamen speculatio dici consueuit. Hi ergo nostræ assertioni perspicuè fauent; etiamsi ipsi, & Pater Tellez iis illam principiis defendant, quæ nobis magnopere non probantur.

Ratio verò huius assertionis non vna afferri po- 46
test. Principio enim, si vt Durandus, Arriaga, & alij Doctores putant, esset possibilis creatura merè intellectualis, & voluntate prorsus destituta, ea nihilominus posset practicè cognoscere, praxis autem ei cognitioni respondens non foret voluntaria: hæc ergo conditio non est de ratione praxis. Maior est in propatulo: quoniam ea creatura Deum, aliaque obiecta speculari posset: at speculatiua cognitio genere suo perfectior est quam practica; quandoquidem vltima felicitas nostra non practica, sed contemplatiua est: quidni ergo talis creatura, quantumlibet manca, & voluntatis expers, practicè tamen plura cognoscat? item quia creatura illa ad præcauendos errores in intelligendo Logica instrui posset, imo ea egeret: Logica autem est practica; vt in loco ostensum est. Ac certè non conspicio, quapropter dictante prudentia, Deum esse amandum, merito suæ bonitatis, amor immediatè subsequens eiusmodi dictamen praxis esse debeat, potius quam definitio aut argumentatio, quas immediatè ex præscripto Dialecticæ docentis ea substantia voluntatis inops eliceret.

Secundum nostræ opinionis firmamentum esto. 47
Quoniam fieri potest, vt eodem actu euidenter quis apprehendat, & obiectum ita esse, & etiam ita iudicandum esse: hæc autem apprehensio euidens obiecti, & iudicij de obiecto est practica intuitu iudicij, cum illud, & cognoscat, & causet: & tamen iudicium illud necessarium, & non voluntarium est, quæ est apprehensionis præuiæ vinci nescia claritas, atque euidentia: terminus ergo cognitionis practicæ, quem ea cognoscit, & efficit, interdum est inuoluntarius: talis autem terminus praxis est: hæc ergo sub electionem, & imperium voluntatis haud semper

cadit. Hoc idem argumentum fieri potest in cognitione bonitatis illationis, qua quis ex aliquibus præmissis euidentibus euidenter sibi persuadeat, conclusionem sequi. Quartum esto: praxis non debet esse libera libertate indifferentiæ: cur ergo libertatem à coactione obtineat, aut, quod iuxta est, cur voluntaria esse debeat? Quintum: infrà constabit, Verbum diuinum esse praxim, cum tamen eius productio non sit rigorosè, & antecedenter voluntaria, ob id quod per intellectum, & non voluntatem procedit. Postremum argumentum sic se habet: ea de causa actus facultatum exteriorum praxes esse non possunt, nisi prius voluntariæ sint, quia facultates illæ imperio voluntatis suaptè natura subditæ sunt, neque ab intellectu, nisi mediante voluntate dirigi sustinent: at intellectus ab imperio voluntatis aliquando non dependet, ad hoc vt assentiat, & sine illo dirigi potest ab alio intellectus actu ad ferendum assensum: quin igitur actus intellectus sit voluntarius, praxis esse poterit.

Caput V.

Obiectiones aduersus doctrinam præcedentem remouentur.

48 Enimvero nihil esse posse praxim nisi quod vtramque libertatem contrarietatis scilicet, & contradictionis sortiatur, ac tale sit, vt in eo errari, & ab eo etiam superfederi possit, existimant multi, & graues auctores: præsertim verò Scot. quæst. 4. prol. Bassolis quæst. 7. & 8. Nicolaus Bonettus libro 2. metaphys. cap. 4. Theod. Smisingus in procem. Theol. quæst. 4. & alij Scotistæ Ocham. quæst. 4. prol. art. 2. Gregorius quæst. 5. articulo 1. Marsil. quæst. 3. artic. 2. Gabriel quæst. 10. artic. 1. Maior quæst. 9. Toletanus quæst. 9. artic. 1. 2. & 4. Argent. quæstione 4. artic. 2. Henricus 1. part. summæ articulo octauo, quæstione tertia, Siluester in conflato quæstione secunda, articulo tertio, Ferrara libro 3. contra gentes cap. 35. Soncinas 6. metaphys. quæstione 2. Item Pereira 1. physic. capite 2. Fonseca 6. metaphys. cap. 1. quæst. 5. sect. 2. & 3. at vero P. Suarez inter horum sententiam, & nostram, quandam mediam seligit & libertatem contradictionis, non vero contrarietatis ad praxim expescit: propterea enim 1. parte tractatu primo, libro tertio, capite quarto, processionem Spiritus sancti praxim retulit, quoniam non est libera contradictoriè: alia vero ex parte creaturas à Deo practicè cognosci indeque praxes esse admittit, cum tamen certo certius sit, non esse liberas contrariè, fierique non posse, vt Deus in earum molimine oberret.

49 Primum autem argumentum horum auctorum pro altera sententiæ suæ parte ex Diametro opposita ei doctrinæ, quam capite præced. primo loco statuimus, ita se habet. Operatio non libera libertate contrarietatis non est dirigibilis: ergo nec praxis: anteced. suadetur: quoniam omnis directio est ad præcauendum errorem: at in operatione non libera libertate contrarietatis errari nequit: dirigibilis ergo non est. Respondeo, negato antecedenti, & maiore qua probatur: cuius falsitas in Deo & Christo Domino apparet, necnon in creatura rationali omninò impeccabili, quæ, si possibilis est, vt plures censent, in genere moris errare siue peccare nequit, & tamen ad moraliter operandum dirigi potest, si diuinitus existat.

50 Pro eodem instituto secundò sic arguitur: potentia libera libertate contrarietatis sola est directionis capax: sola ergo practicè operatur. Antecedens probatur hoc pacto; potentia operatiua, aut est determinata ad rectè operandum, & ita nequit ad errandum dirigi, nec etiam ad rectè operandum: prior enim directio esset ad impossibile; posterior vero ad aliquid, quod independenter ab ea nequit non esse, ac proinde altera est impossibilis, altera non necessaria, & omnino superflua: aut potentia est determinata ad errandum, eademque arte ostendi potest, eam nec ad errandum, nec ad rectè operandum dirigibilem esse: alterius enim impossibilitas, & alterius quasi trabali clauo fixa necessitas omnem directionem prohibet: sola ergo potentia ad vtrumuis eorum indeterminata, & non necessaria quoad speciem contrariosve actus directionis capax censenda.

51 Occurrendum tamen huic argumento, potentiam vtroque modo determinatam dirigi posse, videlicet ad rectè operandum, quamuis ad id sit antecedenter determinata, & ad operandum cum errore, quamuis error ei sit antecedenter ineuitabilis. Etenim duplex est determinatio: alia radicalis, & quoad actum primum: alia formalis, & quoad actum secundum: facultas destinata formaliter, & actu secundo aliunde determinari, vel dirigi nequit; cæterum facultas destinata tantum radicaliter, & actu primo aliunde determinari, ac dirigi sustinet. Sic prædefinitio efficax conuersionis liberæ Petri, verbi gratia, Deo si largienda est, seipsa actuque primo determinata est, ne in irritum abeat; & tamen conuersio libera Petri determinat actu secundo, & facit ne sit irrita. Sic etiam vnio hypostatica radicaliter determinata est, ne vnquam expellatur per peccatum, & nihilominus obedientia Christi determinauit actu secundo, & fecit ne expelleretur. Sic denique omnis potentia necessaria positis omnibus requisitis, ad suum effectum remotè destinata est, eique astricta; & tamen actio superueniens eam proximè cum effectu connectit. Quocirca cum potentia non libera libertate contrarietatis, nec ad errandum, vel rectè & inoffense operandum indifferens, hoc ipso tantum sit determinata radicaliter ad alteram partem, non est quapropter ad eam determinari formaliter, denuoque dirigi nequeat, sicut ad praxim oportet.

52 Arguitur tertio pro eodem instituto: frustra & inutiliter adinuenta esset ars aliqua, cuius munus esset docere quatenus intellectus verum vt sic cognosceret aut voluntas bonum vt sic amaret, aut vtraque facultas in obiectum suum vitaliter tenderet: at non alia ratione, nisi quia circa bonum, & verum errare siue ab alterutro aberrare non possunt, fierique non potest, vt intellectus cognoscat aliquid non verum, aut voluntas amet aliquid nullatenus bonum, vtve alterutra facultas non vitaliter progrediatur: vbi igitur nullum erroris periculum, nulla potestas; quoduis docēdi munus est superfluum, & quæuis directio superuacanea: omnis autem notitia practica docet, & dirigit: nulla igitur est admittenda, nisi vbi potest aliquis error admitti. Respondeo: intellectus ab vno actu ad aliū dirigitur, v.g. ab apprehensione ad iudicium, & à præmissis ad conclusionem: at actus posterior verum respicit: intellectus ergo circa verum naturaliter dirigi potest. Item volūtas à cognitione ad simplicem complacentiam, & ab hac ad affectum efficacem dirigitur: at complacētia simplex, & volitio efficax in bonū ferūtur: volūtas ergo circa bonum naturaliter dirigi potest. Eadem ratione constat vtramque potentiā dirigi vt vitaliter tendat. Naturalis ergo

ergo directio non repugnat, etiam vbi nullum est errandi periculum, nullaque libertas. Vnde potest aliqua notitia practica non acquisita, & inuenta studio, & industria humana, vt rectè probat argumentum, & mox constabit, at naturalis esse circa obiectum, in quo operando nullum sit errandi discrimen, ad illudque naturaliter dirigere, eiusque effectionem docere.

53 Aduersus alteram nostræ sententiæ partem è regione oppositam libertati contradictionis, quam ad praxim exigunt auctores initio huius c. citati, sit primum argumentum desumptum ex Arist. 6. ethic. Ibi enim initio c. 3. sic ait: *Sunt vtique, quibus verum dicit anima affirmando, vel negando, quinque secundum numerum. Hæc autem sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus.* Deinde paulò infrà: *Contingentis autem aliter se habere est aliquid & factibile & agibile.* Mox etiam prosequitur: *Est autem ars omnis circa generationem, & artificiare & speculari, qualiter vtique fiat aliquid contingentium, & esse, & non esse, & quorum principium in faciente, sed non in facto; neque enim de his quæ ex necessitate sunt vel fiunt ars est, neque de his quæ secundum naturam, in seipsis enim habent hæc principia.* Posthæc c. 4. sic ait: *Videtur autem prudentis esse bene consiliari circa ipsa bona.* Et non longè infrà: *Et non est consiliari de his quæ ex necessitate sunt.* Ac tandem cap. 5. *Hæc autem, scilicet ars, & prudentia, sunt existentes circa contingentia aliter se habere.*

54 Ex his Arist. testimoniis opponitur primò quemadmodum omnis notitia practica est actiua, vel factiua secundum omnes, ita etiam omnis praxis est quid agibile, vel quid factibile. At iuxta Aristotelem nil sub actionem, nihil etiam sub factionem cadit, nisi quod est contingens, & aliter se habere non repugnans: contingentia igitur ac libertas saltem solius contradictionis ad quamcunque praxim est necessaria. Vlterius secundò: omnis notitia practica aut est ars, aut prudentia; Aristoteles enim initio laudati capitis tertij ethicorum omnem cognitionem veram (eiusmodi esse oportet eam, quæ practica est, vt infrà constabit) ait esse quintuplicem: tres ergo earum, quas memorat, cum tantum speculentur, videlicet scientia, sapientia, & intellectus, reliquum est, vt quæ supersunt duæ, ars nimirum, & prudentia sint practicæ, eæque solæ: ambas autem esse circa contingentia non semel edocet Aristoteles: omnis ergo praxis, siue quod eodem recurrit, cuiuscunque notitiæ practicæ terminus contingens non esse non potest. Ad hæc tertiò. Futilis esset ars aliqua, ad id solum adinuenta, vt verbi gratia, ignis semel accensus calefaciat, aut lapis supero loco demissus in centrum ruat, videlicet quia operationes hæ quadam naturæ necessitate eueniunt; rursus haud censetur prudens, qui nil amat nisi
55 bonum aliquod honestum, vtile, aut delectabile, nilve nisi quodammodo malum odio prosequitur, quoniam scilicet hi affectus sunt necessarij aliquos habituro, neque fieri potest, vt bonum non amet, malumque non oderit, qui circa alterutrum afficitur: solum ergo prudens meritò audit ille, qui duntaxat bonum honestum amat, & turpe abhorret, propterea quod in his amplectendis, aut refutandis libertas sit, atque electio: rectè ergo dixit Aristotel. nec artem, nec prudentiam, adeoque nullam cognitionem practicam reperiri circa ea quæ sunt secundum naturam siue necessaria. Quartò denique idipsum ex Aristotele probatur: vt enim non leuiter insinuat, ars opponitur naturæ: huius autem opus est necessarium: ergo & illius liberum, saltem quoad exercitium, siue contradictionem. Prudentiæ etiam munus, iuxta ipsum, est consiliari, consultatio autem est eorum, quæ in nostra potestate sunt, atque arbitrio, quæve sunt *contingentia aliter se habere*: quando igitur omnis & sola praxis obiicitur prudentiæ & arti, illam contingentem quodammodo esse oportet.

His vt satisfaciam animaduerto prius, præter 55
tres modos quibus ars supià capite primo, distributa est, duobus insuper eam secari oportere. Aliquando namque sumitur pro sola facultate operatiua naturæ superaddita & studio atque industria à nobis quæsita; aliquando vero, pro facultate etiam naturaliter indita, & nullius operæ pretio comparata. Vsitatum satis autem distingui contra naturam, haud minus vsitatum eam ita non distingui, sed potiùs naturam ipsam dici artificem & artificiosam, necnon artem naturalem. Ad artem priori modo magisque presse sumptam respexit Horatius in arte

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Ad artem posteriori modo, & magis laxè vsurpatam 56
respexit Zeno apud Ciceronem l. 2. de nat. deor. cuius ibi hæc de eo sunt verba: *Zeno igitur ita naturam definit, vt eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum, progredientem via: censet enim artis maxime proprium esse creare & gignere, quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est vt dixi, ignem artificiosum magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quandam, & sectam, quam sequatur. Ipsius vero mundi: qui omnia complexu suo coercet, & continet, natura non artificiosa solum, sed planè artifex, ab eodem Zenone dicitur consultrix, & prouida vtilitatum opportunitatumque omnium.* Qua autem ratione artem, eadem prudentiam etiam diuidendam arbitramur in eam quæ naturalis est, & non acquisita, cuiusmodi est diuina, & qualis esset quoque in impeccabili creatura, si diuinitus existeret, necnon in eam, quæ industria, & labore à nobis comparatur, haud enim natura boni sumus aut prudentes

Hinc euanescent ex Aristotele rationes erutæ. Ad 57
primam dicendum est, omnem quidem praxim actionem, aut effectionem esse; philosopho tamen verba fuisse non de quacunque actione & effectione, sed de nostra tantum, id est ea, quæ prudentiæ & arti à nobis acquisitis obiicitur, hanc autem fatemur esse contingentè, talisque contingentiæ testis est experientia ipsa rerum omniũ quas prudenter, quas solerter efficimus. At propterea non cogimur, actionem, & effectionem alterius genij, ortamque ex prudentia, & arte non qua nos vtimur, sed alia necessario operatiua praxim renuere. Ad secundam rationem dicendum est, immeritò supponi omnem notitiã practicã esse artẽ, aut prudentiam, qua de loquitur Arist. lib. illo 6. ethic. Vnde enim cõstat, scientiã ibi ab arte, & prudentia distinctam, esse speculatiuam tantum, & non practicam? Profecto tam speculationes quam practicas demonstrationes complexu talis scientiæ coerceri, multi, & graues auctores perhibent. Attamen contrarium esto verius, omnem scilicet notitiã practicam esse artem, aut prudentiam: quid tum? vt enim iam aiebam, non de omni arte, & prudentia sermo fuit Aristoteli, sed de iis solum, quæ nobis industria nostra sunt ingeneratæ: quamuis igitur hæ non versentur nisi circa contingentia quoad exercitium, siue contradictionem, inde tamen non consequitur, omnes alias eius esse conditionis: adeoque locus est, vt plures res sint praxes, artique, & prudentiæ alicui subiectæ, tametsi ea

contingentia destituantur. Ad tertiam & quartam rationem similiter occurrendum est, eas non de omni arte,& prudentia, sed de nostris duntaxat procedere; quare hoc tantum concludere, praxim nostram,eamque quadam cum exceptione mox adhibenda, non verò omnem esse contingentem.

58 Porrò autem, vt solutio tradita magis clareat, breuiter, atque cursim recensendæ sunt praxes illæ, de quibus Aristotelem cum in præsenti, tum etiam 3. de anima, capite 10. textu 51. aliisque locis nobis obiici solitis inficiamur esse loquutum, quasque propterea contingentes non admittimus. Prima omnium est Verbum diuinum, omnis quidem expers contingentiæ, & nihilominus praxis vt mox videbitur. Secunda est Christi seruatoris obedientia, quæ praxis censenda, eo quod ex dictamine prudentiæ profecta, necessaria tamen, & non contingens, ob præceptum ei à Patre impositum,cui non potuit sine peccato contra stare:modus autem,quo obedientia illa fuit meritoria,& aliunde libera,nostri instituti non est,eumque proinde in suspenso relinquo. Tertia praxis, non omnis quidem, at eius contingentiæ de qua sermo Aristoteli fuit expers, est productio, & conseruatio plurium rerum à Deo distinctarum : quamuis enim omnes eius dominio,& arbitrio subditæ sint,ab eoque possint quocunque temporis momẽto in nihilum redigi;cæterũ plurimæ sunt necessariæ,hoc sensu, vt nequeant ab eo non produci,& conseruari naturaliter loquendo,id est si vniuersum hoc suis legibus ire sinat, nullamque ei miraculosam violentiam inferat: etiamsi autem naturaliter sint necessariæ,ac non contingentes, adhuc praxes sunt respectu Dei,& ab arte illius emanant, vt suprà c.1. disputauimus. Quarta praxis non contingens,est creaturæ cuiusdam possibilis,cui vna ex parte prudentia,& ars sit connaturalis, ex alia etiam ei sit naturale, & omnino necessarium, vel pleraque,vel aliqua ex artis & prudentiæ præscripto operari : quæ enim huius creaturæ potest esse repugnantia,aut contradictio?Postrema praxis contingentię,& libertatis omnis inops in nobis etiam locum habet,non quidem in hoc,at in alio rerum euentu:fac enim aliquem nostrum sponte sua operaturum secundum regulas prudentiæ,vel artis:quid vetat Deum prædeterminare hunc, vt secundum eas velit nolit operetur : talis autem operatio esset praxis,quia prudens,& artificiosa; at non contingens quoniam prædeterminata. Quo autem pacto Aristotelem hactenus,eodem non paucos auctores aduersus nos huius initio capitis adductos exponi posse arbitror : scilicet de aliqua praxi,non vero de omni, quoties ad eam, contingentiam exposcunt.

59 Arguitur secundò contra eandem nostræ sententiæ partem. Operationes brutorum praxes non sunt: non alio nomine, nisi quia necessariæ sunt, & libertatis expertes. Respondeo, practicum, & speculatiuum esse differentias intellectus, & ad summum voluntatis,vt constat ex Aristotele 3.de anim.text.46. & 47.B.Thoma 2.2.quæst.49.art.2.ac cæteris omnibus; quare bruta, vt intellectu, sic notitia practica & speculatiua carent : praxis autem notitiæ practicæ respondet, & eius est obiectum : proinde mirum non est, quod operationes belluinæ rationem praxis haud sortiantur. Aliam etiam eius rei causam supra reddidimus : quoniam videlicet praxis debet esse finis notitiæ, seu cognitionis vnde oritur : belluæ autem propter finem non operantur.Denique:si cognitio belluina respectu alicuius obiecti efficax, & illud praxim, & se practicam denominat, etiam belluina cognitio obiecti quod exprimit neutiquam operatiuam, hoc ipso erit illius speculatio: at quis dicat, belluas speculari cœlum, verbi gratia, aut sydera, aliaue obiecta, quæ non faciunt, sed suspiciunt.

Arguitur tertiò aduersus eandem opinionis nostræ 60
partem. Cognitio nostra circa nutritionem, & quo fit modum, est speculatiua, & non practica, aut artificiosa; aliàs nutritio esset opus artis, & non naturæ : igitur nutritio nostra non est praxis, siue obiectum notitiæ practicæ : at non alia de causa nisi quia est operatio necessaria applicato alimento, necessitas ergo cum praxi non cohæret. Respondeo, exemplum nutritionis, si quid valeret, probaturum, nullam actionem externam, nullam intellectionem esse praxem, quod & est contra ipsorum aduersariorum non paucos, & præter philosophiam moralem nullam, nullamque scientiam practicam esse permittit, quo quid inscitius ? Sequela probatur : actus intellectus, & exteriorum facultatum immediatè liberi non sunt, sed necessarij, tantumque mediatè liberi, id est per denominationem ab imperio voluntatis, qua reguntur, haud secus ac nutritio immediatè necessaria est, cum posito alimento, & reliquis causis non possit à voluntate suspendi, & mediatè duntaxat libera, hoc est per denominationem à voluntare comedendi, & alimentum adhibendi : ergo si nutritio defectu libertatis non est praxis, actus etiam commemorati praxes non erunt. Deinde respondeo, cognitionem nutritionis duplicem esse : alia namque hominem cum esse supponit, & materiam iam applicatam; hæc autem non est practica, neque nutritio praxis respectu illius, non quia nutritio est necessaria, sed quia ea cognitio ad executionem nutritionis minimè deseruit : alia vero materiam non supponit applicatam, sed applicabilem, eamque potest, & solet adhibere; & hæc practica est, & nutritio praxis respectu illius. Quod autem opponitur, eam cognitionem non esse artem, adeoque non posse practicam esse, nullius arbitror momenti : tum quia notitia illa est ars, non naturæ superaddita, aut studio acquisita, at naturalis, vt paulò suprà expositum : tum etiam quia si de nomine quæstio sit, & nulla concedatur ars naturæ debita, quid facilius, quam negare solam artem esse practicam ? qua ratione Aristoteles suprà citatus prudentiam ab arte distinguit, & tamen eam practicam adstruit. Quod autem dicimus, cognitionem nutritionis alimento adhibito præuiam esse practicam, id intelligendum est de eius cognitione vulgari, & ordinaria : acroamatica enim, & scientifica, qualis traditur in physica, etiamsi applicationem materiæ præeat,fortasse tamen practica non est,ob dicta superius cap.2.

Arguitur quartò : visio beatifica est omnino spe- 61
culatiua,& non practica, ac proinde amor beatificus & fruitiuus non est praxis at non alia gratia,nisi quoniam est operatio necessaria,& non libera.Respondeo: amor beatificus praxis non est, quia necessarius, sed quia obiectum visionis beatæ non est : praxis enim obiectum notitiæ practicæ debet esse. Quod si instet aliquis ex aduerso,visionẽ beatificam,quemadmodum alia in Deo,sic etiam amorem illum in eo cernere, ad manum est responsio, amorẽ beatificum per visionem Dei cognitũ respectu eius esse praxim; hactenus autẽ sermonẽ fuisse de amore, qui oriatur ex visione beatifica provt præcisè tali,& provt est solius Dei:namque cum videndo beamur, & per accidens est ad nostram essẽtialẽ beatitudinẽ,quod aliud quidpiã in eo videamus.Adiice,amorẽ beatificum,iuxta Scotum,& asseclas,Balthasarẽ Tellez,& alios recẽtiores praxim esse;

quam

quamobrem argumentum nullius esse momenti, vtpote quod assumit aliquid inter auctores dubium, & in eius probationem nihil prorsus adducit.

62 Arguitur quintò, Verbum diuinum praxis non est: at non aliam ob causam, nisi quia contingens non est, sed potiùs summè necessarium: igitur contingentia, & ad vtrumlibet indifferentia, praxi non est contingens, sed omnino essentialis. Respondeo, Verbum diuinum esse praxim intuitu cognitionis Paternæ à qua procedit. Primò, quia finis cognitionis practicæ est actio, & quod sub actionem cadit, vt ex superioribus liquet: sed Verbum diuinum est actio ad intra, vt aiunt, & generatio passiua, & verè producitur ac generatur: potest igitur esse obiectum alicuius practicæ cognitionis, nihilo minus quam quodlibet aliud agibile: talis autem cognitio non alia quam Paterna à qua dimanat. Deinde actus virtutum moralium in Deo sunt praxes, cum tamen realiter non producantur: à fortiori ergo Verbum diuinum realiter productum praxis erit. Antecedens est perspicuum: quoniam actus hi prudentia regulantur, quæ vniuersim practica est: quod egregiè docet P. Suarez 1. part. lib. 3. de attrib. cap. 4. num. 7. his verbis: *Diuina cognitio duplici ratione practica est, vno modo per modum prudentiæ respectu ipsiusmet voluntatis diuinæ quoad actus liberos vt sic, seu quoad determinationes eorum, &c.* Præterea Capreolus quæst. 2. prol. Soncin. 6. metaph. quæst. 2. & alij Thomistæ, item Scotus quæst. 5. prol. & communiter eius sectatores, solum actum imperantem, & internum esse propriè, & primariò praxim censent: opus verò imperatum, & externum nonnisi secundario, & per denominationem à voluntatis imperio præcedente: atqui creaturæ à Deo prudenter, & artificiosè productæ sunt praxes: non igitur ipsæ, sed voluntas Dei efficax earum existentiam imperans iuxta hos auctores sortietur rationem praxis propriè, ac primario: quid igitur Verbum esse praxim refugimus? quasi vero hoc aliquam Deo imperfectionem affingeret. Denique praxis vt sic nullam imperfectionem inuoluit: sed verbum creatum praxis est, vt contra Scotum ostendimus: igitur & Verbum increatum. Maior est communis, & probatur: tum quia actus liberi Dei omnis imperfectionis expertes, tamen sunt praxes, vt iam vidimus, id quod Scotus apud P. Suarez loco citato extendit ad amorem etiam Dei necessarium, siue eius circa seipsum: tum etiam quia alias actio, & generatio in communi imperfectionem clauderent, adeoque in diuinis locum non haberent: tum denique quia nulla argumenta contrarium euincunt.

63 Dices Basilium, lib. 2. aduersus Eunomium, eum reprehendere, quod Verbum Dei contra Scripturarum vsum Patris genituram appellet: cum ergo in Scripturis, aut Theologorum monumentis nusquam praxis de Verbo dicatur, eum loquendi morem prorsus reiiciendum esse. Respondeo, Eunomium teste Basilio idcirco Verbum Dei non Filium, aut natum Patris, sed eius genituram appellare, *vt geniti ad ingenitum oppositione, contrario pacto ad Patrem habere Filium in substantia ipsa ostendat.* Rursus tale vocabulum nec Ecclesiæ, nec scripturarum consuetudini conforme esse: quid mirum ergo si explodatur? At praxis de Verbo dicta nihil indicat fidei contrarium: quod enim contingentia Verbi sequatur inde, hoc negamus cum omnibus illis scholasticis, qui praxim suaptè natura contingentem esse denegant: item vocabulum istud secundæ personæ accommodari insolitum in Ecclesia non est, sed potiùs Ecclesiasticis scriptoribus nuper relatis, aliisque pluribus satis consonum. Et quamuis ij scholastici, qui ad praxim contingentiam aliquam posçunt, eosque inter Suarez expressè Verbum, vel, quod instar est, Spiritum sanctum praxim renuant, cæterum reliqui omnes eam praxis conditionem negantes, vno Hurtado excepto, & aliquibus post ipsum Neotericis, Verbum esse praxim velut exploratum supponunt.

Dices secundò B. Thomam 1. part. q. 14. art. 16. & 64
eius interpretes omnes sentire Verbum non esse praxim. Nihilominus B. Thomas eo loci tantum contendit Deum habere de seipso scientiam duntaxat speculatiuam, non verò practicam: cæterum interpretandus est de scientia practica circa prædicata Dei absoluta, & improducta, ac necessaria, cuiusmodi sunt deitas ipsa, omnipotentia, æternitas, aut immensitas, vt ex illius contextu liquet, non vero circa prædicata necessaria relatiua, cuiusmodi sunt Verbum, & Spiritus sanctus, nec absoluta libera: hæc enim à Deo practicè cognosci, nec negat, nec affirmat, & consequenter an illa praxes sint eo loci in medio relinquit. Atque idem iudicium de reliquis scholasticis, quorum similibus testimoniis nullo iure recentiores vtuntur.

At P. Hurtad. disp. 11 de anim. sect. 2. n. 12. negat, 65
Verbum esse praxim, vt iam dictum, non quia necessarium est, sed quia non causatur, sed producitur, à quo parum discrepant alij, qui Verbum, quoniam iuxta verba symboli *genitum non factum*, idcirco à ratione praxis exterminat. Cæterum hæc solutio iis argumentis, quibus nostra solutio probata est, facilè potest improbari. Rursus cognitio Verbi diuini in sola eius contemplatione non sistit, sed vlterius gradum facit non ad eius causalitatem, aut effectionem, at certè ad eius productionem, & generationem: ergo respectu illius non est speculatiua, adeoque practica.

Secundò alij censent, Verbum non esse praxim, quia 66
non est obiectum cognitionis à qua procedit, sicut ad praxim oportet, sed alterius à qua non procedit, cuius explicatio Theologici muneris est. Contra: Verbum expressiuum essentiæ omnium consensu à cognitione essentiæ procedit: ast ea cognitio essentiæ est etiam cognitio Verbi: hoc igitur procedit à cognitione cui obiicitur. Minor probatur: quoniam Verbum procedit à cognitione essentiæ, non quacumque, sed comprehensiua illius; id enim ad perfectionem Verbi attinere videtur: sed comprehensio essentiæ Verbum eius expressiuum, sicut & reliqua omnia connotata, attingit.

Alij tertiò ad cognitionem practicam desiderant, 67
vt speciali titulo ad productionem sui obiecti conducat, & sit eius productiua, potius quia est cognoscitiua illius, quam quia aliud obiectum dignoscit: quando igitur cognitio Verbi non magis illud producit, quia illud cognoscit, quam quia essentiam, (nam plures negant Verbum ex cognitione sui procedere, cum tamen ex cognitione essentiæ illud procedere nemo inficias eat) mirum non est, quod ea cognitio practica, & Verbum praxis non sint. Sed cur hæc etiam doctrina mihi displiceat, absoluam breuissimè. Si visio beatifica amorem itidem beatificum cognosceret Deumque summè amandū dictaret, practica foret respectu amoris, & amor praxis respectu illius: at non magis causaret amorem beatum, quia illum cognoscit, quam quia aliud obiectum, Deum videlicet cognoscit, quinimo è conuerso se res habet, cum provt cognoscitiua Dei amorem necessario inferat, si vero esset duntaxat cognoscitiua amoris eum necessario non inferret: eo igitur speciali titulo ad praxim opus non est. Maior est conspicua: quoniam visio beata eo in euentu esset dictamen prudentiæ, aliis huius virtutis actibus

non absimile : dictamen autem quoduis prudentiæ est practicum. Insuper, iudicium quo beati iudicant Deum clarè visum summè amandum esse, distinctùm quidem à visione beata, eaque posterius, est practicum, vt animaduertit Sotus in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 4. concluſ. 5. esto ergo identificetur cum visione beata speculatiua Dei, practicum adhuc manebit : nam identitas cum cognitione speculatiua vnius obiecti, non obest tendentiæ practicæ in aliud obiectum, aliàs nulla cognitio speculatiua & practica simul esset intuitu diuersorum obiectorum, quodque difficilius est, nulla Deo cognitio practica concedi posset, cum omnis cognitio diuina cum aliqua eius notitia speculatiua realem identitatem potiatur.

67 Quartò: iidem putant, cognitionem practicam non esse immediatè factiuam operis, sed directiuam, vt aliunde fiat, sicut in artibus mechanicis visitur : cognitio autem Verbi diuini est immediatè eius productiua, & non præceptiua vel directiua, vt aliunde producatur ; qua de causa nec ipsa est practica, nec eius terminus, nempe Verbum, praxis. Verum ne hæc doctrina placet : quoniam volitio Dei efficax est immediatè operatiua ad extra, nihilominus dicitur practica respectu sui obiecti ; atque ita Suarez in metaphysica, & alij scholastici passim loquuntur : actus igitur intellectus poterit dici practicus intuitu eius obiecti, cuius est immediatè factiuus, vel productiuus. Præterea qui scientiam visionis Dei immediatè productiuam rerum extrariarum statuunt, eandem practicam censent, vt testatur Suarez lib. 3. de attributis positiuis cap. 4. num. 10. & qui imperium intellectus his verbis, *fac hoc*, respondens rerum creatarum immediatè executiuum volunt, illud practicum appellant, teste eodem Suarez libro 1. de præd. capite 16. num. 3. nec est qui hoc nomine vnos, aut alteros impugnet : ergo, &c.

68 Instabis tamen, cognitionem, quæ supra durationem suam reflectat, non esse practicam respectu illius ; etiamsi illius sit cognitio efficax : at non alia de causa nisi defectu supradicti specialis tituli, aut quia durationis immediatè productiua est, ea ratione qua, ignis, verbi gratia, calorem, & reliquas proprietates suas immediatè producit, aut denique quia duratio non contingit tali cognitioni, sed magis est eius proprietas necessaria, atque ad illius connaturalem statum attinet : triplex igitur illa conditio, vel ex triplici, aliqua ad notitiam practicam, & praxim requiritur. Sed maior est falsa, vt ex iisconstat, quæ de visione beatifica amorem Dei quem rapit cognoscente, superius disseruimus. Instabis secundò, Spiritum sanctum similiter fore praxim. Respondeo concessa sequela cum Augustino lib. 6. de Trinitate, cap. 10. vbi sic ait, *Verbum est ars omnipotentis Dei plena omnium rationum viuentium.* Quandoquidem ergo Spiritus sanctus per essentiam Spiritus, & vita est Verbum respectu illius ars, siue cognitio practica erit, & ille praxis consequenter intuitu Verbi : quidni igitur hoc respectu Patris vera praxis censeatur ?

69 Aduersus postremam doctrinæ nostræ partem, qua sumus inficiati praxim genere suo esse voluntariam, referri solent omnes auctores huius initio capitis laudati : arbitror tamen, multos posse intelligi de praxi nostra & ordinaria, non vero generica, & communissima : quanquam etiam hoc diffiteri nequeo Patrem Suarez supra sectione 13. num. 28. & 30. Raphaëlem, Auersam citata quæstione 27. sectione 4. paulò post medium, Fonsecam & alios recentiores apertè nobis refragari. Primum autem huius sententiæ argumentum sic habet. Praxis genere suo est operatio contingens, & libera : sola autem operatio voluntaria, id est à voluntate, vel immediatè, vel eius imperio mediante proficiscens, potest esse libera ; sola namque voluntas est potentia libera, & radix eius libertatis, quæ in aliarum facultatum opera redundat : praxis igitur debet esse voluntaria. Sed quid ? si quis cum Durando intellectum immediatè liberum esse tueretur. Deinde multis partibus verius, ac probabilius est, praxim in communi non esse suaptè natura operationem liberam, quo tota vis argumenti corruit. Aliud eius sententiæ argumentum est. Praxis debet esse ex directione cognitionis practicæ, huiusque obiectum & effectus : cognitio autem non dirigit nisi mediante amore : praxim ergo amatam seu volitam aut voluntariam esse oportet. Concessa maiori, minorem nego : quod enim vna cognitio ad aliam immediatè dirigat, eamque nullo interueniente voluntatis imperio multoties inferat, superius ostendi, idque etiam si contingat vnum esse obiectum alterius, vt si aliquis apprehendat euidenter, & rem esse, & ita per iudicium immediatum, aut conclusionem eam cognoscendam esse. Quin etiam vna cognitio immediatè quidem, & quocunque voluntatis actu circumscripto, inferre potest non tantum aliam cognitionem, sed etiam opus aliquod non vitale, & exterius, vt exempli gratia, si cognitio aliqua in suammet durationem, vel vbicationem reflectat. Tertium eius sententiæ fundamentum est huiusmodi. Praxis debet esse finis cognitionis practicæ, vt suprà sæpè sæpius diximus : atqui solum opus voluntarium, & cognitionem, ac complacentiam terminans, ac mouens dici potest finis ; hic enim finitur, qui propter se cognoscitur, & amatur, & ratione cuius, cætera. Huic etiam obiectioni occurrendum, praxim debere esse finem cognitionis practicæ non actu, nec ita vt propter illam prius cognitam, & amatam eligi debeat hæc, sed aptitudine, quasi nihil possit esse praxis, nisi ei insit talis vtilitas, ac dignitas, ratione cuius prudenter eligi queat eius cognitio practica, tametsi de facto eiusmodi electionem prius intenta non subinferat.

Caput VI.

Aliqua annotamenta de modo repræsentandi practico, & speculatiuo.

70 NOtandum primò aduersus Ocham. Gabriel, Gregor. maiorem quos refert & sequitur Pater Vasquez suprà prima parte disp. 8. cap. 5. numero 20. non solum iudicium, sed etiam apprehensionem simplicem notitiam practicam esse posse : quoniam eiusmodi cognitio incomplexa multoties est efficax respectu sui obiecti, eiusque desiderium excitat, & executionem promouet, ad eamque velut finem destinatur. Notandum secundò cognitionem practicam veram esse oportere, si sit iudicatiua, aliàs quoduis obiectum à quouis practicè cognosci posset, cum nullum obiectum sit quod velut à te operabile falsò tamen cognoscere nequeas. Animaduertendum tertiò, cognitionem speculatiuam à fortiori veram esse oportere : qui enim falsò cognoscit, non tam speculari, aut contemplari, quam hallucinari dicitur. Animaduertendum quartò cognitionem aliquam intellectus etiam iudicatiuam, nec practicam, nec speculatiuam esse, nimirum si iuxta nuper dicta factibilitate obiecti

falsò

falsò cognoscat. Neque verò id mirandum est: tum quia cognitiones belluinæ, atque, vt mox videbitur, sensitiuæ humanæ, nec practicæ, nec speculatiuæ sunt ratione suæ imperfectionis: igitur de actu intellectus falso idem eadem de causa dicendum: Tum etiam quia de Logica nec formaliter practicam, nec formaliter speculatiuam esse Pererius, & alij docent: Denique, quod multo maximum est, quia de Theologia, scientiarum perfectissima, neutram tamen denominationem formaliter sortiri plures Theologi existimant.

71 Norandum quintò, cognitioni essentialiter conuenire, quod sit actu primò speculatiua, aut practica: quoniam cognitio eatenus est actu primo speculatiua, aut practica, quatenus est directiua, aut non directiua ad effectionem sui obiecti modo superius explicato: cognitio autem per suammet essentiam dirigit actu primo, aut non dirigit ad effectionem sui obiecti, cum hæc directio ab eius repræsentatione indistincta sit: ergo, &c. Dices: si intellectio sit qualitas absoluta, cognitio, munere cuius Petrus v.g. motum progressiuum Pauli Paulo possibilem, & sibi impossibilem esse cognoscit, eò quod eiusmodi motus actio, & modus soljus Pauli sit, hæc inquam cognitio constituta in Petro speculatiua est quoad actum primum, & posita in Paulo practica penes eundem actum, cum alterum ad motum progressiuum dirigat, alterum verò dirigendo non sit; ea igitur cognitio actu primò practica est non essentialiter, sed duntaxat accidentaliter. Breuem tamen, & facilem habet hæc difficultas solutionem: ea enim cognitio accidentaliter speculatiua, aut practica non est actu primo, sed potius essentialiter, & immutabiliter practica simul, & speculatiua respectu diuersorum cognoscentium, quod & non aliud obiectio concludit, vt animaduertenti clarebit. Cæterum cognitio nostra multoties est accidẽtaliter practica actu secundo: ei siquidem accidit, quod cum effectione sui obiecti actu coniuncta sit, siue, quod actu secundo efficax sit, in tantum autem est practica actu primo, aut secundo simpliciter, aut secundum quid, quantum aliquo ex his modis efficax est. Quod autem diximus, practicum, & speculatiuum simpliciter atque actu primo sumpta esse differentias essentiales cognitionis opinio est Pererij 1. Phys. c. 3. paulo post initium. Suarez superius disp. 44. & Scoti q. 4. prol. §. *dixi aptitudinali*: tametsi ibi voce tenus dissentiat, easque differentias magis intrinsecas, ac Physicè identificatas, quam essentiales, aut, quod iuxta ipsum perinde est, formaliter, ac ratione identificatas existimet. Quod porrò diximus, speculatiuum, & practicum actu secundo aut, quod meiudice instar est, secundum quid sumpta, esse differentias accidentales nostræ cognitionis, opinio est Capreoli q. 2. prol. & aliorum Thomistarum, necnon Vasquez disputatione suprà citata, & aliorum plurium.

72 Notandum sextò, eundem realiter actum, habitumuè nostri intellectus, esse posse simul practicum, & speculatiuum intuitu diuersorum obiectorum. Ita Suarez relata disp. 44. s. 13. num. 43. Vasquez 1. parte disp. 9. c. 3. n. 6. Auersa suprà q. 27. s. 2. Præpositus q. 1. in 1. p. art. 4. Probatur autem primo: quia idem actus potest esse simul speculatiuus, & practicus respectu diuersorum cognoscentium, vt num. præcedenti ostendimus: quidni ergo & respectu plurium cognitorum? Deinde quoniam diuina cognitio cum realiter eadem & indiuidua sit, adhuc est practica, & speculatiua comparatione diuersorum obiectorum, sui videlicet & creaturarum: cur non ergo similiter nostra? si quando contingat, eam plura indiuisibiliter intueri, quorum alia sub cognoscentis actionem cadunt, alia vero ab eo non sint factibilia. Atque hæc denique sit ratio à priori huius doctrinæ: nihil etenim obesse potest, quominus idem actus noster dirigat aliquando, & referatur ad executionem aliquarum rerum, & non aliarum, si nimirum aliæ & non aliæ sint à nobis operabiles. Quod autem disputat Caietanus 1. part. q. 1. art. 4. & 2. 2. q. 4. art. 2. actum, habitumue complectentem alias res factibiles à cognoscente, alias eius effectioni non subiectas, nec esse practicum, nec speculatiuum formaliter, sed vtrumque eminenter, hoc mihi magnopere displicet: cum enim eiusmodi cognitio actualis, habitualisve sit formaliter efficax, & operatiua aliarum rerum, & respectu aliarum formaliter inefficax, ac non operatiua, nulla causa subesse potest, quominus etiam formaliter practica, & speculatiua intuitu earum dicatur, si sua quidem his nominibus significatio constet.

Notandum septimo, de ratione cognitionis practicæ duntaxat esse vt sit efficax, sponte sua, ac per se respectu obiecti, siue, quod eodem redit, vt sit in subiecto per se non impedito ad operandum id quod intuetur. Quod autem sit per accidens inefficax, seu quod sit in subiecto per accidens impedito ad operandum non est aduersus illius rationem; aliàs claudus deambulandi practicè esset ignarus, & ars saltandi ab eo ante claudicationem acquisita, in eo maneret, & non practica, vt recte infert Molina 1. parte q. 1. disp. 1. art. 4. item alias nemo non careret notitia practica & arte cuius instrumentis destituitur, vt bene arguit Auersa q. citata s. 4 initio. Præter hos autem Auctores, alioque antiquos Balthasar, Tellez 3. p. sum. in adnot. breuis n. 7. & alij recentiores nobiscum hac in re consentiunt. 73

Animaduertendum 8. contra P. salas. 1. 2. t. 10. disp. 7. s. 2. & Conimbricenses l. 3. de anima c. 10. in eius explanatione, cognitionem sensitiuam etiam internam, & imaginatricis facultatis propriam, non esse strictè practicam. Primum, quia belluæ imaginatiua pollent, sed practice non cognoscunt, sicut nec speculatiue, quis enim dicat belluas speculari? Cui etiam adiice, quod finem sicut ad practicam cognitionem oportet, non respiciant. Deinde intellectus est, quem vbiuis dispescit Aristoteles in practicum, & speculatiuum: at facultas imaginatiua non est intellectus: eius igitur actus nequeunt esse practici aut speculatiui, hasve de nominationes principio suo imperrire.

Animaduertendum est Nono aduersus aliquos recentiores, non esse de essentia notitiæ practicæ, vt iudicet obiectum esse factibile ab ipsomet cognoscente per accidens non impedito. Namque Dialectica, iuxta ipsos, est practica penè tota: atqui nullatenus esset practica, si vera doctrina ex eis nuper relata: etenim Dialectica prout talis duntaxat considerat definitionem constare ex genere, & differentia, diuisionem tribuere totum in suas partes, demonstrationem Barbaricam constare tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis: qui hæc & reliqua eiusmodi cognoscit, is est perfectus Dialecticus, etiamsi nihil eorum à se factibile iudicet, neque talem reflexionem efficiat: & quidem iudicium illud reflexum factibilitatis earum intentionum, quæ Dialecticæ subiiciuntur solummodo est quædam experimentalis cognitio non verò scientifica: quod enim medium habet Dialectica ratione cuius probari ab ea soleat eiusmodi factibilitas: nullum prorsus, aut certè curta erit omnis Dialectica hactenus tradita: omnis 74

enim naturam, & proprietates secundarum intentionum, non vero quod sint factibiles à cognoscente, omni ope demonstrat,& iudicare cogit : hoc ergo iudicium ad dialecticam scientiam provt talem neutiquam attinet: ea igitur erit omninò speculativa, quandoquidem non claudit istud iudicium, cuius solius merito posset esse practica, iuxta neotericos quibuscum cernimus. Pari ratione aduersus eos probari posset, nec medicinam, nec ethicam, nec quod plus est, artem vllam liberalem,aut mechanicam esse practicam : omnes enim in hoc tantum docent,quatenus debeat opus fieri, non autem an possit à cognoscente fieri ? hoc enim posterius est experientiæ, illud prius artis.Rursus secundo impugnatur ea doctrina, & propugnatur communis reliquorum omnium Auctorum. Ad cognitionem practicam satis, superque est, vt ad effectionem sui obiecti dirigat: at ita directiua esse potest, quin obiectum suum esse effectibile à cognoscente iudicet; quemmadmodum cognitio solius Dei v. g. dirigit ad eius amorem efficiendum,quin amorem velut effectilem iudicet,eumvè vllatenus cognoscat. Quid?quod notitiam practicam debere esse iudicium & non posse esse simplicem apprehensionem immeritò sumitur, vt huius initio capitis vidimus.

75 Decimò annotandum est, scientiam practicam aliam esse actiuam, cuius nimirum obiectum est actio, aliam factiuam, cuius obiectum est factio. Huius autem diuisionis notitiæ practicæ, natura ac variæ species innotescent, si actionis, & factionis multiplex discrimen breuiter explicetur,ad mentem Aristotelis, qui primus eas distinxit. Ergo sexto metaph.c.1.& 3.de anima,t.46.& 47.& 6.ethic.c.2. eas ita dilucidat,vt actio sit solũ operatio moralis, siue regulis moris,cõsona vel dissona,factio verò quæuis alia interior, exteriorve non moralis sed Physica. Rursus nono metaph. cap. 9. actionem appellat omnem operationem immanentem, seu Physicam, seu moralem, seu intellectus, seu voluntatis propriam, factionem verò solam operationem transeuntem, & exteriorem. Tertio denique lib.1.Magnorum moralium cap.vltimo, factionem vocat omnem operationem,quæ finem aliquem superstitem habet, & exemplum ponit in structura domus, actionem verò eam duntaxat operationem, quæ nullum finem à se distinctum reliquum, aut superstitem habet,& exemplum adhibet in citharæ modulatu. Vide etiam circa Aristotelicum actionis à factione discrimen. P. Vasquez supra 1. part.d. 8. c.5. à n. 14. & P. Amicum, tract.27.log.disp. 2. q. 4.dub. 2. Quanquam autem aliqui existiment, solam actionem appellandam esse praxim, & consequenter scientiam actiuam solam dicẽdam esse πρακτικὴν factiuam verò duntaxat ποιητικὴν hallucinantur tamen : namque Aristoteles ipse 2. met. c. 1. textu 3. scientiam practicam adæquatè distinguit contrà speculativam, adeoque omnem scientiam non speculativam hoc ipso practicam censet, cum ergo nec scientia actiua, nec factiua sit speculativa, sanè vtramque practicam reputat : tum etiam quia ibi scientiam practicam nuncupat eam, cuius finis non est veritas, sed opus aliquod : nomine ergo scientiæ practicæ tam actiuam quam factiuã coercet : tum denique, quoniam vtramque ex æquo vocandam esse practicam, & vtriusque terminum praxim docent Gregorius q. 5. prol. art. 1. Vasquez supra c. 5. n. 18. ad initium Suarez citata s. 13. n. 18. & plerique alij scholastici, qui etsi pressissimam illam acceptionẽ notitiæ practicæ pro sola ea quod actionem aliquam respicit amplectantur, idque non immerito, cæterum illam etiam sine vlla impropriete, aut metaphora significare omnem cognitionem operatiuam quomodoliber,& siue actiuam siue factiuam iure optimo arbitrantur. 76

Postremo adnotandum est, scientiam seu notitiam speculativam genere suo perfectiorem esse notitia practica. Ita Plato in Philebo & quinto de republica, & Arist. 6. metaph. cap. 1. de secundo & 12. methaph. c. 7. tex. 39. quos sequuntur Conimbri. in proœm.Physic.q.5. art.4. conc. 1. & Auersa.q.17. s. 2. ad finem. Facilis autem est huius doctrinæ probatio : nam vltima felicitas, ac Beatitudo nostra est perfectissima operatio humana, omnique notitia practica exellentior, vt docet Arist.10.Ethic.c.6.7.8. vt que vel per se patescit : atqui eiusmodi felicitas nostra, cum sit visio Dei, est speculativa cognitio:& par est ratio felicitatis naturalis quam solam assequutus est Arist namque ea etiam Dei est contemplativa cognitio, naturalis quidem, & abstractiua. Rursus speculativa cognitio perfectius obiectum genere suo respicit quam practica,illa enim Deum,Angelum, animamque rationalem, huiusque mundi aspectabilem machinam intuetur, secus vero quæ nobis inesse solet cognitio practica : sed perfectio cognitionis ex obiecto potissimum crescit, atque desumitur. Denique cognitio speculativa est propter se, practica autem propter exequutionem obiecti veluti finem : at præstantius est, quod gratia sui, quam quod alterius ergo expetitur, vt sponte sua constat, & ex Arist.1. etihic. c. 7. colligitur. Enimvero cum hac doctrina cohæret,quod aliquæ speciales notitiæ practicæ aliquas speculativas perfectione superent : si nimirum harum generalis perfectio, vel ex subiecto, vel ex obiecto, vel confusione aliisve titulis decrescat;earum verò perfectio genere suo minor, è contrario crescat ob excellentiam obiecti, vel subiecti, aut ob maiorem claritatem, aliamvè causam. Hoc pacto ens supernaturale genere suo perfectius est naturali : & tamen aliquod ens naturale, Angelus videlicet, aut anima rationalis multa accidentia supernaturalia, iuxta multos,superant.

Caput III.

Diuisio actus intellectus in quidditatiuum, intuitiuum, abstractiuum, & comprehensiuum.

77 COgnitio quidditatiua bifariam sumi potest, ac solet. Primo namque coincidit cum cognitione, qua intellectus quidditatem, ac essentiam rei clarè, ac distincte cognoscit, siuè mediatè, siue immediatè, & siue per species proprias, siuè per alienas eam attingat. Ita cum Scoto communiter eius-assecl æ: item ex nostris Hurtado, Arriaga, & alij. Rursus;secundo:cognitio quidditatiua dici solet illa, qua cognoscimus quidditatem rei immediatè, ac per species proprias, & non alienas. Porrò autem tunc dicitur cognosci res immediatè, non vero mediatè, cùm nec à priori, nec in causa, nec in effectu, alioquè medio dignoscitur : tum vero dicitur res cognosci per species non proprias, sed alienas, cum cognoscitur aut præcisè velut similis alteri, siue ad modum alterius; vt cum Angelum, sicut iuuenem alatum, ob oculos mentis proponimus: aut præcisè provt condistincta ab aliis rebus, & cum earum exclusione, aut negatione : vt cum Deum velut infinitum, incorporeum, & à se concipimus: aut etiam præcisè prout subest actu aliquibus accidentibus à nobis immediatè cognitis; qua ratione substantias materiales in hac vita attingimus;quo fit,

vt ob

vt obiectum per ſpecies alienas nobis repræſentatur, vna etiam, eademque attentione rebus aliis ab eo obiecto diſtinctis ſimul cognoſcendis non poſſimus non inhærere. Hoc poſteriori modo vſurpant cognitionem quidditatiuam Ferrara, Caietanus, & alij. Hinc palam eſt, Thomiſtas, ac Scotiſtas abſque operæ pretio cõtendere, vbi latè diſputant; an intellectus noſter in hac vita quidditatiuè cognoſcat Deum, ac ſubſtantias ſeparatas? tota enim quæſtio de nomine eſt, etſi notitia quidditatiua in primo ſenſu accipiatur, eius affirmatiua pars certa eſt: ſi verò in ſecundo ſenſu ſumatur, negatiua quæſtionis pars proculdubio vera eſt.

78 Cognitio etiam intuitiua varias habet acceptiones: etenim cum de ratione omnis cognitionis intuitiuæ omnium conſenſu ſit, vt obiectum provt exiſtens in aliquâ temporis differentia, necnon clarè, & diſtinctè, ac per ſpecies etiam proprias cognoſcat; aliquando tamen cognitio intuitiua ita vſurpari ſolet, vt præter has conditiones poſtulet inſuper coexiſtere obiecto, quod intuetur: atque in hoc ſenſu neque viſio albedinis abſque eius exiſtentia à Deo per miraculum conſeruata, neque cognitio memoratiua rei in intellectu, & phantaſia eius exiſtentiæ ſuperſtes, quantumuis clara ſit, & per ſpecies proprias procedat, intuitiuæ dicendæ erunt, ſed potiùs abſtractiuæ: aliquando vero cognitio intuitiua propriè ſumpta à coexiſtentia obiecti abſtrahit: qua ratione ſcientia futurorum in Deo intuitiua ab æterno eſt, quamuis ab æterno futuris non coexiſtat: & hac ſignificatione viſio albedinis non exiſtentis, & memoria præteritorum in intellectu, & phantaſia notitiæ intuitiuæ dici ſolent. Nonnunquam etiam iniuitio ita accipitur, vt præter conditiones ſupra inſinuatas, & omnium calculo receptas poſtulet etiam attingere obiectum immediatè in ſeipſo, non vero in aliquo medio prius cognito: & in hoc ſenſu cognitio, qua Deus res independenter à libertate noſtri arbitrij futuras in aliquo decreto ſuo efficaci cognoſcit, intuitiua non erit: interdum vero cognitio intuitiua ſolum excludit medium finitum imperfectum, atque inferioris ordinis: qua ratione omnes fatentur, cognitionem, quâ Aſtrologus cognoſcit eclipſem futuram in ſitu, & diſpoſitione præuia aſtrorum, non eſſe intuitiuam, ſed abſtractiuam: cæterum non excludit medium infinitum, perfectiſſimum, ac ſupremi ordinis: atque in hoc ſenſu Beati in Deo, & hic in ſeipſo plures creaturas intueri dicuntur. Hinc ſedari facilè poſſunt cõtentiones non paucæ ſcholaſticorum: quorum alij, inter quos Arriaga, volunt cognitionem claram, & immediatam exiſtentiæ iam præteritæ eſſe actu intuitiuam: alij vero cum Hurtado diſp. 10. de anima ſect. 2. id negant: quorumque etiam non pauci cum Patre Suarez 1. p. tit. 2. lib. 10. cap. 6. num. 6. viſionem creaturarum in Verbo intuitiuam eſſe volunt: alij vero cum Hurtado id inficiantur.

79 Hactenus de notitia quidditatiua, & intuitiua: quarum explicatione ſuppoſitâ vix ſupereſt aliquid explicandum, ſcituve dignum de notitia abſtractiua: quippe quæ modò contra notitiam quidditatiuam, modò contra intuitiuam diſtinguitur, & per oppoſitas conditiones definitur; atque adeo tot modis accipi debet, quot accipi poſſe cognitionem quidditatiuam, vel etiam intuitiuam ſuperius oſtendimus. Aggrediamur ergo notitiam comprehenſiuam: quam etſi nulli creaturæ reſpectu Dei conuenire poſſe Theologi omnes tueantur, in ea tamen explananda omnes ad modum non conueniunt. Eorum tamen ſententiis prætermiſſis ad cognitionem comprehenſiuam preſsè & ſcholaſticè ſumptam, duas arbitror requiri conditiones: prior eſt, vt cognoſcantur omnia, quæ in obiecto formaliter, aut eminenter continentur: poſterior vero, vt cognitis omnibus, quæ ad obiectum formaliter, & eminenter pertinent, vt talis cognitionis fines, ac termini perfectionis ſubſtantialis eiuſmodi obiecti attingantur, ac percipiantur. Hinc eſt, vt quamuis creatura aliqua diuinitus eleuari poſſit ad cognoſcendum omnia, quæ ſunt formaliter, ac eminenter in Deo: ad comprehenſionem tamen eius euehi nunquam poſſit: videlicet, quia Deus nullos perfectionis ſubſtantialis fines, nulloſque terminos habet, quos intellectus creatus attingat, & cogitatione complectatur, provt ad comprehenſionem oportet. Duas autem illas conditiones ad comprehenſionem intellectualem requiri conſpicuum eſt exemplo comprehenſionis corporeæ, à qua proculdubio nomen comprehenſionis ad actus noſtri intellectus deriuatum eſt: tunc enim vnum corpus globoſum, aliud cauo ſuo comprehendit, cum nihil illius non includit, & omne, quod eſt in ipſo continet: necnon etiam, cum fines, & extrema corporis contenti ambitione ſua complectitur, ſuiſque voluminibus circumſcribit: pari ergo ratione, vt intellectus cognitione ſua rem aliquam comprehendat, opus eſt, vt non ſolum quidquid eſt in ipſo formaliter, & eminenter attingat, ſed etiam vt fines perfectionis eius ſubſtantialis percipiat, concipiatque. Accedit auctoritas Auguſtini epiſt. 112. cap. 8. vbi duas illas conditiones ad comprehenſionem perſpicuè poſtulat.

Porro autem comprehenſio, alia eſt exacta, vulgaris alia: comprehenſio exacta eſt ea, quam ſuperius explicuimus, ad eamque oportet, vt fines rei attingantur, necnon etiam omnes eius effectus tam numero, quam ſpecie diſtincti, ac tam naturales, quàm ſupernaturales. Comprehenſio autem vulgaris non poſtulat, vt, taleſque effectus rei cognoſcere, quin potius ſalua manet, tametſi omnes effectus rei ſolo numero diuerſos, necnon etiam effectus in potentia eius obedientiali contentos minimè aſſequatur: quare ad eam ſatis eſt, vt cognoſcat præcipuos effectus naturales rei inter ſe ſpecie morali, ac notabiliter conſiderabili diuerſos, vt animaduertunt Conimbricenſes libro primo phyſicæ quæſtione prima, capite primo, articulo primo. Vel etiam ſatis eſt cognoſcere omnes effectus naturales ſpecie diuerſos, quos vno conatu res poteſt producere, verbi gratia, quantum calefacere, deſiccare, & vrere poſſit ignis certo tempore, aut quantum ſpatij vno curriculo tranſigere, quantumve ponderis ferre equus poſſit. Hinc eſt, vt ne Angelus quidem creaturam vllam etiam imperfectiſſimam priori modo, ſiue exactè comprehendere poſſit, niſi ſupernaturaliter eleuetur, ob infinitatem nimirum numericam effectuum, quam quæuis creatura continet: cæterum ſeipſum, & alias creaturas inferiores, non vero ſuperiores viribus naturalibus comprehendere valet, ſi de poſteriori comprehenſione, ſcilicet vulgari ſermo ſit. 80

TRACTA

TRACTATVS VI.

De euidentia, & certitudine actuum intellectus.

CAPVT I.

An sit in nobis aliqua euidentia, aut certitudo?

1 TAMETSI de euidentia, ac certitudine actuum intellectus nonnihil obiter attigerimus tractatu præcedenti, at operæpretium est in præsenti eas magis ex professo enucleare. Prima ergo sententia, vel potius amentia est aliquorum, quos refert, ac reprehendit Aristot. lib.1.poster.cap.3. omnia posse naturaliter à nobis demonstrari, omnia certo, & euidenter cognosci. Cæterum nihil fingi potuit stultius. Namque quis non verisimilibus modo coniecturis, sed certis,ac perspicuis rationibus assequatur,cœlum an compositum sit ex materia, & forma, vel potius essentialiter simplex, an concreta glacies, vel purissimus ignis, aut quinta quædam substantia in orbem mobilis, nullique elementorum affinis; an corpus fluidum,vel potius solidissimum,& sicut ære fusum; quot orbibus constet, & quænam singulorum, tum inter se,tum à nobis distantia, cursus item, ac recursus,& in hæc inferiora vis, & influxus, stellæ an sint eiusdem speciei cum suis sphæris, an densi quidam ætheris globi non dissimiles, suo ne, an mutuatitio, & à solaribus radiis emendicato lumine micent; an sint innumerabiles, vti arenæ maris, vel potius mille viginti duo, vt placet Astrologis.

2 Iam quis exactè noscat mensuras telluris,eiusque profunditatem, ac diametrum; aut super quo bases illius solidatæ sunt, quove pacto in aëre pendeat ponderibus librata suis; quæ causa fecerit illam in campos extendi, desidere in valles, & attolli in montes cœlo prope pares,an ita sit initio condita, vel potius sæuientis cataclysmi violentia eas illi tribuerit inæqualitates. Qua item vi maria tumeant, ac detumescant, & postquam fremens fluctus, & ex alto sinu spumans vnda venit, rursum in se redeat,ne cum dispendio possessoris humani alienum occupet elementum, anhelitune suo id mundus efficiat, rettractamque cum spiritu regerat vndam vndique, quippe vt aliqui vanissimè fingunt vnum animal; an sint depressi aliqui specus, quo reciproca maria residant, atque inde se iterum exuberantia attollant, an luna causas tantis meatibus præbeat, vtpote ad cuius ortus,& occasus, ac provt illa surgit,& demergitur ingens, & infinitum pelagus modo inundat campos,modo latè nudat,ac refugit.

3 Rursus vt Iobi cap.38. verbis vtar, quis ingressus est thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexit; per quam viam spargitur lux, ac diuiditur æstus super terram, quid dat vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris, de cuius vtero egressa est glacies,& gelu de cœlo quis genuit? Quis item certa,& euidenti ratione cognoscat,qua virtute magnes ad se ferrum,vel attrahat,vel certè alliciat, pisciculus paruus echeneis appellatus mediis procellis cogat stare nauigia, quod non vlla possunt vincula, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ, scorpiari, & heliotropij flores sequantur solis conuersionem, columbæ ceruis solaribus exposita radiis tot modis colores variet, puniceum, cæruleum, ignem, & carbunculi speciem referentem, pallentem item, rubentemque, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidem memorare sit facile: Chameleon item, Polypus,ac Tarandus, Scytharum,quos Gelonos vocant, animal, locorum,in quibus sunt, colores referant, ætna notissimus Siciliæ mons æternis præbeat incendiis materiam:Pyrites lapis Persicus, ita ab igne dictus tenentis manum, si valde prematur, adurat: alterius etiam Persici lapidis, quem Selenitem vocant, arcanus candor lunam sequatur, & cum ea crescat, ac deficiat: apud Hibernos nostros lacus quidam immersum sibi lignum partim conuertat in plumbum, partim in ferrum: apud Garamantas quidam fons sit tam frigidus interdiu, vt non possit potari, tam feruidus noctibus, vt ne tangi sustineat.

4 Præterea, vt cum Basilio epistola 168. loquar: *Qui se existentium scientiam assecutum esse*, vel certè assequi posse, *gloriatur, exponat nobis, quomodo, quod minimum est eorum, quæ in lucem prodierunt natura habeat, & quæ formicæ sit natura: Dicat, an spiritu, vel anhelitu vita ipsius contineatur, an corpus habeat ossium distinctione concinnatum, ac discretum: Neruisne, ac nodulis coniuncturarum roborata sit: An musculorum, & glandularum complexu neruorum natura vndequaque conseruetur: An è sincipite per dorsuales nodos ad caudam vsque medulla prorogetur: Vtrum ex neruosæ pelliculæ motis membris sit progrediendi facultas. Habeatne hepar, an sub hepate sit flauæ bilis folliculus: Vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata. Nudane sit, vel crinita: An vnius tantum generis, aut multifariis vtatur pedibus: Quandiu viuat: & quæ sit illis propagandæ posteritatis ratio: Quotuplo fœtu dum generat, fœcundetur: Et quomodo, nec pedestres omnes sint formicæ, nec alatæ omnes, sed aliæ humi repant, aliæ verò per aëra volitent. Dicat itaque nobis formicarum naturam, qui eorum, quæ in natura sunt scientiam cum fastu se prædicat assecutum*, vel certè posse, si velit assequi.

5 Sed quid moror in iis, quæ sunt extra nos? Quid, vt cum Augustino libro 10. confession. loquar, propinquius me ipso mihi, & ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur à me:ecce in memoriæ campis, & antris, & cauernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, siue per imagines, sicut omnium corporum, siue per præsentiam, sicut artium, siue per nescio quas notiones,vel notationes, sicut affectionum animi, quas & cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit quidquid est in memoria: per hæc omnia discurro, & volito hac, atque illac, & penetro etiam quantum possum,& finis nusquam: & hoc quis tandem indagabit? quis comprehendet, quomodo sit? Haud magis perspectum est, num radiosorum luminum rapidissimis meatibus, cursuque, & recursu videamus, an rerum species aduolent, & nostris in pupulis sidant: quatenus per concauas rupes, angustasque valles reflectatur sonus, vagisque ludat imaginibus aures: vt cæteri sensus nostri, tum interni, tum etiam externi suas obeant functiones.

6 Vlterius quis futuros euentus, rerumque fines certè, & euidenter præsagiat? *Nunquam expectamus nos*, inquit Seneca lib.4. de benef. cap.33. *Certissimam rerum comprehensionem: quoniam in arduo est veri exploratio: sed ea imus,qua ducit verisimilitudo: Omne hac via procedit officium. Sic seritmus, sic nauigamus, sic militamus, sic vxores ducimus, sic liberos tollimus,*

tollimus, cum omnium incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem, Patri pios liberos? sequimur qua ratio, non quà veritas trahit. Expecta, vt nisi bene cessura non facias, & nisi comperta veritate nihil moueris: relicto omni actu vita consistit.

7 Tandem, vt ad mysteria nostræ fidei accedam, quis lumine naturæ demonstret, certoquè, & euidenter assequatur æternam illam generationem verbi, Spiritus à Patre, & Filio processionem, triumque quantumuis personaliter distinctarum, tamen in eadem natura consubstantialitatem. Quis Verbi, vt rem Theologico Verbo dicam, incarnationem, & infinito distantium interuallo naturarum in eadem persona coniunctionem? Quis in Eucharistiæ Sacramento sine pane panis speciem, sine mero meram eius effigiem, ac tam angustis definitam carceribus comprehensamque mensuris totam Dominici Corporis, & Sanguinis molem? Quis cæterorum Sacramentorum institutionem, ac singulorum vi hominem suprà hominem erectum, & diuinæ naturæ participem factum? Quis denique rationes diuinæ prouidentiæ, & arcana illa, quæ teste Paulo non licet homini loqui? Cæterum, quia vanissimi commenti nullus est probatus, aut notus hodie auctor, nulla ratio, quæ difficultatem faceſſat; non plura, nec istamet ad scholasticum, ac metaphysicum rigorem: nam vt Claudiani Mamerci lib. 3. de animæ statu capite 16. verba vsurpem; *in auras tela iacere, & sine hoste pugnare cassa contentio est, & virium frustratio, quod ita erit inglorioſum, vt laborioſum.*

8 Secunda aliorum sententia est, nullius rei nobis ineſſe scientiam, nullius certitudinem, aut euidentiam. Ita Academici noui, vt Arcesylas, Lacydes, Carneades, & alij. Ita etiam Pirrhonij sic à Pirrhone dicti. Hæc opinio minus intolerabilis est præcedenti, at non planè toleranda. Principio namque, quis nesciat, quis non certo, & euidenter cognoscat semetipsum existere, hominem esse, videre, audire, &c. solem lucere, post eius occasum, tenebras noctemque sequi, quodlibet esse, vel non esse, impossibile esse simul esse, & non esse, omne totum esse maius sua parte, aliaque id genus axiomata.

9 Deinde: si nihil certum nobis, nihil esse potest euidens, irriti sint necesse est decursorum ad hoc æui sapientum omnium conatus, ac labores, superuacanea, ac malè collocata studia: Frustra certè inuestigauerint Thales tempora, Athalas sydera, Zetus pondera, Chrisippus numeros, Euclides mensuras, Orpheus sonos, Hippocrates morbos: Frustra diuiserit Socrates, definierit Plato, argumentorum modos, ac figuras tradiderit Aristoteles; vt alios recentiores taceam. Respondent aduersariorum aliqui, sapientum omnium, vel fuisse, vel certè debuisse esse scopum, non verum certa, & euidenti ratione cognitum, sed verisimile. Cæterum vti Petrum, verbi gratia, esse similem Paulo cognoscere nequimus, nisi quis, qualisque sit Paulus nobis constet, ita verisimile assequi non possumus, quin nobis liqueat, quid sit ipsum verum: at quod in rebus est verisimile consequi valemus, vt largiuntur contrarij, ne certè frustra tum ipsi, tum cæteri omnes litteris operam impenderint: ipsius ergo veri certa, & euidens notitia, ac veluti lux quædam nequit interdum animis nostris non affulgere.

10 Ad hæc aduersarij, vt de eis præter alios refert Aulus Gellius lib. 11. noctium Atticar. cap. 5. nihil decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper, considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum, de quo decerni, constituique possit, ac ne videre quoque planè quicquam, nec audire sese putant, sed ita pati, afficique, quasi videant, vel audiant, eaque ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia, & cuiusmodi sint cunctantur, atque insistunt: omniumque rerum fidem, veritatemque mistis, confusisque signis veri, atque falsi incomprehensibilem videri aiunt. Vnde commentantes dicti sunt, necnon obligantes, & ambigentes. His suppositis, aut intellectus iudicat hic, & nunc, vt aiunt, ita operandum esse, vel non, sed potius, an ita debeamus operari, vel secus, in medio relinquit, nihilque definit? Si secundum; voluntas quodcunque velit, & in quamcunque se inflexerit partem, haud peccabit, cum intellectus, quem sequi debet neutram partem alteri vnquam præferat: si primum; iam ergo haud est assensus in omni re cohibendus, sed in plurimis, videlicet practicis, ac moralibus præstandus.

Insuper aduersarij, aut sciunt se nihil scire, certo- 11
que, & euidenter cognoscere; & in hoc solo nobis cunctandum, & ambigendum non esse censent, vt placet nouis Academicis; & hoc facilè refelli potest: cur enim ignorantiam nostram scire possimus, & non alia obiecta? præsertim cum facilius sit res positiuas, quam negationes comprehendere, nec cæ nisi per illarum species, & imagines soleant innotescere: aut propterea, vt Pirrhonij disputant, ne nos etiam nihil scire, & perspicua, certaque ratione assequi nobis haud constat; atque ita si res habet, quorsum quod nesciunt tantopere asseuerant? quorsum nobis contradicunt, quando haud sciunt, an sit vera nostra sententia, suaque potius falsa?

Caput II.

Quarundam rerum esse in nobis euidentiam, ac certitudinem formalem, & aliarum non esse.

Media ergo sententia inter duas extremas hactenus profligatas, ac longè verior est, non de 12
omnibus rebus, nec etiam de nulla esse in nobis certam, & euidentem notitiam: ast esse de aliquibus, & non esse de aliis. Ita cum Aristotele Peripatetici omnes, tum ethnici, tum etiam Christiani, præsertim vero Augustinus, Damascenus, Thomas, Scotus, & eorum assecłæ, necnon nostri omnes auctores.

Quin etiam in eadem sententia fuisse arbitror non 13
paucos, qui pro sententia sententiam, ac scientiam omnem negante referri solent. Id de Anaxagora, Democrito, Empedocle, & aliis magni nominis philosophis antiquitatis, præsertim vero Pythagora, ac Platone testantur nostri Conimbricenses quæstione proœmiali physicorum superius citata. Atque quod attinet ad Platonem, eum nobiscum facere satis indicant hæc eius verba in Phædone: *Vera ratio est donec corpus habeamus, permixtusque sit tali malo noster animus, nunquam nos id, quod iam olim concupiscimus satis plene consequuturos: concupiscimus autem veri scientiam.* Pende particulam illam *satis plenè*, quasi non omnino, aut omnium, sed plurimarum rerum nobis in hac vita neget scientiam. Philo item Iudæus, quem communiter nobis obiiciunt aduersarij, & etiam non aduersantes sic ait in libro de somniis: *Mihi videtur hic puteus* (scilicet iuramenti, à quo digressum scriptura refert Iacobum) *significare scientiam, quæ suaptè natura in profundo sita est, non*

non in superficie, nec in propatulo solet esse, sed in abdito: nec facilè, sed vix multo labore inuenitur. Vbi certè scientiam nobis difficilem, non tamen impossibilem adstruit. Denique, vt alios taceam, Lactantius nobis opponi solitus sic habet lib. 3. instit. capite 3. *Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore humano diuina solertia, vt per eos aditus scientia perueniret ad mentem.* Vbi scientiam, non negat, sed liquida ratione concedit, tametsi eam, quæ nonnisi per angustos sensuum canales influat in mentem, adeoque necessario debeat esse non parum imperfecta.

14 Non me latet, auctores hactenus in transcursu explicatos crudioribus aliquando verbis vti, & præcisè asserere, nihil omnino sciri à nobis huius vitæ ergastulo clausis, ac veluti terra, & caligine mersis. Cæterũ hoc tantum me iudice volunt, nihil esse, quod scimus præ his, quæ ignoramus: vnde particula, *nihil*, apud eos accipienda est, non absolutè, sed comparatiuè, non metaphysicè, & rigorosè, sed moraliter, vt aiunt. Et quidem meritò ita de omni scientia nostra censent. *Corpus enim*, vt cum Platone vbi suprà loquar, *nobis primum innumerabiles, & infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob necessarium victum, & alimenta quotidiana. Deinceps, si qui morbi ingruere, impedimento sunt, quominus inquiramus. Et sic inuenire veritatem non possumus: Nam cupiditatibus, & cupidinibus, & timoribus innumerabilibus variarum rerum, appetitionumque visionibus, & infinita quadam dementia corpus oneratur, vt præ illo, nec sapere quidem vlla in re possimus: Et si quando tempus aliquod ad philosophandum vacuum, vel habuerimus, vel fecerimus, tunc quoque in ipsis cogitationibus nostris corpus intercurrit turbam errorum inferens menti, vt obcæcante illo veritatem peruidere non possimus.* Idem, qua solet, elegantia explicat Claudianus Mammercus lib. 1. de statu animæ cap. 22. *Liquido claret, secundum illam vitam, quæ nobiscum pecudibus est communis, animam exosò, atque arido, quam pasto, ac succulento corpore magis onerari. Quod eo fit, quia fessum corpus non ita valet animi nutibus facili motu seruire, & onerosa illi est, non ponderis grauitas, sed agendi difficultas. Ac perinde si belluinam vitam (quam nobis istic inesse manifestum est) cogitamus, corpus istud non aggrauat animam. Si vero illam, quæ cum Angelis erit adspicimus, aggrauat animam occupando eam, atque illiciendo, vel necessariis, vel voluptuosis defigendo eandem in pulchra corpora, & à contemplatione summæ pulchritudinis abducendo. Isto ergo, quod, vel esui, aut potui necessario in salutem corporis opus impenditur, vel superfluè voluptatum nugis animus occupatur, vel plagis, ac doloribus per corpus affligitur, aggrauari eandem, & pro multitudine ac difficultate actionis onerari, perspicuum est.*

15 Porrò super auctoritatem tot Doctorum nulla melior probatio opinionis titulo capitis huius præfixæ, quam extremarum improbatio cap. præcedenti tradita. Quando namque ibi demonstratum manet, nec omnia à nobis sciri, nec omnia ignorari, id certè supereſt, vt aliqua sciamus, & multa nesciamus. Pro sententia rerum omnium scientiam, siue certam, & euidentem, notitiam nobis affingente, nulla sunt, vt diximus, argumenta, quibus satisfieri oporteat. Pro ea verò, quæ nullius rei nobis largitur certitudinem, & euidentiam, auctores illius obiiciunt primò.

16 Quod est certum, & euidens à nullo negari potest intellectu: haud secus, ac lux solaris apertis oculis à nemine potest non cerni. Atqui nulla res est, quæ non possit à nobis negari: nulla ergo est nobis certa, & euidens. Maior, & consecutio sunt perspicuæ. Minor suadetur: nam quid minus videtur negari posse, quam niuem esse albam: aſt eam negauit esse talem, potiusque nigram affirmauit Anaxagoras apud Ciceronem libro 2. Academ. quæst. edition. 1. & Lactantium lib. 5. diuinar. institutionum capite 3. Quid item minus negari potest, quam idem haud posse simul esse, & non esse? sed hoc inficiati sunt aliqui, & quidpiam simul esse, & non esse posse censuerunt, vt refert Aristoteles 4. metaphys. text. 9. Quid deinde minus cadere potest sub negationem, quam subiectam nobis tellurem esse immobilem: at eam non stare, sed continuò moueri docuere apud Ciceronem in Lucullo Nicetas Syracusius, necnon, vt refert noster Mendoza in viridario, alij Pythagorici: item recentiores nonnulli, videlicet Copernicus, Cælius, Calcanignus, Stunica, & Gilbertus. Quid denique euidentius, quam mortuorum corpora non viuere, nec sentire? At Muretus libro 10. variar. lect. cap. 19. refert Democritum eis affinxisse sensum: nec eum solum, sed communiter veteres omnes gentiles in eo fuisse errore putat: non enim, ait, solidas glebas, sed vt colligitur ex Horatio lib. 1. od. 28. tritum, ac minutum puluerem iniiciebant mortuis, ne scilicet pressu aliquem eis dolorem adferrent: eademque, inquit, de causa leuem, ac mollem eis terram optare soliti erant.

Obiiciunt secundò. Omnis certitudo, & euiden- 17
tia nostra prouenit à sensibus, nihilque nisi dependenter ab illis cognoscimus, assequimurve: quando igitur fieri nequit, vt riuus assurgat suprà caput, fontemque suum, haud esse potest in intellectu nostro maior euidentia, & certitudo, quam in sensibus: iudicium autem nostrorum sensuum semper est incertum, & ineuidens: nam si nunquam non debent certo, & euidenter iudicare, maximè, quia res non absentes, sed præsentes, non in aliis, sed in se, non abstractiuè, vt aiunt, sed intuitiuè percipiunt: at contingit haud raro, eos ita cognoscere, & tamen falli, quod plus est, quam ineuidenter, & incerto dignoscere: siquidem, vt aiunt Academici apud Tertullianum de anima, capite 17. *Mendacium visui obiicitur, qui remos in aqua inflexos, vel infractos adseuerat aduersus conscientiam integritatis, qui turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, qui æqualissimam porticum angustiorem in vltimo infamet, qui cœlum tanta sublimitate suspensum mari iungat. Perinde auditus fallaciæ reus: vt cum cœleste murmur putamus, & plaustrum est, vel tonitru meditante pro certo, de plaustro credimus sonitum. Sic & odoratus, & gustus arguuntur, siquidem eadem vnguenta, eademque vina posteriore quoque vsu depreciantur. Sic & tactus reprehenditur, siquidem eadem pauimenta manibus asperiora, pedibus læuiora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentissimus primò, dehinc temperatissimus renunciatur.* Eodem faciunt Philonis verba in lib. de temulentia: *Quinis corporis, animæque motus, siue iuxta naturam, siue contra factus causa est, vt quæ apparent mutari videantur in consistentibus somniis simillima: Nec minima causa imaginationum inconstantiæ sita est in consideratione in distantiis, in locis, quibus continentur singula: An non videmus in mari pisces extentis natantes pinnulis semper maiore specie, quam re vera sunt? itidem remos, vel rectissimos, fractos in aqua videri contingit. Hæc longè falsissimas imagines obiicientia solent mentem decipere. Interdum enim, cum sint exanimata, putantur viuere, & è diuerso, quæ viuunt esse mortua: item quæ stant, moueri: quæ mouentur,*

mouentur, stare: quæ accedunt, recedere: quæ recedunt accedere: breuia videntur, quæ prælonga sunt: quæ angulos habent, diceres teretia, aliaque innumera fallunt aspectum, quibus nemo prudens tanquam certis subscriberet.

18 At maioris claritatis, & confirmationis gratia quæres, vnde nobis constet, rem certo, & euidenter se habere vti affirmatur? an, quia intellectus ex se id iudicat: & hoc falsum est cum intellectus ex se nihil possit iudicare, aut cognoscere, nil, nisi dependenter à sensibus: an, quia sensus aliquis sic renunciat? & hoc friuolum est; cum enim sensus nostri sæpissimè fallantur, eorum iudicium haud potest in nobis esse sufficiens causa certitudinis, & euidentiæ.

19 Obiiciunt tertiò Heraclitus, & Cratylus confutatæ à nobis sententiæ sectatores, non minus quam Pyrrhonij, & Academici noui. Omnes res fluminis more labuntur, & prætereunt, nihilque in eis est fixum, aut stabile: nullius ergo rei potest inesse nobis scientia, siue euidentia, ac certitudo: nisi vero, quod statim disparet, id comprehendere, ac certa, & euidenti ratione possimus assequi: quo tamen quid inuetisimilius? Quod autem magis mireris, hac eadem ratione ductus videtur sustulisse sensibilium saltem scientiam Augustin. tom. 4. in lib. 83. quæstionum quæst. 9. *Omne*, inquiens, *quod corporeus sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sine vlla intermissione temporis commutatur, velut cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in iuuentute efflorescit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest: illud enim percipitur, quod scientia comprehenditur: comprehendi autem non potest, quod sine intermissione mutatur.* Hactenus ille.

20 Ad primum argumentũ horum, quæ sunt obiecta, respondeo id, quod certum est, & euidẽs, ab aliquibus tamen posse negari. Primò enim, vt probationem contrariam in cõtrarios retorqueã, lux quãtumuis luceat, & euidens sit, potest aliquos latere, ab hisque non videri: aut quia procul positi sunt; aut si coram adsunt, quia oculis sunt cæcutientibus, maléque dispositis: Quidni ergo veritas aliqua, vtvt certa & euidẽs, à quibusdam tamẽ non cõprehendatur, sed potiùs negetur? ob aliquam scilicet indispositionem potentiæ intellectiuæ, qua præditi sunt, & quia oculis, sin minus externis, & corporeis, at saltem interioribus cæcutiunt? Secundò: potest aliquid esse practicè probabile, licet vnius duntaxat Doctoris iudicio & assensu nitatur, & non tantum ab aliquibus, sed à reliquis omnibus auctoribus negetur; quia nimirum ratio, qua nititur vnus, potest eius esse efficacitatis, & ponderis, vt auctoritatem cæterorum, quantumuis numerosam vincere possit. Ita Azor. part. 1. lib. 2. cap. 13. Baldellus in Theologia morali l. 4. disp. 11. n. 5 pluresque Theologi & Iuristæ: & colligitur ex l. vnica, C. de vet. iur. enucl. Quemadmodum ergo probabilitati alicuius rei, de qua dubitatur an fieri possit, neutiquam obstat, quod ab omnibus excepto vno fieri posse negetur, cur certitudini, & euidentiæ alicuius veritatis obesse possit, quod ab aliquibus negetur. Atque hinc patet ad quatuor exempla contraria in communi. Quo tamen minorem faciant difficultatem, libet ea singulatim euertere.

21 Quod ad primum eorum attinet; etsi de aliarum rerum euidentia dubitari fortasse posset, at non de albitudine niuis. Fatemur Anaxagoram niuem negasse albam: negauit tamen, quia ciebat, aut potius scire sibi videbatur aquam, vnde illa concreta esset, nigram esse: hac autem coniectura quid ineptius, magisve ridiculum? In primis enim aqua non nigra, sed cærulea vtplurimum est: hinc mare vocatur cæruleum, seu potius cærula substantiuè vt patet ex Virgilio 3. Æneid.

Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

Deinde etsi Poetarum aliqui existimarint fore, vt aqua homini nigra appareret, si profundior esset, atque copiosior, vt refert Manutius in Ciceronem vbi suprà; imò etsi nigrorem non apparentem, & euanidum, sed potius natiuum, insitumque haberet, idque absolutè, & non ex aliqua hypothesi, siue conditione; cæterum inde conici non posset, niuem esse nigram. Neque enim effectus debet esse magis concolor causæ suæ, quam consubstantialis: at multi effectus causis suis substantialiter, siue quoad naturam atque essentiam sunt dissimiles. Melior fortasse coniectura pro Anaxagoræ errore afferri posset, nempe hæc: videmus corpora nigra, si valdè læuia, & polita sint, splendorem quendam ac lucem extima sui superficie contrahere: quidni ergo talis esse possit natura, & dispositio niuis, vt quantumuis nigra sit, lucis tamen cuiusdã candorem vndique concipiat, adeoque alba appareat? Verũ aliud est corpora læuia, atque polita lucis irradiatione splẽdere, aliud ea albescere: illud prius sæpè quidem euenit, posterius vero nunquam, vt experiẽtia compertũ est: haud ergo possũt efficere lux læuorq; niuis, vt hæc si nigra sit, appareat tamen alba: talis ergo cũ appareat, haudquaquã est reapse nigra. 22

Quod spectat ad secundum exemplum contrarium; probabile est, quod ait Arist. lib. 4. met. cap. 4. text. 28. qui asserebant, idem simul esse & non esse, non tam reipsa, quam solis verbis id asseruisse. Nam, inquit, ita philosophantes puteum, aut præcipitium proximum aliquando declinabant: ergo quia non similiter existimabant, bonum, & non bonum cadere, sed potius esse destinatè bonum non cadere. Quod vero pertinet ad tertium exemplum aduersariorũ, his temporibus leue admodu censeri debet, cum in Cõgregatione quadam Cardinalium deputata ad indicẽ librorũ sub Paulo 5. damnata sit eorum opinio, qui adstruunt terram moueri cælosque, & sydera stare. Verba Congregationis sunt hæc: *Et quia ad notitiã præfatæ S. Congregationis peruenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam scripturæque diuinæ omninò aduersantem de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de reuolutionibus orbium cœlestium, & Didacus Astunica in Iob docent, iam diuulgari & à multis recipi, sicut videre est ex quadam epistola impressa cuiusdam P. Carmelitæ* (videlicet Pauli Toscarini) *in qua dictus Pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ esse consonam veritati, & non aduersari S. Scripturæ: ideo ne vlterius huiusmodi opinio in perniciem catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de reuoluit. orb. & Didacum Astunica in Iob, suspendendos esse, donec corrigantur, librum vero Pauli Toscarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes, prohibendos, prout præsenti decreto omnes respectiuè prohibet, damnat, atque suspendit.* Quæ propter Bartholom. Amic. tract. 5. de cœlo q. 6. dub. 2. art. 2. docet eam opinionem non posse defendi. Contraria ergo statuens, tellurem esse immobilem est omnino certa. At certè talem eam esse, planéque euidentem constat ex dictis à nobis in Physica lib. 8. tract. 2. cap. 1. vbi quas posuimus rationes, si assequerentur Pythagorici, alique tum antiqui, tum recentiores suprà citati, nullam terræ vertiginem, motumque adstruerent. 23

Quartum denique exemplum superius obiectum nil fauet contrariæ sententiæ, nil officit nostræ. Veteres enim illi Gentiles non, vt eis affingit Muretus, 24

defunctorum cadauera, sed cum illis clausas vmbras suas, ac tenues quasdam sine corpore vitas sentire, ac superimposita mole premi, & fatigari superstitiosè putabant. Multa de his vmbris sensu ac motu præditis Virgilius, multa alij teste nostro Cerda in 6. Æneid. celebre illud Ouidij.

Bis duo sunt homini: manes, caro, spiritus, vmbra:
Quatuor ista loci bis duo suscipiunt.
Terra tegit carnem: tumulum circumuolat vmbra,
Orcus habet manes: spiritus astra petit.

Vbi, quod ait vmbras iuxta sepulchra circumuolitare, neque eis claudi, haud ita intelligendum est, quasi id semper accidere putaret, sed quod interdum. Hinc ergo ritus ille tumulandorum corporum glebis, non solidis, & integris, sed in puluerem comminutis: hinc eæ formulæ; *sit tibi terra leuis*; *molliter ossa cubent*; aliæque similes.

25 Ad secundum argumentum aduersariorum respondeo, in primis sensus nostros nullatenus errare posse circa sensibilia propria, penes eorum genericas saltem, & vniuersales rationes, v.g. visum, haud esse erroti obnoxium circa colorem, aut auditū circa sonum, aut gustum circa saporem, &c. ergo circa huiusmodi obiecta poterit intellectus noster nō falli, eaq; potius certo & euidenter cognoscere, vtvt illorum notitiam à sensibus hauriat. Insuper secundò: quod dici solet, sensus nostros decipi circa sensibilia cōmunia cuiusmodi sunt distantiæ rerum, & indistantiæ, magnitudines, & paruitates, motus, ac stationes, &c. necnon circa sensibilia propria non vniuersalissime, sed potiùs in particulari sumpta, vt v. g. cum oculorum sensus quod est album, vt viride repræsentat, & lingua cibum dulcem vt amarum, errabunda scilicet applicatione qualitatis illius, quę est in medio, vel organo, ad alienū subiectum; hoc inquam accipiendum est, non quasi sensus nostri decipiantur formaliter, ac propriè; ita enim decipi nulla facultas potest, nisi iudicatiua, siue pollens vi affirmandi, & negandi; sed ita, vt eorū deceptio, & error sit virtualis, eo nimirū, quod propter imperfectionē functionū suarū, interuenientiūq; pluriū causarū præbeat intellectui nostro occasionē errandi, vt optimè nostri Conimb. lib. 2. de anim. c. 6. q. 6. art. 2. parum ab initio: Quandoquidem ergo sensus materiales adeo imperfecti suaptè natura formaliter errare nequeunt, quidni intellectui nostro id perfectionis tribui debeat, vt circa aliqua obiecta falli nequeat, eaque potiùs certò, & euidenter cognoscat?

26 Vlterius tertiò: quamuis sensus nostri intellectum aliquoties falli efficiant, adeoque ipsi fallantur quodammodo, at certè non mentiuntur: semper enim habent causas, ob quas ita repræsentent obiectum intellectui, vt hic circa illud decipiatur: quo pacto si Petrus, v.g. fallatur, ac Paulum etiam in falsam inducat æstimationem, & opinionem ob causam rationabilem, & putans se verum renuntiare, haudquaquam censendus est mentiri. Ita Augustinus lib. de vera Religione c. 33. sic inquiens: *Quod si non solum ipsi* (scilicet oculi) *sed omnes corporis sensus ita renuntiant, vt afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro. Tolle itaque vanitates, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde auferetur integrari, non malum habet internuncium, sed malus est index. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentiri, nec aliter debuit: si enim aliud est aër, aliud aqua, iustum est, vt aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est, vt tãtum videat: sed animus peruersè iudicat.* Ita quoque ex Augustino Anselmus Dial. de veritat. c. 6. ibi: *Non mihi videtur veritas, vel falsitas in sensibus esse, sed in opinione, ipse namque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior.* Et infrà: *Cum fustis integer, cuius pars est intra aquam, & pars extra putatur fractus, aut cum putamus, quod visus noster vultus nostros inueniat in speculo, & cum multo alia nobis aliter videntur, visus, & alij sensus nunciare, quam possint, non culpa sensuum est, qui renuntiant, quod possunt, quoniam ita posse acceperunt; sed indicio animæ imputandum est, quod non bene discernit, quid possint illi, aut quid debeant.* Ita etiam Tert. in l. de anim. suprà citato ibi: *Vt in aqua remus inflexus, vel infractus appareat, aqua in causa est: denique extra aquam integer visui remus: teneritas autem substantiæ illius, qua speculum ex lumine efficitur provt ista, seu mota est ita, & imaginem vibrans euertit lineam recti. Item vt turris habitus eludat, internalli conditio compellit in aperto, æqualitas enim circumfusi aeris pari luce vestiens angulos obliterat lineas. Sic & vniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in concluso stipata, illic tenuatur, quo & extenditur. Sic & cœlum mari vnitur, vbi visio absumitur, quæ quandiu viget, tamdiu diuidit. Auditum vero quid aliud decipiet, quam sonorum similitudo? Etsi postea minus spirat vnguentum, & minus sapit vinum, & minus lacus feruet, in omnibus ferè prima vis tota est. Cæterum de scabro, ac læui merito manus, ac pedes, tenera scilicet, & callosa membra dissentiunt. Igitur hoc modo nulla sensuum frustratio causa carebit.*

Tum sic ergo argumentor. Nunquam falluntur, 27
nunquam etiam fallunt sensus, nisi veras quasdam ob causas: has ergo cum possit, soleatque detegere intellectus, erroremque sensuum corrigere, vt cum Astrologi Solem, v.g. contra quam oculi renunciant multo maiorem esse tota telluris mole demonstrant; quid est, quapropter sensuum deceptio semper præiudicet intellectui, semperque prohibeat, quominus plura euidenti, ac certa ratione assequatur? Tandem cognitio intellectus nostri haudquaquam pendet à sensibili velut à principali causa, sed tanquam à minus nobili, ac mera conditione sine qua non; quatenus videlicet sensus nostri mediis speciebus, quas excitant in intellectu, ei proponunt, ac simpliciter applicāt obiecta, quæ altiori modo, ac per iudicium, & discursum cognoscat. Quocirca causa præcipua ob quam intellectus certò, & euidenter iudicat, v.g. quodlibet esse, vel non esse; repugnare, vt idem simul sit, & non sit, omne totum esse maius sua parte, &c. atque ex his, & aliis id genus principiis innumeras colligit conclusiones, est naturale lumen ei diuinitus inditum, & quasi impressum iuxta illud Regij vatis Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Quid mirum ergo, si cognitio intellectualis nostra possit esse perfectior, magisque certa, & euidens, quam sensitiua, esto ab ea quodāmodo proficiscatur? haud secus, ac forma substantialis ignis, v.g. perfectione superat applicationem localem, mediante qua velut conditione est in ligno producta. Ex his facilè est in forma, vt aiunt, ad secundum illud argumentum contrarium respondere.

Ad tertium cum Conimbricensibus in proœmio 28
Physic. q. 2. art. 2. ad finem, & Auersa q. 26. Log. sect. 1. respondeo: quod res omnes sint instabiles, & quamprimum existunt, statim dispereant, haud obstare posse, quominùs momento saltem sciantur, quamuis non diu, & permanenter. Rursus secundò: plures res sunt omnino stabiles, & interitui minimè obnoxiæ, vt cœli, animæ rationales, Angeli, & Deus Optimus Maximus: harum ergo rerum quidni sit scientia, certaque, & euidens cognitio? Tertiò: corpora sub lunæ cauo contenta, eorumque attributa haud sunt adeò fluxa, quin aliquo tempore, eoque sæpè non exiguo durent: quidni ergo paris saltem durationis scientiam mereantur? Tandem: res, tametsi quoad existētias suas

instabiles

inſtabiles ſint, ac multis viciſſitudinibus ſubiectæ; at nequaquam penes earum prædicata eſſentialia: hæc ſiquidem ſunt æterna, & immutabilia: ſemperque, & neceſſario verum eſt, hominem v. g. eſſe animal rationale, leonem animal rugibile, &c. De rebus ergo, vt minimum eſſentialiter ſumptis, poterit eſſe ſcientia. Et quidem haud alia eas ratione ſub ſcientiam cadere contendimus.

29 Quod ad Auguſtinum attinet, hoc ſolum contendit loco illo nobis obiecto, iuxta B. Thomam, Conimbricenſes, & alios communiter, haud poſſe à nobis ſciri, ac ſtabiliter comprehendi res iſtas corporeas per ſolos ſenſus, ſed potiùs earum ſcientiam, & comprehenſionem eſſe propriam intellectus miniſterio ſenſuum vt entis. Nimirum tranſeunt eiuſmodi res, & continuò deficiunt, & cum eis ſenſuum actus, quibus illas videmus, audimus, &c. at non tranſit, nec deficit in nobis earum ſcientia: hæc ergo haud eſt ſenſibus, ſed intellectui tribuenda. Quare poſt obiecta nobis verba, ſtatim addit Auguſtinus: *Non eſt igitur expectanda ſinceritas veritatis à ſenſibus corporis.*

Caput III.

An omnis euidentia, ac certitudo noſtra formalis ſit mera reminiſcentia oblitorum.

30 PRima opinio eſt, animabus noſtris olim inditos fuiſſe ſcientiarum omnium habitus: at in hac vita, & veluti carcere, & exilio eas rerum, quas antea ſciebant, obliuiſci; nimirum quia

Virgil. Æneid. lib. 6.

noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Quapropter noſtrum diſcere haud eſſe vllius à nobis euidentiæ, vel certitudinis habitum denuò comparari, ſed duntaxat oblitorum reminiſci, & priſtinam illam lucem mortalitatis noſtræ nebulis vndique circumfuſam, ac pene extinctam, miniſterio ſenſuum, ac phantaſmatum inualeſcere, ſuique recuperare vſuram, & copiam. Ita Plato libro 10. de republica, & in Menone, Phædro, aliiſque locis, atque cum eo Iamblicus, Priſcianus, Alcinous, Porphyrius, Macrobius, Lydius, Cicero, Simplicius, Plotinus, & alij ſequaces: Item Pythagoras, vt de eo refert Auguſtinus libro decimoſecundo, de Trinitate, capite decimoquinto.

31 Primum argumentum Platonis pro ſua ſententia eſt, animas noſtras ante corpora extitiſſe, ac poſtquam in comparibus ſtellis eas Deus conſtituiſſet, deindeque cœleſtium rerum faſtidium, ac terrenarum amor illas cepiſſet, vt tanti criminis pœnas darent, corporibus veluti quibuſdam ergaſtulis fuiſſe incluſas. Atqui minimè decuit, vt in priſtino illo ſtatu animæ noſtræ ſcientiarum omnium luce carerent, atque in tenebris plus, quam Phariis, ac Cimmeriis iacerent: omnium ergo ſcientiarum habitibus præditæ fuere ab initio. Quoties ergo nunc aliquid diſcendo euidenter, ac certo cognoſcimus, ea cognitio haud parit nouum aliquem habitum, ſed potiùs recordando prouenit à priſtino quodam, ope phantaſmatum excitato, cum antea eſſet veluti ſemi ſopitus.

32 Secundum Platonis argumentum ſic habet. Si interrogetur puellus quidam ordinatè, & gradatim de rebus quibuſdam Geometricis, v. g. aut alterius cuiuſuis facultatis ſibi inauditæ, experientia conſtabit, eum ad omnes rectè reſponſurum: earum igitur notitiam habitualem, aut virtualem ante habuit, quamuis multa caligine obrutam, nec aliud per interrogationes ſibi factas, impreſſaque ſibi phantaſmata, quam illam accendit, ac reminiſcendo excitat: quidni ergo idem vſueniat, quando, non tam interrogamur, quam docemur? Tertium eiuſmodi placiti argumentum eſt tale. Quod diſcimus, aut antea id noueramus, aut ſecus? Si ſecundum, quo pacto inueſtigare poſſumus, ac diſciplinæ labore inquirere, quod prorſus neſcimus? qua ratione ſine ſcopo vllo nobis propoſito collimare? Si primum, nullius certè notitiæ habitum denuo comparamus, ſed potiùs noſtrum diſcere haud aliud eſt, quam recordari.

Quartum eiuſmodi opinionis argumentum eſt 33
hùiuſmodi. Certitudo, & euidentia formalis, quibus diſcendo haud dubiè fruimur, aut prouenium per quandam recordationem ab habitibus ſcientiarum nobis meliore noſtri parte coæuis, ac multo ante diſciplinam omnem exiſtentibus; aut potius originem habent à ſenſibus, & poſtquam ab his ſunt ortæ, ſcientias habituales denuo nobis ingenerant. Secundum dici non poteſt, cum ſenſus noſtri ludificentur paſſim, noſque in errorem, & falſam æſtimationem ſæpiſſimè inducant: Admittendum igitur eſt illud prius, quod erat intentum, Quintò denique pro Platonico dogmate aliqui ſic arguunt. Quando magiſter erudit diſcipulum, aut hic ſignorum, quæ ſibi proponuntur vim antea tenet, aut eam ignorat. Si ſecundum; quî eis doceri, vel inſtrui poteſt magis, quam ſi homini latino proferantur Græca verba. Si primum; ergo diſcipulus ſcientias, quas docetur, antea callebat, cum illæ ſint ſubiectæ verbis ad ſe datis, & horum ſignificationem ſine magiſtro prius perſpectam, & cognitam habeat. Haud ergo diſcere noſtrum eſt ſcientiarum habitus denuo comparare, ſed earum memoriam vocibus ad nos deſtinatis, aliove pacto refricare.

Secunda tamen ſententia priori hactenus propoſitæ oppoſita, quam cum Ariſtotele 1. poſteriorum cap. 1. & 1. metaphyſ. cap. vltimo tuentur Peripatetici omnes, & cum B. Thoma 1. part. quæſt. 84. artic. 3. & quæſt. 117. artic. 1. cæteri Theologi, eſt non ſolum veriſimilior, ſed planè certa. Suadetur autem primò: quia quod ſtatuit contraria, animas noſtras ante corpora extitiſſe, damnatum eſt in Concilio Bracharenſi primò cap. 6. necnon à leone primo in epiſt. ad Toribium Theophilo Alexand. lib. 1. Paſchali. Epiphanio in ep. ad Ioannem Ieroſolymitanum Auguſt. ep. 28. ad Hieron. Cyrillo Alexand. lib. 1. in Ioan. c. 9. Hieronymo in ep. ad Pammachium contra Ioannem Ieroſolymitanum. Iam quod fingit diuerſa opinio, animas noſtras in ſcelerum ſuorum vindictâ coniectas eſſe in corpora tanquam in carcerem, repugnat, tum adductis Patribus, tum etiam doctrinæ Pauli, qui incipit ad Romanos cap. 5. definit, per vnum hominem peccatum introiſſe in mundum, & cap. 6. Iacob, & Eſau prius, quam nati eſſent, nihil mali, aut boni egiſſe. Hæc cum ita ſint, ruit planè potiſſimum contrariæ ſententiæ fundamentum, adeoque noſtra citra dubium eſt amplectenda. 34

Quæ probatur ſecundò alterum diuerſæ ſententiæ euertendo fundamentum, cuiuſmodi eſt, animas noſtras ſcientiarum omnium obliuiſci, quam primum demittuntur in hæc terreni corporis vincla. Nam in primis quando, vt refert Tertullianus c. 22. de anima eam eſſe innatam, & æternam cenſuit Plato, quî fieri poteſt, vt ſit obliuionis capax? an non ridiculum eſt, eam id genus ſortiri perfectionem, quæ vel ſola ſufficiens eſt diuinitatis argumentum iuxta omnes 35

rectè philosophantes, & tamen tantæ subesse imperfectioni, quanta est carere memoria, quam & ipse Plato sensuum, & intellectuum salutem, & Cicero thesaurum studiorum omnium deprædicant?

36 Rursus haud sunt minus naturales, de aduersariorum sententia, animæ nostræ scientiarum habitus, quam ei postquam est corpori vnita, videre, audire, comedere, bibere, &c. at horum obliuisci non potest: ergo nec scientiarum: nisi vero intelligibilium, quæ scimus, deterior sit conditio, quam sensualium. Rectè Tertullianus, vbi paulò suprà: *Nemo ergo concedet, naturalem scientiam naturalium excidere artium: excidet studiorum, excidet doctrinarum, disciplinarum excident fortasse, & ingeniorum, & affectuum, quæ naturæ videntur, non tamen sunt, quia vt præmisimus, & pro locis, & pro institutionibus, & pro corpulentiis, ac valetudinibus, & pro potestatibus dominatricibus, & pro libertatibus arbitrij ex accidentibus constant. Naturalium vero scientia, ne in bestiis quidem deficit. Planè obliuiscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione præuentus, & cum toto suggestu inbarum delicium fiet Berenices alicuius Reginæ, lingua genas eius emaculans: Mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit: Non obliuiscetur idem naturalium pabulorum, naturalium remediorum, naturalium terrorum; & si de piscibus, & si de placentis Regina ei obtulerit, carnem desiderabit, & si languenti theriacam composuerit, simiam leo requiret, & si nullum ei venabulum obfirmabit, gallum tamen formidabit. Perinde & homini omnium forsitan obliuiosissimo in obliterata perseuerabit sola scientia naturalium, vt sola scilicet naturalis, memor semper manducandi in esurie, & bibendi in siti: & oculis videndum, & auribus audiendum, & naribus odorandum, & ore gustandum, & manu contrectandum. Hi sunt certè sensus, quos philosophia depreciat intellectualium prælatione. Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, quæ potior habetur intercidit?*

37 Vlterius: si animæ nostræ absolutè sunt connaturales, ac debiti scientiarum omnium habitus, certè eorum vsu spoliari, aut contraria eis obliuione mulctari non poterit coniuncta corpori: hoc etenim est naturalis animæ perfectio, eiusque veluti centrum, & proprium domicilium, ac proinde haud magis impediet eam à suis functionibus obeundis, habituumque suorum vsura, quam centrum aquæ, verbi gratia, prohibet illam, quominus ibi se, vel alia subiecta sibi præsentia frigefaciat. Quin etiam, tametsi, quod fingunt Platonici, societas corporis non esset animæ naturalis, nihilominus ei neutiquam esse posset obliuionis causa, & quasi letheum poculum: Mali namque Dæmones contra naturæ suæ, tum dignitatem, tum etiam exigentiam tartareas coguntur habitare sedes, ibique supplicia perpeti dirissima, & quanta nemo possit assequi cogitando: & tamen non propterea cognatas, pristinasque scientias, & artes obliuiscuntur, earumve prohibentur vsu, vt nostro malo satis experimur: similiter ergo in præsenti, &c.

38 Insuper quoniam anima nostra futura est superstes corpori huius contagio non tollit, quominus ea cogitationem, & curam suscipiat posteritatis, valdeque sollicita sit de iis, quæ sibi sunt post mortem euentura. Ergo si extitit multò ante corpus huius coniunctio, non poterit efficere, quominus memor sit rerum præteritarum, eiusque felicissimi status, quo ante hoc exilium quondam potiebatur. Et quidem, esto, largiamur, corpus hoc fæculentum, ac terreum ita eam aggrauare, vt obliuiscatur rerum omnium, quas antea sciebat; at incredibile est, illud obliuionem parere tantam in anima nostra, vt ne se habuisse scientias recordetur. Multoties contingit, eorum, quæ didicimus in hac vita, memoriam nos amittere: at vix vsuuenit, vt ipsum didicisse, & sciuisse nobis excidat: similiter ergo dicendum est de habitibus illis scientiarum, quos sine vlla disciplina nobis iam olim congenitos aduersarij confingunt.

Postæc: si corporis commercium nullius non rei 39
memoriam in nobis delet, tantamque ab eo plagam accipimus, profectò pari iure, ac fortasse potiori longinquitas temporis erit animæ nostræ obliuiorum causa: cur nam ergo confingitur illa à Platonicis rerum omnium obliuisci, quam primum demittitur in corpus, & non potius anteaquam esset incorporata, quippe quæ tum etiam multas exegit ætates, atque haud paucas sæculorum myriadas? cur item pueri à teneris vnguiculis, & ne sexennes, vel quinquennes scientiarum, quarum eas cepit obliuio non reminiscuntur, & quidem facilius, quam, cum sunt prouectæ ætatis, nimirum recentiores animæ, ac nondum etiam immersæ domesticis, & publicis curis?

Tertiò principaliter suadetur nostra sententia. Si 40
essent nobis congenitæ, & naturales scientiæ omnes, id thesauri nequaquam esse posset nobis absconditum: quale enim est, vt tot lumina sese non prodant, nec in oculos nostros illico incurrant? quale item, vt cum habitus acquisiti virtutum, vitiorumque nos haud lateant, scientifici tamen, ac naturales sint nobis incogniti? Quartò suadetur nostra opinio. Quidquid sit de notitia abstractiua, & aliena, qualem habemus in hac vita de Deo Optimo Maximo, quod attinet ad quidditatiuam, & propriam colorum, verbi gratia, eam haud sortiri potest, qui cæcus natus est, ac nunquam facultate videndi præditus: nihil enim apud omnes magis receptum, nihil sponte sua magis manifestum, quam, quod aiunt, *cæcus non iudicat de coloribus.* At de eis iudicium ferre, illosque omnes propriè, & quidditatiuè cognoscere posset, si naturaliter, ac per se inessent ei habitus ad id genus cognitionem necessarij. Respondent aduersarij; tales ei inexistere habitus, sed tamen contagione corporis obscuratos, ac proinde ad operandum impeditos, quia scilicet non illustrantur luce visionis externæ, ac phantasmatum, quæ ab ea traiici solent introrsum. Verum hæc solutio est nulla: siquidem experimento nobis constat, si scientiam habeamus vnius sensibilis, eius nos posse quidditatiuè, & propriè recordari sine actu vllo eius sensus, cuius illud est proprium obiectum, præsidio videlicet alterius, veluti cum viso melle, recordamur dulcedinis, aut cum conspecta niue, nobis illico venit in mentem frigoris, & humiditatis, vt optimè disputant Caiet. 1. p. q. 84. art. 3. & Collegium Conimbr. in cap. 1. de prædicamentis quæst. 1. artic. 2. Quintò probatur nostra opinio: quoniam si inessent nobis naturaliter scientiarum omnium habitus, nulla certè assiduitate errandi nobis ingenerari possent contrarij habitus. Falsi: quo pacto, quia lapidi, verbi gratia, est naturale deorsum ferri, etiamsi millies proiiciatur sursum, haudquaquam ascendere consuescet. Simili argumento probet Aristoteles 2. ethicor. capite primo, non esse nobis naturales virtutum habitus.

Ex quibus etiam sextò argumentor: quia ea- 41
tum certè, ac scientiarum par est ratio, nec est, cur hæ potius, quam illæ sint nobis congenitæ, ac denuo acquiri nesciæ: constat autem

illas

illas denuò comparari : idem ergo de his dicendum. Septimò ſic arguo : vt magiſter in diſcipulo non cauſat ſcientiam denuò iuxta Platonem, ſed tantum eius intellectum excitat, ac diſponit, vt eorum, quæ habitu ſcit, actu recordetur, ita etiam de eiuſdem philoſophi ſententia, *agentia naturalia*, vt verbis B. Thomæ ſuprà prima parte, quæſtione 117. artic. 1. vtar, *ſolummodo diſponunt ad ſuſceptionem formarum, quas acquirit materia corporalis per participationem ſpecierum ſeparatarum.* At quod agentibus naturalibus inſit virtus, non ſolum diſpoſitiua, ſed etiam effectiua, & quod ignis, v.g. non ſolum calefaciat, ac deſiccet paſſum, ſed etiam formam ſubſtantialem ignis in eo efficiat, vel per ſe immediatè, vel certè per ſua accidentia, & per ſe eſt manifeſtum, & à nobis manifeſtè demonſtratum eſt lib. 4. phyſicorum tract. 7. cap. 1. & 2.

42 Octauò argumentor. Reminiſci, eſt nobis iterum in mentem venire rei antea cognitæ, vt cognitæ : noſtrum ergo diſcere, ſi eſt duntaxat recordari, certè à magiſtro edocti haud tantum cognoſcemus ſimpliciter rem ipſam, ſed etiam eius nos prius habuiſſe notitiam aliquam : at inter diſcendum nihil tale nobis contingere experimento ſatis conſtat. Tandem arguo : ſi verum eſſet Platonis commentum, haud eſſet adeo difficilis, & operoſa omnis diſciplina, ac experimur : ſiquidem imprimi phantaſmata, quò eorum luminibus inclareſcant in nobis ſcientiarum habitus corporis huius mole obruti, ſatis facile eſt, vt liquet. Et certè, quæ ſemel didicimus, ſi fortè nobis poſtea exciderint deſuetudine quadam, ea iterum diſcere, ac repetere, ſæpe ſæpius ſine multo labore poſſumus, ac ſolemus : quid eſt ergo, quapropter non ſit eadem ratio illorum, quæ ſine vlla diſciplina priùs nobis eſſe nota, ſin minus actu, at ſaltem habitu, aduerſarij confingunt.

43 Summa igitur noſtræ, ac veræ ſententiæ eſt, intellectum noſtrum corpori primò coniunctum eſſe veluti tabulam nudam, ſiue raſam, & in qua nihil ſit depictum : præſidio autem phantaſmatum, tum exteriorum, tum etiam, ac multo maximè internorum eum prius apprehendere terminos ſimplices, videlicet eſſe, non eſſe, ſimultatem, rationem totius, partis, ſubiecti, accidentis, &c. deinde eos inter ſe componere, & diuidere formando virtute ſua naturali prima, ac notiſſima principia, vt quodlibet eſt, vel non eſt, impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe, omne totum eſt maius ſua parte ; omne accidens eſt in aliquo ſubiecto, &c. rurſus ex his propoſitionibus, aliiſque per ſe notis alias minus notas colligere, variarumque concluſionum, ſiue ſcientiarum habitus comparare. Quamuis autem Platonici exiſtiment, intellectum in prima ſui coniunctione cum corpore potius ſe habere veluti tabulam ſemi deletam, ac non certè nullis, ſed imperfectis exaratam characteribus, iiſque, qui ſolum egeant perfici, & quaſi illuminari per phantaſmata ; cæterum illos falli, ſatis demonſtratum manet hactenus.

44 Ad primum autem eorum argumentum ex dictis in prima, & ſecunda noſtræ opinionis probatione claret. Ad ſecundum, dicendum eſt eas, puero alicui nullis in præſens erudito litteris interrogationes fieri poſſe & ſolere, quibus omnibus recte reſpondeat : at non propterea, quod habitus aliqui illius ſcientiæ, circa quam interrogatur ei ſint congeniti ; ſed quia res ipſæ ſunt ſuapte natura faciles, necnon facili, & bona methodo propoſitæ, ac proinde tales, ad quas aſſequendas ei ſufficiat ſolius intellectus naturale lumen. Et quidem ſi ex præexiſtentia habituum oritur vis illa reſpondendi in puero literarum ignaro, cur non etiam reſpondeat ad res paulò difficiliores ? cur non ad eaſdem alia methodo, & non gradatim, aut ordinatè propoſitas ? Cur item omnes ſimiliter iis non aſſentimur concluſionibus, cum ex æquo inſint omnibus naturaliter earum habitus ? Cur denique aliquando circa eas, non ſolum cohibemus aſſenſum, ſed etiam erramus, ac falsò iudicamus ? haud enim ab ideis, habitibuſque ſcientificis, qui ſunt earum participationes quidquam poteſt oriri falſum.

Tertium argumentum aduerſariorum omnem de 45
medio tollit diſciplinam, & ne id nobis relinquit, vt vel reminiſcendo diſcamus : ſiquidem aut eius rei, cui addiſcendæ operam nauamus, recordamur, aut ſecus. Si ſecundum ; quo pacto inquirimus rem, cuius omnino obliuiſcimur, cuiuſque comparatione perinde ſe habet intellectus noſter, ac ſi nunquam eam cognouiſſet antea ; hæc enim eſt conditio oblitorum ? quave ratione collimamus nullo nobis ſcopo veluti ad ictum deſignato ? Si primum ; certè noſtrum diſcere, non ſolum non erit denuo ſcientiam comparare, ſed ne præteritam ſcientiam memoria repetere : adeoque nihil prorſus. Abſolutè reſpondeo ; ea, quibus ſtudium impendimus à nobis implicitè, & confusè cognoſci, non verò explicitè, & clarè : poſteriorem autem ignorantiam ſatis, ſuperque eſſe, vt ſcientiam poſſimus acquirere denuo : priorem vero cognitionem, vt quod diſcimus nos haud omnino lateat, nec ſine meta, & quod aiunt, in auras tela contendamus. Porrò non pauci implicitam illam, & obſcuram rei notitiam eius diſciplinæ, ac ſtudio neceſſaria ratione præuiam exiſtimant haudquaquam cohærere cum præciſione obiectiua aliarum formalitatum ab aliis. Nobis tamen, atque, vt arbitramur, grauioribus ſcholaſticis magis placet, præſcindi ex parte obiecti alias formalitates ab aliis quotieſcunque rem vllam cum aliqua confuſione, & obſcuritate cognitam amplius ſcire cupimus, atque, vt voti ſimus compotes, tum noſtra induſtria, tum etiam opera magiſtri vrimur. Vide quæ circa hoc Platonis argumentum latius diſputata ſunt in Dialecticæ libro octauo, tractatu quinto, capite 9. Quartum aduerſariorum fundamentum haud eſt magis ſolidum : nam & paulò ſuperius in ſumma, & epilogo noſtræ ſententiæ breuiter à nobis perſtrictum eſt, & cap. præc. in ſolut. 2. argumenti vberiori filo demonſtratum, quo pacto euidentia ; & certitudo proficiſci poſſit à ſenſibus, quantumuis ludificentur paſſim, ac multis ſint erroribus obnoxij.

Ad poſtremum argumentum contrarium dicen- 46
dum eſt, ei, qui docetur prius nota eſſe ſigna, ac verba, quæ ſibi proponuntur ; at ſigillatim, & diuiſiuè ſumpta, non vero in vniuerſum, & copulatim vſurpata : verbi gratia, cum ſcire, quid ſignificet homo, quid animal rationale, quid riſibile, quid admiratiuum, &c. at ignorare donec edoceatur, an homo ſit animal rationale ? anve omne riſibile ſit admiratiuum ? prior autem notitia vocum, ac ſignorum ſatis, ſuperque eſt ad hoc, vt iis inſtrui, & erudiri poſſit ; quod autem poſteriori illorum notitia ſit antea deſtitutus, ſufficiens eſt, vt ſcientia illa, ac facultate, quam addiſcit, in præſens careat, vtque non fruſtra ab eo diſcendi ſuſcipiatur labor. Inſtabis tamen ; diſcipulum ſine magiſtro prius ſcire, quid ſignificet tota hæc oratio complexa : *homo eſt animal rationale* ? quæ item ſit vis huius : *omne riſibile eſt admiratiuum* ? quæ denique cuiuſuis alterius ? perperam

ergo à nobis responderi, signa copulatiuè, & in complexo sumpta haud esse discenti ante disciplinam omnem cognita, ac nota. Sed in promptu est huius solutio difficultatis: nam etsi ex suppositione, quod termini illi incomplexi copulentur inuicem, vti supra, talis eorum constructio sit discipulo prius nota hoc solo, quod sit idiomatis, quo docetur, gnarus; cæterum, an ita debeant copulari, & construi eum prorsus latet, quousque magister adsit tales orationes externas, vt veras ei proponens, quo videlicet illarum adminiculo addiscentis intellectus velut causa principalis in se assensum, ac scientiam producat.

47 Beatus Thomas 1. parte, quæstione 117. articulo 1. ad 4. postremo argumento nuper à nobis soluto respondet: *Signa, quæ magister discipulo proponit, esse rerum notarum in vniuersali, & sub quadam confusione, sed ignotarum in particulari, & sub quadam distinctione.* Cæterum signa à magistro proposita esse ei, quem erudit prius nota, at vniuersaliter, & confusè, non vero in particulari, & distinctè, haud aliud, vt reor, est, quam ea sigillatim, non vero complexè sumpta præcognosci: tunc enim distinctè noscimus hominem, verbi gratia, quando eum esse animal rationale scimus; tunc confusè, quando id ignoramus; tametsi alioqui nullius eorum terminorum per se sumpti vis nos prætereat. Par autem est ratio quarumuis aliarum vocum, ac signorum.

Caput IV.

Certitudinis, euidentiæque formalis, tum definitio, tum etiam diuisio.

48 Certitudo propriè sumpta in actu intellectus nostri haud aliud est, quam infallibilitas, siue quod non possit ei subesse falsum: aut aliis terminis; est eius adhæsio, ac determinatio ad veritatem obiectiuam, aut quod nequeat non esse formaliter verus. Ita P. Vasquez 1. part. disputatione 68. numero 33. & 34. & disputatione 65. numero 20. P. Gilius lib. 1. tract. 4. cap. 1. P. Hurtadus disputatione 8. de anima, sectione 4. P. Arriaga disputatione 16. Logicæ sectione 4. & communiter cæteri Doctores. Sic certa manus dici consueuit ea, quæ est aberrandi nescia, atque infallibiliter, vt sic dicam, scopum attingit, vt præter alios Martialis libro primo, epigram. 13. de prægnanti suæ per vulnus interempta simul, ac soluta.

O quam certa fuit librato dextera telo!
Hanc ego lucinæ credo fuisse manum.

Sic etiam voluntas fixa, & determinata alicuius facinoris, certa dici solet, certumque nobis esse, quod ita volumus, ac decernimus. Qua phrasi, vt alios mittam, Virgilius vtitur lib. 9. Æneidos 6. Turnum Troianos obsessurum ita infert loquentem

49 *Luce palam certum est igni circundare muros*

Dices tamen: quiuis actus verus est infallibilis, siue nulla ratione potens reddi falsus, quiuis determinatus ad hoc, vt sit verus: tum, quia ex suppositione, quod semel sit verus, haud potest esse in alio instanti falsus: tum, quia nulli non est essentialis sua veritas, sic, vt eam, non tantum ex hypothesi aliqua, sed ne simpliciter etiam possit non habere: at non omnis actus verus est certus: multis enim probabilibus, & incertis inest veritas: perperam ergo à nobis est definita rectitudo per infallibilitatem, aut determinationem ad verum. Cæterum huic instantiæ haud est difficile respondere. Nam infallibilitas per quam definiuimus certitudinem haud est secundum quid, vel ex suppositione, sed talis, vt merito illius veritas non solum habita in vno instanti non possit deperdi in alio, verumetiam non potuerit non haberi, vel in primo instanti. Rursus ea debet esse, quæ, nec in ipso actu, cui conuenit, nec in alio ex modo tendendi sibi simili possit vinci, aut depelli per contrariam falsitatem. Hinc ergo est, vt multi actus veri possint non esse certi iuxta nostram certitudinis definitionem. Siquidem hæc propositio probabilis, verbi gratia, *Petrus currit in instanti A* nunc à me edita, tametsi non possit in sequenti vllo instanti veritatem suam cum falsitate commutare, at potuit in primo ea carere: quod si ne in primo instanti suæ productionis potuit falli, certè alteri actui circa idem obiectum potuit tum subesse falsum, licèt eodem nitatur motiuo, sitque similis repræsentationis: alterutrum autem horum, vt ex dictis colligere est, sufficit ad illius propositionis incertitudinem.

Certitudo triplex est, moralis, physica, & meta- 50
physica. Certitudo moralis est eius actus, cui moraliter non potest inesse falsitas: cum enim iuxta regulas moris, ac prudentiæ nemo non debeat non iudicare, eum esse verum, perinde se habet ac si reipsa non posset ei subesse falsum. Qua ratione moraliter certum est, quod vir bonus, & sapiens cum iuramento ita affirmat, vt ex oppositio nullum emolumentum sperare, damnumve timere possit: quanquam id fateor, ne tantum requiri, vt debeamus rei alicui nobis propositæ assentiri, deque ea esse moraliter certi.

Huiusmodi est certitudo, qua, & non maiori 51
sæpissimè nititur prudentia in agendis rebus: siquidem, vt prudenter, & rectè operemur, haud est necesse, vt iudicio nobis prælucenti non possit subesse reuera falsum, sed satis est iuxta regulas moris, & prudentiæ haud possit ambigi de eius veritate, quod est illud esse moraliter certum. Non me latet Gilbertum 6. ethicorum tractatu quarto, quæstione vnica dub. 1. Pitardum discursu 3. ethicorum capite 3. §. 1. Martinum de magistris quæstione 1. de ebrietate in solut. noni argument. contra 2. partem octauæ conclus. in iudiciis, quæ sint regulæ humanarum actionum desiderare maiorem certitudinem, vtque reuera, & physicè haud possit falli. Contrarium tamen tradunt Aristot. initio ethicorum. Seneca 4. de benef. cap. 33. Nider 3. part. consolatorij conscientiæ cap. 11. 12. & 13. & apud eum plures alij Doctores. Et quidem in colendis humanæ vitæ officiis haud requiritur certitudo, quæ sit supra captum nostrum: at eum passim superat physica, & falsitati reuera contraria; quæ scilicet est nostræ mentis imbecillitas, & negotiorum haud raro tenebricositas, & caligo: ea ergo ad passim operandum non est nobis opus, solaque moralis sufficit. An non inconsulte, & improuidè nobiscum egisset Deus, quos de plerisque physicè reliquit incertos, si nisi physicè certis haud liceret nobis quidpiam aggredi? an non physica certitudine semel desiderata, abstinendum hominibus esset bona, imo maiori parte officiorum, ne videlicet speculatiuè errandi sese periculo exponerent: moralis ergo certitudo satis, superque nobis est ad bene agendum. Denique quando ex his præmissis: egeno omni est eroganda eleemosyna, sed hic est egenus, infertur hæc conclusio practica, ergo huic erogari debet eleemosyna, sanè huiusmodi conclusio (quam, quis neget ad actum virtutis misericordiæ eliciendum, stipemque pauperi tribuendam sufficientem?) haud esse debet certior, quam minor ex qua deducitur; ast eius minorem non oportet esse physicè certam,

certam, sed satis est, vt talis sit tantum moraliter, sic, vt prudenter attentis omnibus circunstantiis, debeamus ei assentiri, nec possimus, nisi imprudenter ei ei dissentiri, vt per se, ac sponte sua patet, vtque colligitur ex Isidoro Pelusiota lib. 1. epistola 187. & Chrisostomo homil. 2. de Lazaro, & aliis locis.

52 Certitudo Physica ei actui conuenit, cui falsum subesse nequit, nisi ordo naturæ inuertatur, & aliquid contra physicas rerum exigentias fiat per miraculum. Qua ratione certa est propositio intuitiua substantiam parietis existere affirmans, quia nisi Deus aliud miraculum Eucharistico simile patrare velit, & sine pariete, eius candorem, & alia accidenta conseruare, haudquaquam ea poterit reddi falsa. Eadem ratione quod sub visum nostrum, auditum, olfactum, aliumue sensum cadit, scilicet pacto, quo perstrictum est superiùs cap. 2. in solut. secundi argumenti ad solutionis initium, id omne profectò & physicè certum.

53 Atque ad hanc certitudinem respexit Fabius lib. 5. oratoriarum instit. cap. 10. inquiens, *pro certis autem habemus primum, quæ sensibus percipiuntur, vt quæ videmus, audimus.* Eiusdem etiam respectu dixit Tertullianus in lib. de an. cap. 17. *non licet nobis in dubium sensus istos reuocare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne forte dicatur, quod falso Satanam prospectarit de cælo præcipitatum: aut falsò vocem Patris audierit de ipso testificatam: aut deceptus sit, cum Petri socrum tetigit: aut alium postea vnguenti fecerit spiritum, quod in sepulturam suam acceptauit: alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecrauit. Sic enim & Marcion phantasma eum maluit credere totius corporis in illo dedignatus veritatem. Atqui, ne in apostolis quidem eius ludificata natura est. Fidelis fuit, & visus, & auditus in monte: fidelis, & gustus vini illius, licet aquæ ante in nuptiis Galilææ: fidelis & tactus, exinde creduli Thomæ. Recita Iohannis testationem: quod vidimus, inquit, quod adiuuimus oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de sermone vitæ. Falsa vtique testatio, si oculorum, & aurium, & manuum sensus natura mentitur.*

54 Certitudo metaphysica est eius actus, cui, ne diuinitus potest subesse falsum, cuiusmodi est illud axioma: impossibile est idem simul esse, & non esse: quodlibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte: quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se: necnon ex his axiomatis alia multa, in quarumlibet materia facultatum deriuata. Quocirca si dixeris cum Seneca in Hercule Oëtheo

Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit vnda;
Ante descendet glacialis vrsæ.
Sydus, & ponto vetito fruetur,

Aut cum Claudiano de consulatu Probi.

Ante dabunt hyemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus.
Ante Thyestæis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,

Quam actus metaphysicè certè possit reddi falsus; metaphysicam nihilominus certitudinem longè minorem, quam est in se effinges, atque eam infrà haud modico subsistes interuallo: siquidem præfatæ impossibilitates, & aliæ similes, quas poëtæ passim exaggerant, creatoris subduntur omnipotentiæ, ab eaque possunt superari: at quod actui metaphysicè certo error vllus insit, ne Deus ipse potest efficere.

55 Euidentia suprà certitudinem addit claritatem quandam, cui non possumus dissentiri: malignam illam quidem, ac parce micantem, si sit moralis; sin autem sit euidentia physica, maiorem; quod si metaphysica, maximam. Quo autem magis clareant, tum certitudo, tum etiam euidentia, discutiendum est, quousque distinguantur, & ab actu, in quem conueniunt, & inter se inuicem. Censeo primò eas haud distingui realiter à cognitione, cui vnà competunt: nam idcirco aër v. g. haud est per seipsum essentialiter clarus, quia potest claritatem exuere, & obscurus reddi, vel, cum nox diei succedit, vel, cum diem nubes fædant, & obumbrant: sed actus euidens, & clarus talis ne diuinitus non esse non potest, vt & per se palam est, & omnibus in concesso: ergo, &c. Vlterius intellectus noster est, qui comparari debet cum aëre isto, quo viuimus, ac spiramus, & non ille, sed cognitio nostra euidēs, cum luce aëris illusa, eumque irradiante: at quamuis aër esse possit tenebrosus lux tamen nequit non esse lucida: ergo nec actus intellectus, nostri euidens poterit non esse clarus, ac dilucidus, ac proinde claritas, & euidentia ei est essentialis. Denique vnde potest habere cognitio euidens, quod talis sit, nisi à repræsentatione sua? hæc autem ab illa non distinguitur: ergo nec euidentia.

56 Quod autem attinet ad certitudinem, eius etiam ab actu certo realis indistinctio suaderi est facilis: sequitur enim necessaria ratione euidentiam in actibus naturalis ordinis: idque circo actus omnis naturalis est certus, & infallibilis, quia est euidens, veluti videt, & conspicit quod est in obiecto: cum ergo euidentia iuxta dicta paulo superiùs sit inseparabilis ab actu, in quem conuenit, eadem ratione erit ab eo inseparabilis, adeóque indistincta certitudo. Quod si sermo de actibus fidei diuinæ, cuiusuis certitudo sequitur eius supernaturalitatem, & ob id nequit vllus saltem naturaliter, ac citra miraculum falsus esse, quia est ordinis supernaturalis: quando igitur supernaturalitas ab eo est inseparabilis, certè certitudo ab eo nec separari, nec distingui sustinebit. Adiice, vt est intelligibile prorsus, euidentiam cognitionis proficisci à modo aliquo ei realiter superaddito, & non potiùs à sola eius repræsentatione, ita intelligi vniuersim non posse, aliam esse certitudinis originem quam repræsentationem propriam, ac peculiarem actus: cur enim hic vi suæ repræsentationis inferat infallibiliter modum illum, in quo fingitur consistere certitudo, & non possit infallibili ratione attingere immediatè obiectum suum, ac proinde esse certus seipso?

57 Censeo secundo, euidentiam, & certitudinem nostrorum actuum distingui inter se ratione ratiocinata. Namque, quamuis non possit vspiam reperiri v. g. rationalitas hominis propria, hoc est vis intelligendi per conuersionem ad phantasmata, ac dependenter ab illis; quia tamen è conuerso potest alicubi, scilicet in belluis, inueniri animalitas sine rationalitate, id satis, superque est, vt gradus illi metaphysici distinguantur ratione ratiocinata, siue virtualiter intrinsecè. At in aliquibus actibus, videlicet fidei supernaturalis inuenitur certitudo sine euidentia, tametsi nusquam è contrario sit reperire euidentiam sine certitudine. Quidni ergo tales formalitates ratione distinguantur inuicem? Insuper, actus dicitur certus, quia non potest esse falsus, euidens autem, quia non possumus ei dissentiri: certitudo ergo falsitatem, & euidentia contrarium dissensum excludit: ambæ ergo diuersa connotata respiciunt, sicut ad earum virtualem distinctionem oportet. Quod autem hactenus disceptaui in transcursu de indistinctione reali, & distinctione rationis euidentiæ, ac certitudinis, tum à se, tum etiam ab actu, cui sunt communes,

& Patri Hurtado disputatione 8. de anima, sect. 5. per totam, & aliis passim Doctoribus placitum comperio.

58 Pro maiori eu identiæ, ac certitudinis luce, & intelligentia secundo deliberandum nobis est, an actus quo credo, verbi gratia, Romam esse, quia tot homines id vnanimi consensu affirmãt, sit physicè certus, & euidens, vel duntaxat moraliter? P. Hurtadus suprà disp. 8. de anima semel, & iterum laudata, sect. 3, §. 18. 19. & 20. existimat, eum esse physicè certum, & euidentem, *Quia*, inquit, *impossibile est physicè loquendo, tot homines, tot saculis esse mentitos: vnde non habeo minorem euidentem, Romam esse, quam omnem ignem esse calefactiuum.* At eiusmodi actum, & quemuis alium similem esse duntaxat moraliter certum, euidentemque, tuetur P. Tannerus agens de obiecto Theologiæ 5. part. dist. 2. q. 5. dub. 3. & 4. estque communis auctorum sententia, & quantum coniicio multis partibus verior.

59 Principio enim citra miraculum, & quin aliquid contingat contra naturalem rerum exigentiam omnes homines nascuntur in peccato originali, omnesque peccant exempli gratia, verbum aliquod otiosum proferendo: quidni ergo non omnes absolutè, sed (quod minus est) quotquot attestati sunt Romæ existentiam naturaliter mentiri potuerint, atque id genus peccati ex æquo committere? Rursus secundò: si, quia tot homines affirmarunt esse Romam, id est etiam physicè euidens, ac certum, profecto tale non poterit non esse, Deum esse trinum, & vnum, & quodcunque aliud nostræ fidei mysterium, videlicet, quia tot martyres id, non voce modo, sed etiam sanguinis profusione, vitæque suæ dispendio sunt attestati. Atqui mysteria fidei nostræ suaptè natura obscura, nihilominus propter testimonium martyrum reddi naturaliter, ac physicè euidentia, certaque, haud secus, ac ea, quæ videmus, & audimus, est ipsa, vt sic dicam, falsitate falsius.

60 Respondet P. Hurtadus vbi suprà martyres mysteria Fidei vt obscura credere, nobisque credenda proponere; quocirca in cognitionem nostram eos haud posse refundere claritatem, qua ipsi carent: cæterum qui testantur Romam esse, euidentiam eius habent, & eam esse à se visam affirmant: illorum ergo testimonium, inquit, nobis potest euidentiam facere rei attestatæ. Contra tamen: quia euidentia eorum, qui Romam viderant, eamque esse affirmant, quid prodest, vt meus, cui nunquam visa est, actus sit physicè euidens, ac certus? Equidem, diuina reuelatio non facit mysteria nostræ Fidei euidentia physicè loquendo: & tamen Deus ea reuelans habet illorum summam euidentiam: quanquam ergo testantes Romam esse eam viderint, eiusque, quod attestantur, habeant euidentiam, non propterea eam in cognitionem meam eorum soli testimonio innixam refundent, vel certè testimonia martyrum, mysteria Fidei sibi obscura, nobis tamen euidentia, & clara efficient. Discrimen ergo vtrinque traditum nullius est momenti.

61 Tertiò: ad omnem ignem consequitur velut proprietas naturalis, quod sit calefactiuus, vt sensu, & experientia claret: quid mirum ergo, si ignem in communi esse calefactiuum sit physicè euidens, ac certum? Atqui non mentiri non est singulorum, qui Romam esse attestati sunt naturalis, ac debita perfectio: quinimò cuius eorum contingit id genus perfectionis; illique est arbitrarium, & liberum: haud ergo potest esse certum, & euidens physicè eam omnibus perfectionem conuenire, vt omnes copulatiuè non mentiantur circa existentiam Romæ; quod igitur hæc sit, eius consequenter euidentiæ, ac certitudinis est expers. Atque ex his constat ad rationem, qua innititur Pater Hurtadus loco nuper allegato.

Tandem pro huius doctrinæ complemento dis- 62
ceptandum breuiter est, an actui physicè certo, & euidenti possit subesse falsum, si miraculosè fiat aliquid contra rerum exigentias: quod enim non possit, vbi natura suis ire legibus sinatur, superius est ostensum, cum esset à nobis definita certitudo, & euidentia physica, siue naturalis. Respondeo cum Patre Hurtado disputatione 8. de anima, sectione 3. reddi posse falsum diuinitus eiusmodi actum.

Primò, quia actui moraliter certo, & euidenti citra 63
miraculum inesse potest error, & falsitas: ergo & actui physica certitudine, & euidentia prædito, saltem miraculosè. Consequentia videtur bona. Antecedens est auctorum omnium; & merito; nam si vir grauis, & cordatus mihi iuret, Petrum, verbi gratia, esse egenum, vt exemplo superius posito insistam, actus, quo eius egestatem credo, &, quo ad illam moueor subleuandam, est moraliter euidens, ac certus: at naturaliter, tam ei subesse potest falsum, quam citra miraculum fieri non repugnat, vt is, cuius testimonio fidem habeo, mentiatur.

Secundò: euidentia, ac certitudo physica, est lon- 64
gè minor, quam metaphysica, hæc autem, ne diuinitus potest cum errore vllo cohærere: poterit ergo illa: alioqui certè pares erunt ambæ. Tertiò: cognitio, qua infidelis quispiam hostiam iudicat antea, quam consecretur esse panem, est physicè certa, euidensque: conseruet eam cognitionem post consecrationem hostiæ, eiusque in Eucharistiæ Sacramento conuersionem miraculosam in corpus Christi Domini: quæro, an ea tum sit euidens, & certa sicut antea, vel secus? Si primum; euidentiæ ergo, & certitudini physicæ potest per miraculum inesse falsitas, & error: sin autem secundum; ergo amittit actus ille euidentiam, ac certitudinem physicam, ac proinde hæc ei non est essentialis, quod tam absurdum esse, ac si quis dicat, lucem hanc, quam oculis cernimus, non esse per seipsam, & essentialiter claram supra demonstratum est: & quidem accidentia, siue ante, siue post consecratam hostiam eodem modo sentiuntur: eodem ergo modo semper ducent in cognitionem substantiæ panis, cum qua sunt sponte sua connexa: quando igitur prius ad eam ducebant euidenter physicè, haud aliter posterius ad eam conferent.

Quartò tandem id colligitur ex Augustino in lib. 65
octoginta trium quæstionum, quæst. 9. vbi sic ait: *Omnia, quæ per corpus sentimus etiam, cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus adsint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur omnino, vtrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsa, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, & nihil percipi potest, nisi, quod à falso discernitur, non est constitutum iudicium veritatis in sensibus.* Hæc ille. Quod si penes sensus nostros quantauis euidentia, & claritate præditos non est iudicium veritatis; possuntque potius, solentque suo modo falli, ac ludificari, quæ est cognatio sensibilium obiectorum cum imaginibus suis, quales videlicet nobis irrepere contingit per somnum, & furorem; profecto eodem iure cognitio spiritualis, & interna, qua affirmo, verbi gratia, Petrum currere, quia id luce palam conspicio, quantumuis sit physicè certa, & euidens, esse tamen poterit

veritatis

veritatis exors,& falsitati obnoxia,quia scilicet Deus miraculosè potest efficere, vt non Petrus coram me currat, sed aliquod eius simulachrum. Quæ in contrarium obiici possunt, leuia sunt, ac facilia solutu: proinde iis referendis, & refellendis supersedeo.

CAPVT V.

Quænam sit in certitudine, ac euidentia formali inæqualitas.

66 ASserendum est primò, certitudinem metaphysicam esse maiorem physica, & hanc morali. Nam actus metaphysicè certus, ne diuinitus subire potest falsitatem: at actus physicè certus eam duntaxat naturaliter excludit, cum interim reddi possit miraculosè, ac supernaturaliter falsus: cuius autem certitudo est solum moralis, tantum est moraliter, & interpretatiuè impotens falli, sed reuera falsitati obnoxius. Eodem modo comparantur inuicem euidentia metaphysica,physica,& moralis:hæc enim postrema non facit,vt re vera non possimus ei dissentiri, sed vt non debeamus: siue quod perinde est,non præstat, vt non possimus simpliciter,& absolutè, sed vt non possimus prudenter, & iuxta regulas rectæ rationis: Physica vero euidentia potestatem,libertatemve dissentiendi adimit hoc solo, quod nobis non constet rerum naturas esse miraculosè inuersas: Metaphysica autem nulla moderatione adhibita, & in quacunque hypothesi efficit, vt nobis non sit integrum dissentiri, vbi termini eius rei, cui est assentiendum rectè percipiantur: magis ergo dissensum contrarium reiicit, adeoque maior euidentia est ea, quæ dici consueuit metaphysica, quam physica, & hæc, quam moralis. Atque in hac assertione conueniunt auctores, quin sit, quem viderim, vllus ei, qui refragetur.

67 Asserendum est secundò, vnam euidentiam moralem alia itidem morali esse maiorem. Ratio est, quia quo minus debemus dissentiri alicui rei, quove eius dissensus esset imprudentior, hoc illa est magis euidens moraliter: at multas contingit esse res, quibus minus æquum est dissentiri, quam aliis, quibusque fidem negare maioris est imprudentiæ, ac temeritatis. An non sit magis imprudens, ac temerarius, qui non credit testimonio plurium virorum grauium quidpiam sanctissimè iurantium, quam qui vnius virtutem, & grauitatem paruipendit ei aliquid non fine iuramento attestanti non credens? Item,quo plures sunt coniecturæ, eo rem moraliter euidentiorem faciunt: earum autem numerus, modò maior,modò minor esse consueuit.

68 Quod si euidentia moralis in obiecto cognito est inæqualis,vt hactenus probatum, certè necesse est,vt eadem sit inæqualitas in actuum euidentia morali: quippe quæ non est diuersa ab illa priori, sed prorsus eadem: idcirco enim obiectum est moraliter euidens,quia eiusmodi est cognitio, qua hic, vt aiunt, & nunc percipitur, aut certè potest percipi. Porrò quod dictum est de euidentia morali, dicendum similiter est de certitudine morali: paruo enim, ac fermè nullo differunt momento: & certè quanta quanta sit earum diuersitas, vna nascitur ex alia, eique est proportionata,vt sic dixerim,videlicet ex euidentia certitudo;id,quod superius monitum:proinde vt vna, sic etiam altera dispar esse solet, modóque crescere, & modò decrescere.

69 Asserendum est tertiò, vnam certitudinem physicam esse posse maiorem alia. Suadetur autem hunc in modum. Actus intellectus nostri dicitur physicè certus, quatenus ei subesse falsum est naturaliter impossibile, vt superius visum: at ea impossibilitas naturalis potest esse inæqualis, ac diuersa: ergo, & certitudò physica. Consequentia, & maior nullo egent probamento: quare probatur minor: impossibilitas naturalis inæqualitatem ex genere suo non reiicit, sed admittit potius: quidni ergo eius sit capax illa, per quam cognitio nostra dicitur physicè certa,ac falli nescia: id constat: nam in primis magis est supra naturæ vires, ac potentiam, conseruare accidentia sine subiecto, vt contingit in Eucharistiæ Sacramento, quam è diuerso subiectum sine accidentibus: ibi enim supplenda est à Deo dependentia à priori, quæ maior est, hic vero dependentia à posteriori, quæ longo minor interuallo. Deinde magis impossibile naturaliter est, eundem poni candorem in tribus subiectis, quam in duobus: siquidem alterum continet vnam tantum impossibilitatem, alterum vero duas; priorem in eo sitam, quod candor constituatur in duplici subiecto, posteriorem vero in eo, quod simul collocetur in tertio subiecto.

70 Ad hæc, quis neget miraculorum aliqua esse maiora, alia minora? Quid solemnius inter Sanctos Patres, quam Christum maiora aliquando per seruos suos,quam per seipsum edidisse miracula iuxta illud Ioan.14. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quid item inter eos celebrius, quam Deum minoribus miraculis nos excitare ad credenda maiora. Rectè præter alios D.Gregorius Nissenus de Sancta Christi Natiuitate sermonem habens de Elisabetha Baptistæ matre: *Ne incredibile putarent homines ex Virgine partum edi posse, minoribus miraculis ante exercendo fideles ad assentiendum, & credendum assuefacit: sterilis, ac decrepita Filium parit: id quasi præludium est, & principium existit miraculi, quod in Virgine subsecutum est.* Quid denique inter illos magis vltratum, quam Eucharistiæ Sacramentum maius esse miraculum aliis multis à Deo Patratis? *Magnum quidem, & venerabile,* inquit Ambrosius lib.4. de Sacram.cap,5. *Quod manna Iudæis pluit è cœlo: sed intellige, quod est amplius manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi vtique, qui auctor est cœli: Deinde manna, qui manducauit mortuus est; qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* Hactenus ille. Quin enim Ecclesia in Breuiario Romano certa quadam lectione desumpta ex opuscul.57.B.Thomæ atque officio corporis Christi insulta pronuntiat, Sacramentum Eucharistiæ esse *miraculorum ab ipso* (Deo scilicet) *factorum maximum.* Quæ cum ita sint, ambiguum esse non potest, quin aliqua magis, alia minus impossibilia sint naturaliter, quandoquidem miracula in tantum maiora,vel minora censentur, quantum maiorem, vel minorem superant impossibilitatem naturalem. Quo autem discursu probauimus hactenus, esse inæqualitatem in certitudine physica,eodem conuictum manet, idipsum de euidentia physica: hæc enim infert certitudinem physicam sibi parem, vt ex dictis suprà liquet:quocirca cum efficiat talem certitudinem,modò maiorem, modò minorem, necesse est, vt horum graduum ipsa non sit incapax.

71 Asserendum est quartò; vnam certitudinem metaphysicam haud posse esse veluti intensiuè maiorem alia, at esse posse extensiuè, vt sic dixerim. Prior assertionis pars suadetur. Nam actus omnis metaphysicè certus ita est sponte suainstitutus,vt ne diuinitus falli

falli possit, quæ autem impossibilitas nè arbitrio, & potentiæ creatoris est subdita, profectò intensiua ratione sūma est: omnis igitur actus Metaphysicè certus, est sūmè certus, & in fallibilis modo dicto, adeoquè nullus alteri eatenus cedit. Posterior assertionis pars suadetur. Nāquè etiam in impossibilitate quantūuis tali respectu potentiæ Dei absolutæ, & extraordinariæ est latitudo, & inæqualitas veluti extensiua. Ita certè magis repugnat, Petrum indēficari cum Leone, & cum equo, quam cum eorum alterutro tantum prior enim identitas duplicem complectitur impossibilitatem Metaphysicam, posterior vero vnam solam. Magis item repugnans, αὐσατον: est lapidem fieri, non per vnionem, sed per identitatem Deum, quam ita effici hominem, cum multo maior sit distantia, ac veluti interuallum, & extensio inter lapidem, & Deum, quam inter eundem, & hominem. Quandò igitur actus aliquis est diuinitus impossibilis falli, atque impossibilitas Metaphysica contrahitur ad peculiarem materiam, subire poterit latitudinem, & inæqualitatem extensiuam. Quam certe solam, & non intensiuam suscipi credibilius est à certitudine Physica, siuè naturali impossibilitate errandi, vt constat ex argumentis, quibus superiorem probauimus assertionem, necnon etiam exeo, quod impossibilitas illa naturalis, cui superandæ nullæ sufficiunt naturæ vires, est veluti intensiuè summa: at quæcunque est supra omnes naturæ vires: nulla ergo non est intensiua ratione summa, nulla consequenter alteri inferior.

72 Asserendum est quintò, actus intellectus nostri ita comparatos esse, vt alij sint Metaphysicè euidentiores aliis: siquidem hæc principia: impossibile est idem simul esse & non esse: quodlibet est, vel non est: & alia id genus vniuersalissima magis euidentia sunt, quam alia particularia, quibus passim scatent scientiæ omnes, minusque illis, quam his possumus dissentiri: qui enim prioribus neget assensum, nullus aut certè, vix vllus est: qui autem non assentiant posterioribus, tot reperias, quot sunt hebetioris ingenij, & in scientiis parum versati. Dices, principia etiam particularia, videlicet Physica, aut Geometrica, vel Musica, aliarumve facultatum à nullo non extorquere fidem, assensumque, si terminos ei, cui proponuntur ita declares, vt illos recte percipiat. Cæterum, vel hinc colligitur, generalissima illa axiomata maioris esse euidentiæ, quam inferiora, & ex eis in singulis scientiis deriuata: si quidem, vt vim inferant intellectui, eumque à dissensu ineluctabiliter auertant, multo minori egent declaratione terminorum.

73 Porrò quod huc vsque diximus, euidentiam, & coniunctam cum ea certitudinem, interdum esse maiorem, interdum minorem, idque, siue moralem, Physicam, & metaphysicam inter se, siuè etiam singularum species ac partes subiectiuas inuicem compares, apprime confirmari, & declarari potest exempro lucis huius corporeæ, qua oculos, animosquè nostros recreamus: alia namque plus alia, alia minus est radiosa & clara. Qua etiam similitudine vsus est Paulus 1. Corinthiorum cap. 15. ad probandam, & explicandam inæqualitatem gloriæ, in qua resurgemus, *alia* inquiens, *est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

CAPVT VI.

Certitudinis, & euidentiæ formalis inæqualitas, vlterius explicata.

PRincipio dubitabis, an actus fidei diuinæ ex genere suo sit certior extensiue omni principio metaphysico? nam de intensiua certitudine, haud posse esse dubium, eamque, sicubi sit metaphysica, haud posse subire, quod aiunt, magis, vel minus supra manet ostensum. Esse censent P Hurtadus disp. 8. de anima sect. 6. §. 33. P. Rubius lib. 1. posterior. c. 2. q. 3. num. 38. ad finem, & num. 42. & 43. & communiter alij plures. Primò, quia fidelis omnis potius quodvis principium Metaphysicum, quam actū fidei mallet negare, si alterutrum esset negaturus: magis ergo adhæret obiecto per actum fidei, quam per vllum principium Metaphysicum: certitudo autē posita est in adhæsione, ac determinatione ad veritatem obiectiuam: maior ergo est certitudo fidei, quam vllius principij Metaphysici. Secundo, quia quò plures sunt rationes determinantes actum ad veritatem, eo actus ad illam est magis determinatus, certioruè, & infallibilior: at plures rationes determinant actum fidei ad veritatem, & à falsitate auertunt, quam principium vllum Metaphysicum: siquidem ne ille possit esse falsus, facit habitus supernaturalis, à quo oritur, quippe cui repugnat esse principium erroris, tum etiam ratio obiectiua, sub qua tendit, videlicet diuina reuelatio, cui etiam conuenit, quod non possit esse principium actus falsi: at quominus axioma Metaphysicum falsitatem subeat, impedimento solum est eius obiectum, quod planè est suapte natura certum, & euidens. 74

Harum tamen rationum neutra conuincit. Ad primam dicendum est, eò tantum valere, vt actus fidei sit certior principio Metaphysico certitudine affectiua, & extrinseca, non verò intellectuali, & intrinseca, de qua sola est quæstio. Et quidem pia affectio voluntatis suam habet certitudinem more cæterorū actuum efficacium arbitrij nostri, vt, & supra declaratum est initio capitis præcedentis, vtquè expressit Tacitus lib. 12. ad eius finem, *tum Agrippina*, inquiens, *sceleris olim certa, & oblitæ occasionis propera, nec ministrorum egens de genere veneni consultauit*: id est, quæ omnino, & vt sic dixerim, efficaciter decreuit patrare scelus, vt Budæus, & alij interpretantur. Quid ergo mirum, si pia affectio suam illam certitudinem refundat in actum fidei à se prognatum, faciatquè, vt eatenus haud sit ita certum principium Metaphysicum? 75

Ad secundam rationem contrariam respondebit aliquis, non, si plures causæ sint existentiæ ignis v.g. eum propterea magis existere, quam si à paucioribus dependeat: tam enim existit, si sit à solo Deo, siuè à Deo, & alio igne, nec minus, si ab vno igne, quam si à centum. Similiter ergo, non, quo sunt plures rationes determinationis ad veritatem in actu fidei elucente, eo oportebit illum esse magis determinatum ad veritatem, magisuè certum. Verum in contrarium est, quamlibet rationem determinantem actum fidei ad hoc, vt sit verus, eum reddere impossibilem, ac nescium falli: proinde, si eiusmodi rationes determinandi sint in eo plures, quam in principio Metaphysico, magis impossibile non esse non posse, vt ei, quam huic falsum subsit, adeoque maiorem esse vnius, quam alterius certitudinem, siquid valet discursus à nobis capite præterito factus. Hinc constat, exemplum causarum producentium 76

ignem

ignem nullius esse momenti : siue enim sint multæ, siue paucæ causæ ignis, eundem semper producunt, suumque concursum, non vero eius entitatem variant : at rationes determinantes ad veritatem actus, non eandem impossibilitatem errandi semper efficiunt, sed quo sunt plures, maiorem extensiuè, magisque numerosam, & quo pauciores, minorem, ac magis raram.

77 Quocirca aliter respondeo, vt ad veritatem actus fidei determinant, tum obiectum, tum etiam diuina reuelatio ei formaliter obiecta modo superius explicato, ita similiter hoc principium metaphysicum, verbi gratia, quodlibet est, vel non est ; determinari ad veritatem, tum ab obiecto, vt largiuntur etiam aduersarij, tum à principio suo, videlicet lumine naturali intellectus, quod perceptis terminis haud potest falli in materia adeo per se nota, id enim esset intellectum nostrum, veluti in Sole caligare. Quocirca tenendum est, actum fidei ex genere suo præscindere ab eo, quod sit certior, vel minus certus principio metaphysico. Quod si, vt docent Gabriel, in 3. distinct. 12. littera D, & distinct. 38. littera G. Adamus in 3. distinct. 14. quæst. 4. articulo 2. Almainus in moral. cap. 7. Alliacensis in 1. quæst. 2. dub. 3. solut. ad 4. fidei diuinæ potest diuinitus subesse falsum, certitudo fidei non solum non erit maior ex genere suo certitudine principij metaphysici, sed potiùs longè minor : prior enim ea facta hypothesi tantum est physica, hæc vero posterior metaphysica.

78 Secundò loco dubitabis, an præmissæ demonstrationis simul sumptæ esse debeant certiores, euidentioresque conclusione ? Debere tradunt Aristoteles lib. 1. poster. cap. 2. textu 4. & communiter antiqui eius interpretes : Idem docent cum B. Thoma 1. part. quæst. 87. art. 2. ad 3. & 4. metaphys. lect. 2. & in commentario super citatum cap. posteriorum plerique eius asseclæ : Item ex nostris Vallez in Logica tom. 2. lib. 1. disp. 2. quæst. 5. à cap. 3. Rubius lib. 1. poster. cap. 2. quæst. 3. numero 40. Tellez disp: 17. Logicæ sectione 4. Collegium Conimbr. 1. posteriorum c. 2. quæst. 2. artic. 5. §. *euidentia, quæ, vt diximus* ; & §. *sit nihilominus*.

Mouentur autem primò : quia, quò magis est propinqua lumini rationis aliqua propositio, eo magis euidens est, sicut quo magis aliquid est propinquum luci corporeæ, eo euidentius cernitur : at præmissæ magis immediatæ sunt, quam conclusio, vt vero verius, ac proinde lumini rationis magis appropinquant : ergo sunt conclusione magis euidentes, adeoque certiores. Secundò : conclusio habet intrinsecè, & essentialiter diuersum modum tendendi à præmissis, ratione cuius indiget existentia præmissarum, aut certè earum memoria ad hoc, vt obiectum suum perfectius possideat, in eoque magis quiescat : igitur ex modo tendendi suo præmissis est minus certa, & euidens. Tertiò : *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale* : at conclusio est certa, & euidens propter præmissas : hæ igitur conclusionem certitudine, & euidentia superant. Quartò euidentia, ac certitudo præmissarum est duplex, conclusionis verò vna : illarum ergo certitudo, & euidentia est extensiuè maior, quam huius : at non est quæstio impræsentiarum de alia euidentia, ac certitudine, quam de extensiua : quæ enim est extensiua in eodem genere non suscipit magis, aut minus, vt dictum est multoties.

79 Quintò : lux isthæc corporalis nunquam producit aliam sibi æqualem, sed quæ est vt octo, verbi gratia, illuminat, vt septem, & hæc vt sex, & sic vlterius donec ad infimum, & indiuisibilem lucis gradum deueniatur : id enim habent omnes qualitates actiuæ, vt operentur vniformiter difformiter, hoc est intensiùs in subiecto propinquiori, & remissius in magis distanti : quod si lux huius subiecti A, verbi gratia, in subiecto B. proximo parem sibi lucem efficeret, hæc etiam in vicino subiecto similem ageret, & ista aliam propè se intensiuè sibi non inferiorem, ac proinde lucis diffusio esset vniformis tantum, non vero difformis ex parte, contra quàm experientia testatur. Similiter ergo lux mentis, qualis est cognitio certa, & euidens, nunquam producere poterit in intellectu aliam æqualis claritatis : posset autem, si præmissæ non deberent ex genere suo esse certiores, & euidentiores conclusione, aut, quod perinde est, si sustinerent esse eiusdem cum ea, & non maioris euidentiæ, & certitudinis. Sextò denique : si possunt præmissæ non esse certiores, & euidentiores conclusione, quidni minus certæ, & euidentes ? hoc autem posterius admitti non potest : alioqui enim erit, vt ex præmissis nullo modo certis, aut euidentibus, sed obscuris, & dubiis sequatur aliquando conclusio certa, & euidens, quod tamen est euidenter falsum.

Contrarium tamen est P. Hurtadi disputat. 10. 80
Logicæ sect. 3. & quod attinet ad certitudinem Patris Roderici de Arriaga disputatione 16. Logicæ sect. 4. subsect. 2. concluſ. 3. Quibus ipse accedo. Namque in primis, vt ab æquitate rationis argumentum desumam, intellectio humana à phantasmate corporeo dependet, & tamen eo certior, euidentior, & perfectior est : quantumuis igitur conclusio dependeat à præmissis, iis certior, euidentior, ac perfectior esse poterit, ac proinde è contrario præmissæ conclusione certiores, & euidentiores semper esse non debent. Secundò : quamuis conclusio pendeat à præmissis, ea dependentia essentialis non est ; quæque modo est conclusio sponte sua est indifferens, vt sit conclusio, vel præmissa comparatione alterius propositionis, vti ostensum est in loco : quare si præmissa aliqua, quatenus talis, certior, & euidentior est conclusionis assensu, sanè eadem propositio erit ex se indifferens, vt sit, vel non sit certior, & euidentior alia : consequens autem manifestè absurdum est, cum euidentia & claritas sit actibus essentialis.

Insuper tertiò : hic syllogismus est in Darij : omne 81
animal rationale est homo, sed aliquis homo est animal rationale, ergo aliquis homo est homo : at eius conclusio est euidentior præmissis : est enim identica, & directa ; illæ vero sunt formales, & earum altera indirecta : manifestum aueem est, propositionem identicam esse magis euidentem, quauis alia minimè tali ; idemque probabiliter sentiunt plures de directa respectu indirectæ. Confirmatur : propositio, in qua negatur idem formaliter de eodem, vt homo non est homo, est magis manifestè falsa, quam ea negatio, cuius subiectum, & prædicatum sunt formaliter aliud, & aliud, sin minus ex toto, saltem ex parte, veluti homo non est animal : similiter ergo affirmatio identica est magis manifestè vera quacunque alia non identica. Quod si quis obiiciat, syllogismum illum non esse verè syllogismum, sed paralogismum, quia constat duplici medio ; item, quia medium ingreditur conclusionem facilè repelli potest ex dictis in Dialect. lib. 5. tract. 2. cap. 2.

Ad primam rationem contrariam respondeo. Pro- 82
positio magis mediata, non eo ipso magis appropinquat lumini rationis, quam immediata, quia lumen rationis est intellectus, cui vtraque intimè præsens est : quod si per maiorem illam propinquitatem

cum

cum lumine rationis maior euidentia intelligatur, principium ab aduersariis petitur, cum probent, propositionem immediatam mediata magis claram esse, quia magis clara est. quare, quamuis præmissæ magis immediatæ sint, quam conclusio, ea tamen non erunt clariores. Ad secundam rationem contrariam respondeo: is tendendi modus conclusioni essentialis à nobis suprà non semel negatus est: nec ab aduersariis probatur: nec denique prodesse potest, esto probetur.

83 Ad tertiam rationem contrariam respondeo; Aristotelicum illud axioma: *propter quod vnumquodque tale, &c.* in primis non habere locum in causis materialibus, haud enim valet, Petrus est homo magis, quam Angelus propter corpus: ergo corpus est magis homo, quam Petrus. Non in formalibus: haud enim sequitur, paries est albus propter albedinem: ergo albedo est magis alba. Non etiam in causis efficientibus: haud enim valet, calor est propter ignem: ergo ignis est magis calor. Non item in causis formalibus extrinsecis, de quibus agimus, & cuiusmodi sunt præmissæ respectu conclusionis: haud enim sequitur, conclusio est vera, & existit propter præmissas: ergo hæ sunt magis veræ, magisque existunt, quam conclusio: hæc etiam sequela est nulla: intellectus intelligit propter speciem impressam, & vi illius: (vtique veluti causæ formalis extrinsecæ, iuxta non paucos) ergo species impressa magis intelligit. Quapropter superius illud axioma tantum habet locum in causis finalibus, & voluntatis propriis; vt medicina amatur propter salutem: ergo magis amatur ipsa salus. Quandoquidem ergo præmissæ non sunt causæ finales voluntariæ, vt sic dixerim, quid mirum, si esse non debeant maioris euidentiæ, ac certitudinis, quam conclusio, cui tribuunt, vt sit certa, & euidens?

84 Ad quartam rationem contrariam dicendum est; præmissas esse euidentiores, ac certiores assensu conclusionis extensiuè; at extensione se tenente ex parte actus, de qua non est sermo, non verò extensione sita in maiori, magisque, vt sic dicam, numerosa impossibilitate errandi comparatione vnius actus, de qua sola agimus in præsentiarum. Insuper præmissæ possunt esse idem indiuisibilis actus, esto id raro fortassis contingat: quod autem tunc sint certiores, euidentioresque etiam extensiuè assensu conclusionis, nequaquam quarto illo probatur argumento: non ergo quod conclusionem ex genere suo certitudinis, & euidentiæ gradu antecellant.

85 Ad quintam rationem contrariâ respondeo primò per instantiam: namque, esto vna lux non producat vspiam aliam sibi æqualem; at vnus ignis efficit alium eiusdem perfectionis: par est ratio aliarum innumerabilium causarum: quidni ergo harum ad instar præmissæ possint conclusionem eiusdem secum euidentiæ, ac certitudinis inferre? Haud enim cognitio nostra cum luce sola, sed etiam cum igne, & aliis rebus non paucis suam habet proportionem, & vicinitatem. Secundò respondeo, ob id lucem propè se non producere aliam parem, quia alioqui haud daretur vllus illuminandi terminus, nec lucis sphæra finiretur vnquam: quæ ratio non procedit in præmissis, & conclusione: hæc enim est talis, vt in ea intellectus sistere possit, & soleat, quantæuis sit claritatis.

86 Ad sextam rationem contrariam responderet aliquis, præmissas posse esse non maioris, sed æqualis euidentiæ, & certitudinis, ac est ea, qua pollet assensus conclusionis; quin inde liceat inferre posse illas esse minus euidentes, & certas consecutione; haud secus, atque in physicis causa efficiens adæquata, quamuis non debeat esse perfectior suo effectu, at iuxta omnes esse nequit minus perfecta. Verum cum præmissæ non sint, nisi causa inadæquata, eaque minus principalis conclusionis, potioresque in concludendo partes deferendæ sint intellectui; propterea solutio illa locum non habet in præsentiarum. Quocirca respondeo, ac multis partibus facilius, posse quidem præmissas esse minus certas, & euidentes conclusione, vt constat exemplo, quo vsi sumus in tertio nostræ sententiæ probamento. Pari ratione admitto, ex præmissis ineuidentibus, & obscuris ambabus deduci posse conclusionem euidentem, ex motiuo vtique proprio, & intrinseco, tametsi dicenda sit ineuidens per denominationem extrinsecam à præmissis: quo pacto Deipara ex præmissis fidei mortem Christi, cuius euidenter, & intuitiuè recordabatur, intulit, aut certè potuit. Eodem modo, & cum eadem moderatione censeo, deduci posse ex præmissis incertis conclusionem certam.

Addo tamen primo, præmissas, etiamsi non debeant, at posse quidem esse certiores, & euidentiores conclusione: quidni enim? Dices, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, est principium Metaphysicum summè certum, & euidens, ac tale, vt ei innitatur tota vis syllogistica: ergo non potest esse magis certum, & euidens, aliqua esse idem vni tertio, vt asseritur per præmissas, quam esse idem inter se, vt infertur in assensu conclusionis, alioqui suprà summam certitudinem, & euidentiam esse posset alia maior, quo nihil magis absonum. Declaratur: idem est, aliqua esse eadem vni tertio, ac esse eadem inter se: haud ergo vnum potest esse certius, aut euidentius alio: præmissarum ergo, quarum est illud prius asserere non potest esse maior euidentia, aut certitudo, quam conclusionis, cuius partes sunt posterius adstruere. 87

Respondeo; quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, esse principium metaphysicum, & quo fortasse nullus intellectus nostri actus esse possit certior, aut euidentior: at conclusionem non affirmare necessariò totum id, sed tantum aliqua esse idem inter se, alioqui non esset conclusio, sed principium, idque metaphysicum, & primum: quocirca non est, cur ea præmissis non possit aliquando cedere quoad euidentiam, ac certitudinem. Ad confirmationem dicendum est, duo quædam esse idem inter se, & ea esse idem vni tertio, esse quidem vnum, idemque obiectum reipsa, at distinctum, & multiplex ratione ratiocinata, & virtualiter intrinsecè: hoc autem posterius sufficere, vt alterum dilucidius, certiusque cognosci possit, quam cognoscitur alterum: quo pacto animalitas, & rationalitas, etsi magis virtute, quam reipsa sint distinctæ, tamen homine procul viso, possumus, & solemus de animalitate eius certi esse, illamque perspectam, & exploratam habere, quin rationalitatem nisi incerto, & obscurè eo in euentu noscamus. 88

Addo secundò, conclusionem dici certam, & euidentem, non solum per seipsam intrinsecè, ac per repræsentationem sibi essentialem, sed etiam per denominationem extrinsecam à præmissis, ex quibus oritur: tum, quia dicitur conclusio extrinsecè, & denominatione sumpta ab influxu præmissarum, cum interim seorsim ab eis, ac sponte sua possit esse, non conclusio, sed immediata cognitio sui obiecti: similiter ergo certitudinem, & euidentiam ab eis extrinsecus poterit emendicare: tum secundò, quia actus imperans refundit bonitatem suam moralem in actum imperatum, & intentio in electionem, vt 89

Theologi

Theologi tradunt, vt que ex eis facile esset ostendere, si esset huius loci: quidni ergo præmissæ certitudinem, & euidentiam suam in conclusionem refundant. His positis: conclusio, si sermo sit de euidentia ac certitudine, quam à præmissis haurit, esse semper debet eis minus certa, & euidens: eam namque certitudinem, & euidentiam præmissæ intrinsecè, & primariò participant, conclusio vero extrinsecè, & secundario, quem participandi modum quis non videat esse inæqualem? Atque fortassis hac ratione possunt explicari Aristoteles, D. Thomas, & alij graues, & antiqui authores nobis obiici soliti, nimirum, vt conclusio non penes euidentiam, & certitudinem sibi essentialem decedere debeat præmissis, sed solum quoad aliam ab his extrinsecus acceptam.

90 Tertio denique dubitari potest, an vna tantum præmissa, siue sit maior, siue minor, sit magis certa, & euidens, quam conclusio vel potius è conuerso? Pater Arriaga disputation. 5. section. 6. subs. paulo supra citatis, & conclusion. 2. numer. 30. censet, quamlibet præmissam seorsim sumptam esse magis certam conclusione: hæc enim, inquit, duplicem attingit veritatem, saltem implicitè, nimirum eam, quæ obijcitur ambabus præmissis: harum autem alterutra tantum vnam solam: atqui actus attingens vnam veritatem certior, & infallibilior est eo, qui complectitur plures: nam v. g. certiùs, & firmius adhæreo ei, qui mihi testatur, Petrum currere, quam attestanti, Petrum, Ioannem, & Ignatium currere: plus siquidem requiritur, vt actus ille, quo priori credo, & assentior, reddatur falsus, quam ille, quo affirmo, quod posterior mihi proponit: vt enim falsitas insit actui affirmanti Petrum currere, opus est, vt is determinatè non currat, nec sufficit, vt alius vllus non currat: at vt falsificetur actus asserens, Petrum, Ioannem, & Ignatium currere, necesse non est, vt Petrus non currat, aliusue homo destinatè, sed satis est, vt quicunque trium à currendo supersedeat: quæ cum ita sint, magis infallibilis, ac certus est actus quo cursum vnius, quam quo trium adstruo.

91 Cæterum hic discursus, etsi verisimilitudinem præseferat aliquam, parum tamen, nisi fallor, soliditatis habet, ac veri. Nam in primis in hoc syllogismo in Ferio: nullus homo est lapis, Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis: maior propositio plures cohibet veritates, pluribusque assentitur, quam conclusio: haud ergo illa erit magis certa, quam hæc, si quid valet ratio contrariæ opinionis: consequentia est perspicua: antecedens non minus: siquidem Ferialis illa maior adstruit, nec Petrum esse lapidem, nec Paulum esse lapidem, nec Iacobum esse lapidem, & sic de cæteris, conclusio verò, quod solus Petrus non sit lapis. Rursus secundo: nulla est præmissa, quæ per alias duas, vel à priori, vel à posteriori, aliterue probari non possit: nulla ergo est, quæ implicitè non attingat duas veritates more conclusiones: hæc ergo, cur sit ob numerum veritatum, quas complectitur præmissa vlla minus certa, illaue magis: Quod autem actu ita non probetur quæuis præmissa per alias, parum refert: nam ob id conclusio attingit implicitè obiectum præmissarum, quia hoc est reipsa idem cum obiecto conclusionis: hæc autem identitas est eadem, siue præmissæ existant actu, siue secus, siquidem identitas duorum haud est prædicatum existentiale, aut contingens, sed essentiale, & necessarium, vt certo certius.

92 E diuerso autem alij docent, conclusionem esse posse certiorem, & euidentiorem altera præmissarum. Ita iuxta non paucos Henricus 1. part. summ. art. 7. quæstion. 2. Ægidius quæst. 5. prologi: atque in eadem sententia fermè est P. Tannerus 5. quæst. distinction. 2. quæstion. 3. dub. 2. agens de obiecto Theologiæ, vbi etiam pro se refert P. Gregorium de Valentia tom. 3. disput. 5. quæstion. 1. punct. 2. Cuius opiniones fundamentum est tale. Quando ex altera præmissa de fide, vt aiunt, & naturali altera, infertur conclusio Theologica dici solita, vt omnis homo est risibilis; Christus est homo: ergo Christus est risibilis: aut hæc consecutio est de fide, & sic certior est maiori propositione, id enim habet fides, vt superet omnem certitudinem naturalis ordinis: aut non est de fide, atque ita etiam nequit non esse magis certa, quam maior, cum participet de certitudine minoris supernaturalis, ac de fide, cuius tamen est expers maior naturalis.

Verum hæc etiam ratio est parum momentosa. Siquidem, vtvt conclusio Theologica sit de fide, (qua in re meam nunc non interpono sententiam) haud propterea debet esse certior præmissa naturali: superius enim ostensum est, fidem haud esse magis certam, quam cognitionem naturalem euidentem, & omninò infallibilem. Deinde ex superfluo permitto, certitudinem fidei esse maiorem quauis naturali certè perperam contendunt aduersarij conclusionem, quæ non est de fide, huius tamen participare certitudinem, quia ex ea infertur: haud enim censenda est inferri ex ea sola, sed ex ea, & alia præmissa naturali, vt supponitur minus certa: debiliorem autem partem secundum omnes amat sequi, non vero potiorem: ergo non fidei supernaturalis instar debet esse certa, sed potius instar maioris naturalis, ac proinde hac magis certam illam esse non oportet. 93

Confirmatur quando conclusio aliqua infertur ex vna præmissa probabili, & incerta, aliaque certa, & euidenti, illius incertitudinem sequitur, non vero huius euidentiam, & certitudinem: similiter ergo quæ efficitur ex propositione fidei, & naturaliter euidenti, ac certa, non illius maiorem, sed huius minorem certitudinem vendicabit. Porro, vt hoc interim moneam, quod iamiam dictum est, conclusionem deductam ex altera præmissa incerta debere esse similiter incertam, id iuxta superiorem doctrinam intelligendum attentis dumtaxat præmissis, etsi non aliud, quam illarum motiuum respiciat: Quod si alio sibi proprio ducatur, nihil vetat ex eo illam esse certam, & euidentem. Quo etiam pacto non pauci eorum, qui tuentur conclusionem debere esse minus certam ambabus præmissis, id accipi volunt cum hac restrictione: *Quod ad præmissas attinet*: cum interim non renuant aliunde conclusionem esse posse certiorem, aut æquè certam. *Diximus*, inquit, Rubius in citatum cap. posteriorum n. 43. ad finem) *conclusionem vt ex præmissis infertur minorem habere certitudinem, quia aliunde poterit habere æqualem.* 94

Quapropter existimo, conclusionem contentam alteri præmissarum, & præmissam alterutram è conuerso conclusioni, ita institutas esse, vt neutra ex genere suo superet alteram certitudinis gradu: aliquando autem contingere, vt excessus sit hinc, interdum verò illinc. Quod autem dico de certitudine, id de vtriusque euidentia, dictum puta. 95

TRACTATVS VI.

De voluntate.

CAPVT I.

Quid sit voluntas.

1 LVRA ex iis, quæ ad voluntatem attinent, explicuimus tum in Physica, cum de causa finali nobis sermo esset, tum etiam in hoc opere superius, cum de bono tertio entis attributo ageremus: verum quia vestibilis est hic ager, & frequenter excurri potest: idcirco quæ prædictis locis omissa sunt, in præsenti sicilienda nobis erunt. Voluntas igitur est potentia appetitiua spiritualis: eius obiectum adæquatum formale adæquatum esse bonum, sicuti verum intellectus, adeo tritum est, vt non tam dici: quam non omitti debuerit. Illud vero quæstionem habet, an finis sit obiectum formale adæquatum voluntatis? Cuius etiam quæstionis affirmatiua pars verior est, meo quidem iudicio apertè sequitur ex eo, quod extra quæstionem esse suppossuimus: nam bonum, & finis in idem coincidunt, vt docet Aristoles 3. Ethicor. cap. 7. ibi: *finis autem omnis operationis est, qui secundum habitum; & forti autem fortitudo bonum talis autem finis: determinatur autem vnumquodque fine: boni vtique gratia fortis sustinet, & operatur secundum fortitudinem, &c.* Cum igitur bonum sit obiectum formale adæquatum voluntatis, sanè finis etiam eiusmodi obiectum erit. Adiice etiam quod B. Thomas id etiam doceat 1.2. q. 1. art. 1. ibi: *Obiectum autem voluntatis est finis, & bonũ: vnde oportet, quod omnes actiones humanæ propter finem sint.*

2 At contra hanc sententiam obiici solet: medium vt medium non esse finem, sed potius aliquid gratia finis: sed medium vt medium est obiectum formale voluntatis; quoniam obiectum formale est, quod propter se amatur: at medium vt medium propter se amatur, si quidem ideo amatur, quia est vtile ad finem. Ad hæc: quod ita comparatum est, vt aliquid propter ipsum ametur, est obiectum formale: huiusmodi autem est medium non vltimum, nec executioni proximum, vt v.g. quando quis vocat famulum, vt phlebetomum accersat, & huius aduentum desiderat propter scissionem venæ, & hanc propter attenuationem humorum, & hanc propter salutem: en quatenus plura media talia sunt, vt propter ipsa amentur alia. Respondeo iuxta ea, quæ in Physica diximus, duplicem esse finem: alterum proximum, alterum remotum: nullumque esse obiectum formale voluntatis, quod eius finis proximus, aut remotus non sit: mediumque vt medium esse finem proximum voluntatis, sicuti eius obiectum formale esse, ex iam iam dictis constat, licet finis quidem vltimus, ac remotus non sit: sed potius vlteriorem finem præsupponat. Quamuis autem non pauci Scholastici cum P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 4. cap. 2. diuisionem illam finis non admittant, sed potius omnem finem intermedium de medio tollant; oppositum tamen magis verum est; conclusio namque ita talis est respectu maioris, & minoris ad se præmissæ, vt possit esse ipsa maior, & minor respectu alterius conclusionis; itaque infertur, & causatur, vt ipsa aliam propositionem concludere, & causare queat: igitur aliquid ita potest esse medium respectu vnius finis supremi, vt simul possit esse finis respectu alterius medij, & non solum causari in genere causæ finalis, verumetiam causare. Adde Aristotelem 1. Ethicor. cap. 7. præter finem supremum fines etiam intermedios statuere.

3 Verumenimverò alij aliter argumento respondent, medium scil. vt medium non esse obiectum formale voluntatis, sed tantum materiale, illudque non amari propter bonitatem aliquam sibi intrinsecam, sed solũ propter bonitatẽ finis sibi exttinsecã. Primò quia cum quis adorat imaginẽ, ipsa est obiectum solũ materiale, & exemplar obiectum formale: aliàs talis adoratio in idololatriam migraret: ergo similiter cum quis vult medium propter finem, hic solum erit obiectũ formale & illud materiale. Secundo quia sublato fine nulla bonitas mediorum, nullaque vtilitas esse potest: ergo media non nisi per denominationem extrinsecam à fine, bona atque vtilia sunt: cum igitur media amantur, quia sunt vtilia ad finem, & propter bonitatem, ac conducentiam, quam habent respectu illius non propter se, sed propter finẽ amantur. Tertio quia nulla facta mutatione intrinseca in medio modo mihi vtile, modò noxium est: potio enim ægrotanti vtilis, eademque rectè valenti nociua est: igitur bonitas, & vtilitas cuiusuis medij est ei extrinseca, & à solo fine profecta: ac proinde cum medium propter vtilitatem ad finem eligitur, nisi propter finem non amatur. Tandem ex oppositio sequeretur, omnem rationem obiecti materialis de medio tolli: siquidem præter finem, & media nihil respicit voluntas: si ergo vtraque sunt obiectum eius formale, quidnam eius obiectum materiale futurum est? Hanc tamen doctrinam falsam esse facile conuinci potest: nam si media tantum essent bona bonitate finis, omnia media essent æqualiter bona, & vtilia, eo quod in eundem finem conducant: at media æqualiter bona, & conuenientia non sunt; sed aliqua maiorem, alia minorem bonitatẽ, vtilitatemque habent. Respondent aduersarij, media esse inæqualiter bona, præcisè quia bonitatem finis inæqualiter participant, siue quia diuersam efficacitatem in finem habent. Cæterum hæc euasio absque negotio excluditur: nam iuxta eam defendi posset, creaturas non esse bonas bonitate sibi intrinseca, sed solum per denominationem extrinsecam à bonitate creatoris, quam inæqualiter participant: consequens autem hæret; cum est: quare sicut inæqualis participatio diuinæ bonitatis est bonitas quædam creaturis intrinseca, & essentialis: ita similiter inæqualis participatio finis, ac diuersa in eum efficacitas non sine bonitate intrinseca, & essentiali mediis conuenire poterit.

4 Argumenta vero in oppositum adducta solutionẽ, illamque luculentam habent. Ad primum dici potest, eodem animi motu, eodemque cultu, & reuerentia tã imaginem, quam exemplar immediatè, & proximè à nobis adorari, non tamen eodem modo: siquidem imaginem adoramus præcise, quia coram illa signa submissionis edimus, non tamen vt nos ei interius submittamus: exemplar vero adoramus, quia coram illo prout cum imagine mentis nostræ cogitationis coniuncto signa submissionis exhibemus, vt nos ipsi subiiciamus, illudque nobis superius esse protestemur. Quare cum nota exterior imaginem immediatè tangat, & spiritus submissionis exemplar; sanè imago cum exemplari eundem terminum immediatum, idemque obiectum formale adorationis constituet. Cum igitur adoratio habeat pro obiecto formali ipsam imaginem, licet semper in exemplar referat cultum imagini exhibitum; cur etiam electio medij hoc velut obiectum formale proximum non respiciat, vtcunque illud in finem porrò referat? Ad secundum dici potest, sublato fine nullam bonitatem, aut vtilitatem remanere in mediis, non quod hæc præter bonitatem finis nullam aliam habeant, sed quod eorum

bonitas

bonitas sit essentialiter respectiua, ac tota in ordine ad finem sita: qua etiam ratione sublata omni causa efficienti eximitur de medio tota entitas effectus, non quod entitas effectus, & entitas causæ efficientis eadem sit, sed quod ambæ relatiuæ sint.

5 Ad tertium dicendum est, aliud esse medium aliquod esse mihi vtile; aliud vero eiusmodi medium esse vtile ad assequutionem alicuius finis: prius enim duo inuoluit, alterum implicitè, alterum explicitè, nempe tale medium esse vtile ad aliquem finem assequendum, atque etiam eiusmodi finem mihi commodum esse: posterius vero vnum tantum importat, illud scilicet, quod verba ipsa præseferunt. Hinc est, quod medium esse vtile mihi, sit denominatio non solum intrinseca medio, sed extrinseca & à bonitate, finis sumpta: atque de hac vtilitate, & bonitate medij bene verum illud est, quod in argumento opponitur, nulla facta intrinseca mutatione in medio eius tamen vtilitatem variari, eandemque potionem in se inuariatam modò mihi vtilem, modò iuutilem esse. Quod si medium sumatur præcisè velut vtile ad talem finem consequendum, atque de posteriori, non verò de priori vtilitate sermo sit, profectò quod vtile sit, est ei denominatio omnino intrinseca, & essentialis: potio enim in exemplum adducta semper est vtilis ad refrigerandum, aut humectandum; & hoc respectu ne diuinitus destitui potest, quantumlibet mihi modi vtilis, modò inutilis sit; prout nimirum noxi humiditatis, aut frigiditatis gradus mihi prosunt, aut nocent: sic potio est per se ipsam essentialiter, & non per denominationem extrinsecam delectabilis, & tamen pro varia subiecti dispositione modò delectat, modò non delectat. Ad vltimum dici potest, rationem obiecti materialis de midio non tolli, quamuis medium obiectum formale esse statuatur: siquidem medium erit obiectum materiale quatenus propter finem amatur, & ex complacentia illius eligitur, esto etiam sit obiectum formale quatenus ratione vtilitatis sibi intrinsecæ attingitur, aut ad electionem medij vlterioris mouet.

6 Vlterius hic controuerti potest, quando quis bonum alicui amat, ac cupit, quodnam eius amoris obiectum formale terminatiuum sit, siue quid per eum actum proximè ametur? Quamuis autem P. Vasquez lib. 3. de adorat. disp. 1. cap. 6. & to. 1. in 1. part. disp. 84. cap. 2. & to. 1. in 1. 2. disp. 14. c. 3. & 4. & disp. 33. c. 1. censeat per talem actum propriè, & immediatè amari non solum finè *qui*, siue bonum amici (quod est extra controuersiam) sed etiam bonum *cui*, siue personam amici: cæterum oppositum longè pobabilius est: nam qui ama alteri bonum, siue, quod perinde est, alterius bonum, finem *cui* solùm in obliquo amat: hac autem ratione amare est impropriè amare: aliàs amans odium peccati, hoc ipso peccatum propriè amaret, quo tamen nihil absurdius est. Hinc colligitur spem, qua Deum nobis desideramus, eoque frui ardemus, esse virtutem Theologicam: quia licet eius finis *cui*, sit persona creata, finis tamen *qui* est obiectum increatum: virtus autem specificari debet non à fine *cui*, quem solum extrinsecè amat, & ex cuius amore oritur, sed à fine *qui*, quem intrinsecè amat, & propriè, ac immediatè respicit. Hinc etiam, est actum, quo proximo summum bonum cupimus, esse actum spei Theologicæ; non enim nobis solùm, sed & aliis speramus: aliquando tamen ille actus dicitur actus charitatis, aliquando vero beneficentiæ, alteriusve virtutis Theologicæ; non quod ad has virtutes formaliter spectet, sed quod ab earum actibus imperari soleat, & modò ex complacentia Dei, modò ex complacentia proximi oriatur.

Rursus disputari potest, an omnis finis *cui* sit obiectum formale saltem motiuum, ac extrinsecum voluntatis alicui bonum desiderantis? Nonnulli enim Recentiores existimant, cum aliquis sibi ipsi bonum desiderat, seipsum neutiquam esse obiectum formale motiuum eiusmodi amoris, ac desiderij: secus tamen esse, cum aliter bonum amat. Huius doctrinæ hanc rationem tradunt, quæ est nobis naturalis propensio ad commoda nostra, possumus quidem velle nobis bonum absque præuia complacentia nostri, supplente nimirum naturali appetitu, quod efficeret elicitus, si præesset: huius rei signum est, quod sæpe desideramus nobis ea, quæ nobis profutura sunt, quin bonitatem aliquam in nobis præcogitemus, aut putemus; sed potius nos malos, omnique bono indignos videamus: at vero cum bonum alteri cupimus, non nisi ex præuia illius complacentia ita in eius bonum afficimur: tum quia non adeo naturaliter propendemus in alterius compendium, ac in nostrum: tum etiam quia experimur, non sine præuia cognitione bonitatis alterius, nos eius causa velle: quare cum bonum increatum, aliudve nobis cupimus, ipsi neutiquam sumus eius amoris obiectum formale motiuum: secus autem euenit, cum illud alteri experimus. Hinc colligunt hi Authores desiderium summi boni, si sit respectu nostri esse actum virtutis Theologicæ; secus vero si sit respectu alterius. 7

Hæc tamen doctrina mihi magnopere displicet: tum quia independenter ab ea rectè explicatur, quatenus spes sit virtus Theologica: quod autem ex ea infertur actum, quo proximo cupimus summum bonum, non esse virtutis Theologicæ falsum est: vtrumque autem horum numero superiori vidimus: tum etiam secundo, quia pari facilitate ab aduersariis confingi posset, vnumquemque fratri, aut filio, aut etiam amico, qui alter ego à nobis vocari consueuit, absque præuia eorum complacentia bonum semper appetere; quæ nimirum est cuiuis cum filio, aut fratre, aut amico coniunctio, ac naturalis quædam propensio in bona ipsorum. Deinde tertio: haud magis innatè propendet voluntas nostra in bonum nobis cõueniens, quàm intellectus noster in bonum suum, id est, in iudicium, quo veritatem assequitur: at hoc non obstante intellectus vt veritatem assequatur per iudicium præuia apprehensione vtitur: quidni ergo voluntas nostra præuia sui complacentia dirigi possit ad hoc vt bonum efficaciter sibi amet, & adipiscatur? Præterea quarto: finis *qui* non magis propriè finis est, quàm finis *cui*: imò è diuerso se res habet, cùm voluntas in fine *qui* non sistat, sed potius illum in finem *cui* ordinet, vt in Physica lib. 4. exposuimus: at finis *qui* qualiscumque sit, potest esse obiectum formale motiuum voluntatis, & ex præuia complacentia sui in alterius amorem ducere, vt aduersarij in confesso habent: ergo à fortiori finis cui qualiscumque siue proprius, siue alienus sit; poterit tamen esse obiectum formale motiuũ, ex cuius præuia complacentia alterius boni desiderium oriatur; præsertim cum omnis finis *cui* hoc ipso sit obiectum formale, propter quod consequenter aliud amari potest. 8

Hactenus explicuimus voluntatem in ordine ad finem, bonumque; superest, vt eam ad malum, & adiaphorum, siue indifferens comparemus. Quod autem ad malum attinet, Nominales cum Ochamo quæstione decimatertia dub. 3. censent, voluntatem posse amare malum sub ratione mali, siue malum præcisè tale posse esse obiectum formale eius affectus, qui prosequutionis appellatur. Cæterum communiter hæc sententia reiicitur. 9

10 Primò, quia manifestè repugnat Patribus, quos referunt P. Suarez disp. 23. Metaphys. sect. 5. n. 3. & P. Vasquez tom. 1. in 1.2. disp. 31. cap. 2. Ex quorum consensu effluxit commune adagium, nemo intendens ad malum operatur. Secundo: quia voluntas ad id instituta est, vt per eam homo quærat cõuenientia sibi, ac respuat ea, quæ sibi non conueniunt: fini ergo, & institutioni voluntatis repugnat, vt illa appetat sibi inconuenientia, & mala; vel etiam, vt respuat bona, & conuenientia quatenus talia. Tertio: quod amatur, attrahit ad se voluntatem, eamque allicit, vt ex terminorum apprehensione liquet: at malum vt malum præcisè non allicit voluntatem, sed eam à se auertit. Obiiciunt tamen aduersarij cum Scoto in sententiam proximè refutatam haud parum inclinante: potest quis velle odium Dei, licet pro priori excæcatus non sit: excæcatio enim affectum prauum non antecedit, sed tanquam pœna subsequitur: ergo potest quis velle odium Dei, quamuis illud vt præcisè malum apprehendat, nullamque rationem boni per errorem in eo agnoscat. Obiiciunt secundo: vnusquisque potest odisse inimicum suum: at odisse, & inimicari teste B. Thoma 1.2. quæstion. 29. articul. 2. est velle alicui malum, quia malum ei est. Hæc tamen argumenta non vrgent: is enim, qui amat odium Dei absque vlla excæcatione potest illud apprehendere vt sibi delectabile, ac proinde non moraliter, sed physicè bonum. Cum autem malum inimico volumus, nonnisi quia nobis bonum est, illud volumus: cum enim eius persona nobis displiceat, quod male ei sit, tanquam bonum & conueniens nobis apparet: ac reuera sicut non esse non entis est esse ens: sic etiam malum mali nostri, siue noxa inuisi capitis bonum nostrum quodãmodo est.

11 Quod autem ad indifferens attinet, Hieronymus ab Angelo cap. 2. moralium in 2. part. textus notat. 2. docet, illud posse esse obiectum formale voluntatis, & hanc amare, aut odisse rem nullâ perspectâ in ea bonitate, aut malitiâ. Cæterum hanc sententiam haud immerito stultam esse pronunciant Pater Vasquez vbi supra: tum quia manifesta experientia constat, nunquam à nobis amari rem, nisi quia conueniens aut odio haberi nisi quia nobis inconueniens non omnis boni amans, quod voluntas est: aliquid autem conuenire, est bonum esse; & disconuenire, malum esse. Tum etiam quia si posset quis velle obiectum, in quo nullam comperit bonitatem; non video, cur obiectum positiuè malum, & velut tale apparens amare non posset. Plura alia de obiecto voluntatis possent disputari: vt quod possibilis sit voluntas non omnis boni amans: quod nostra cum appetitu sensitiuo in operando connectitur: quæ tamen, aliaque eiusmodi supra explicuimus, cum de intellectu ageremus. Hactenus natura voluntatis explicata potissime ex eius obiectis: reliquum est, vt de eius actibus disseramus.

Caput II.

De variis speciebus actuum voluntatis.

12 Prior, & vniuersalior diuisio actuum voluntatis est in amorem, & odium: amor autem siue volitio est vnio quædam affectiua amantis, & rei amatæ: odium vero, siue nolitio est separatio quædam affectiua, & intentionalis voluntatis ab obiecto. Ita ex Augustino 8. de Trinit. capit. 10. & Dionysio capit. 4. de diuinis nominib. vniuersi Theologi. Porrò circa prædictam diuisionem dubitari potest primo, an sit adæquata? id est, an detur aliquis actus voluntatis, qui respectu sui obiecti nec amor, aut odium, volitio, aut nolitio sit? Aliqui enim Neotherici actum illum medium adstruere conantur: primo, quia datur actus intellectus iudicatiuus medius inter affirmationem & negationem sui obiecti, nimirum actus dubitans de obiecto: cur ergo dari nequeat aliquis actus voluntatis hærens circa suum obiectum, & eius volitionem, ac nolitionem impediens, haud aliter ac per dubitationem affirmatio, & negatio impeditur. Secundo, quia volitio conditionata, qua verbi gratia, volo Petrum adire, & alloqui, si foras egrediatur, attingit non solum conditionatum, nempe Petri colloquium, sed etiam conditionem, scilicet egressum: at eiusmodi actus voluntatis nec est volitio, aut nolitio conditionis: qui enim vult alloqui Petrum, si foras egrediatur, non censetur velle, aut nolle foras egredi, vt manifestum est.

Nullum tamen eiusmodi actum medium dari longè probabilius est: omnis enim actus voluntatis est motus quidam intentionalis respectu sui obiecti, vt nemo non nouit; aut ergo est motus ad illud, & ita erit eius prosecutio & amor, aut est motus ab illo, & ita erit eius fuga & odium: quod autem sit vel ab obiecto, vel ad illud, liquet exemplo motus localis, qui si terminum aliquem immediatè, & per se respicit, vel ab illo, vel ad illum esse; atque adeo vel ab eo recedere, vel ad illum accedere debet. Rursus: nequit dari iudicium intellectus, quod respectu sui obiecti affirmatio, aut negatio non sit: ergo nec actus voluntatis, qui volitio, aut nolitio sui etiam obiecti non sit; ac proinde placitum hoc cum suo fundamento corruit. Antecedens autem constat: actus enim dubius est mera apprehensio, non vero iudicium respectu illius obiecti, de quo nihil affirmat, aut negat: qua de causa ita dubitans iudicium suum suspendere dicitur, respectu vero eius obiecti, cuius est iudicium affirmatio etiam, aut negatio est: qua ratione is, qui dubitat, neutram contradictionis partem affirmari posse vt iudicat, sic etiam affirmat: iudicium ergo de aliquo obiecto nihil de ipso affirmans, aut negans repugnat: si quod enim tale iudicium esset possibile, maximè cognitio dubitatiua. Tandem volitio conditionata conditionem, vel non attingit, vel si attingit: certè eam velle, aut nolle dicetur: alterum ergo huius sententiæ fundamentum ruinosum. Prior disiunctionis pars valde probabilis est: quãdo enim quis vult aliquid sub conditione, nimirum alloqui Petrum, si egrediatur foras; conditio ex parte solius intellectus, & non voluntatis sese fortassis habet, egressusque, licet à volũtate attingi videatur, solum tamen ab intellectu cognoscitur: sicut etiam hæ voces, *vellem hoc ita esse*, multoties non significant, nos aliquid velle sed potius iudicare quam volitionem essemus habituri in his, vel illis circunstantiis, cum tamen actum voluntatis significare videantur. Posterior disiunctionis pars suadetur qui amat colloquium Petri, si egrediatur foras amat etiam ipsum egressum non secundum se, & prout condistinctum à colloquio Petri (cum tamen eum prout condistinctum à quouis alio cognoscat intellectus) sed per modum vnius cum illo, & prout constituit cum illo aliquam rationem boni cuiusdam conditionati: non enim colloquium præcisè, sed colloquium sub illa conditione velut bonum voluntati proponitur.

13

Dubitari secundo potest circa superiorem diuisionem, an sit in membra inter se adæquatè distincta, & inuicem non inclusa, sicut leges bonæ diuisionis exigunt? Angelus lib. 1. de virtutibus cap. 3. docum. 1. Olcot. & alij, quos refert Almainus

14

in

in 3. dist. 19. q. 1, negatiue respondent, ac censent nolitionem alicuius obiecti nihil aliud esse, quàm volitionem obiecti contradictorij: cæterum falluntur, quia vt in Dialectica lib. 4. tract. 1. cap. 3. ostensum manet contra Neothericos, non omne iudicium intellectus est affirmatio, sed aliquid est mera negatio: ergo, &c. Et quidem ipsa experientia odium ab amore distinguens vsque adeò manifesta est, vt omnis alia probatio videatur mihi superuacanea esse. Dices tamen: motus localis, & physicus, quamuis sit recessus ab vno loco, est tamen posiurus accessus ad alium: pari ergo ratione motus intentionalis voluntatis, per quem recedit ab obiecto malo, erit reipsa accessus ad bonum, eiusque prosequutio. Respondeo, motum physicum, & localem semper versari inter duos terminos; ac proinde indiuisibiliter esse accessum ad vnum, & recessum ab alio: actum autem voluntatis non semper versari inter duos terminos quos velut obiecta respiciat; cum multoties contingat, eum non nisi ad vnum obiectum terminari: vnde posse esse vel præcisè accessum ad bonum, si à malo præscindat, vel recessum à malo, si à bono abstrahat: proportio ergo, & analogia inter motum physicum, & intentionalem prædictæ sententiæ non fauet.

15 Explicata diuisione amoris & odij, proximum est, vt vtrumque subdiuidamus: amor ergo dissecari solet in amorem amicitiæ, & concupiscentiæ: amor amicitiæ est amor eius personæ, cui bonum aliquid volumus, siue propria, siue aliena sit; & interdum amor beneuolentiæ appellatur: amor vero concupiscentiæ est amor eius boni, quod alicui personæ volumus. Ita B. Thom. 1. 2. quæstion. 26. artic. 4. Scotus in 2. distinction. 6. quæst. 2. Vasquez 1. 2. disp. 1. cap. 3. & communiter reliqui scholastici: his affectibus è contrario respondent odium inimicitiæ, quod ad personam, & odium abominationis, quod ad inimici personam attinentia terminantur. Hic autem dubitari potest an eiusmodi actus sint realiter distincti? Scotus vbi supra dist. 6. & Gabriel in eadem dist. quæst. 1 art. 1. & alij non pauci tuentur, complacentiam erga personam, & volitionem boni, quod apprehenditur vt ei conueniens, non vnum realiter actum sed multiplicem esse; quorum opinio mihi probatur: quia finis *cui*, siue persona nobis grata, & finis *qui*, siue eius bonum, sunt obiecta inter se realiter distincta: cur ergo non possunt, ac debent amores realiter distinctos terminare, licet per accidens contingere possit, vt eodem actu amentur; sicut etiam plures fines *cui* Petrus v. g. & Paulus per eundem aliquando actum amantur? Rursus secundo: finis, & medium quantumlibet subordinentur, intentionem tamen, & electionem realiter distinctas terminant: ergo similiter, &c. Tertio: amor finis *qui* finem *cui* non nisi in obliquo attingit, quod ita intelligendum est, vt vel medio solum actu intellectus præuio illum tangat, vel certe immediatè; non tamen per se, sed per modum vnius cum fine *qui*, cum quo vnam rationem boni complet, & constituit, vt de obiecto volitionis conditionatæ diximus: at quod attingitur in obliquo tantum propriè non amatur, vt cap. præcedenti docuimus: amor ergo finis *qui* finem *cui*, siue personam alterius proprie non amat: atque adeo necessarius est alius actus realiter distinctus, per quem illa ametur.

Verum non nisi eodem realiter actu finem *qui*, & 16 finem *cui* amari posse tuentur P. Vasquez vbi supra & P. Molina 1. p. q. 63. art. 2. disp. vnic. memb. 2. Potissimum huius sententiæ fundamentū sic se habet: amare aliquam personam est velle ei bonum, ac è conuerso: igitur amor personæ ad eius bonum indiuisibiliter terminatur, & etiam amor boni ad personam bono fruituram. Conuersio autem illa amoris, & volitionis boni negari nequit: eam etenim tenent, & per eam amorem explicant Aristoteles 2. reth. c. 4. B. Th. vbi paulò supra & 1. p. q. 20. quos communiter Theologi, ac Philosophi sequuntur. Respondeo: sicut supra dicebamus, medium aliquod esse mihi vtile, importare duplicem bonitatem realiter distinctam, alteram medij alteram finis propriam, licet solùm vnicam bonitatem medio intrinsecam significare videatur; ita similiter velle me alicui bonum, duos inuoluit actus voluntatis realiter distinctos, nimirum complacentiam personæ, & desiderium boni; quamuis vnus tantum actus sub illis vocibus latere videatur. Hinc igitur est, vt amare personam, sit velle ei bonum non quod non dentur actus illi realiter distincti, quos proximè exposuimus, sed quod velle bonum alicui amorem etiam personæ includat, amorque personæ completus non sit, quoad volitionem boni inferat. Hinc secundo responderi potest, amorem personæ esse volitionem boni in sensu causali, eo quod actus illi se se causent, & causentur.

Amor vlterius subdiuiditur in amorem simplicem, & strictum, desiderium, & gaudium: amor strictus est, qui terminatur ad bonitatem rei secundum se sumptę & præscindendo ab eo, quod sit existens, vel extitura, possessa, aut possidenda: desiderium est de bono vt extituro, ac possidendo: gaudium vero de bono iam existenti, & adepto. Ita hos affectus explicat B. Tho. 1. p. q. 20. art. 1. in corpore. Iis autē respondent tres actus auersionis: odium enim succinditur in odium simplex siue strictum de malitia rei secundum se, & fugam de malo imminenti, aut extituro, & dolorem de malo iā existenti, & præsenti. Vt autem huius subdiuisionis membra innotescāt, primo in dubium reuocari potest, an ex obiecto formali, an solùm ex modo tendendi inter se differant? Ego arbitror cum B. Thoma vbi supra amorem strictum ex obiecto differre à desiderio, & gaudio: quoniam bonitas rei virtualiter intrinsecè, aut saltem ratione ratiocinante distinguitur ab eius existentia: haud secus ac ipsa essentia, quam bonitas velut passio sequitur, ab existentia secernitur: cum ergo amor strictus in bonitatem rei secundum se, desideriū vero & gaudium in existentiā rei habitam, aut habendam feratur, profecto non poterit non amor strictus à gaudio, & desiderio ex obiecto differre. Hinc est reperiri in Deo amorē strictum circa semetipsum ratione nostra distinctum à gaudio: de quo valde laborant Theologi: nihil enim prohibet, quominus Deus aliquo suæ voluntatis actu bonitatem suam ab existētia præscindat, cū virtualiter, aut ratione nostra distinguātur.

Rursum cum Durando in 1. dist. 1. q. 2. probabilius 18 mihi videtur, desiderium & gaudium ex obiecto non differre: siquidem motus, & quies sunt circa idem: motusque illò tendit, quò postea quiescitur: at desideriū est motus quidam voluntatis in obiectum, & gaudium quies de illo: igitur vtrumque versatur circa idem obiectum. Præterea desiderium est, vt res existat; gaudiū vero, quia res existit: ergo in idem obiectum, nempe in existentiam rei tendunt hi affectus, esto ex parte modi tendendi diuersitatem aliquam voculis illis *vt*, & *quia* significatam habeant. Vlterius, si qua ratione desiderium, & gaudiū ex obiecto differrent, maximè quia alterum est de bono absenti, & non existenti, alterum vero de bono præsenti: at hæc ratio nullius momenti est, quia cum dicitur desiderium esse de bono non existenti, de quo tamen non est gaudium, particula *non* præcisiuè tantum, non vero negatiuè accipi debet, vt sensus sit, desiderium esse de obiecto, à cuius existētia

exercita cognitio affectum illum regulans præscindit, & eiusmodi obiectum non tàm existere, quàm posse existere solum cognoscit, cum tamen cognitio gaudium antecedens rem existere necessario proponat. Quod autem desiderium hoc tantum ratione sit de bono non existenti, ad ipsamque rem non existentem, veluti ad obiectum etiam partiale non feratur, ita ostendo: desiderium optime esse potest de bono, quod in eodem instanti reali possidetur: ergo non est de bono absenti negatiuè, sed præcisiuè tantum, vt supra dicebamus. Antecedens est expresse Antonij Andreæ 12. metaphys. & facilè suadetur: quia potest Deus polliceri gratiam alicui homini pro primo instanti, quo eam petierit: quare si eam postulet in instanti *A.* tunc eam accipiet: & sic in eodem instanti petitio, & possessio gratiæ coexistent: atque adeò desiderium etiam, & possessio gratiæ simul erunt: qui enim gratiam petit, eam desiderat, absque eius desiderio eam minimè petiturus: tum etiam quia Angeli sancti Deum quem vident, videre desiderant, bonumque adeptum sitiunt, vt constat ex 1. Petri cap. 1. ibi: *Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Hæc ipse de obiectis trium illorum affectuum: haud me latet tamen plures Thomistas cum Medina 1.2. ad quæstionem 30. eos arbitrari ex obiecto differre: è conuerso vero non paucos cum Ægidio Coninck disputatione 1. de pœnitentia numero 17. solam diuersitatem ex modo tendendi eis permittere.

19 Secundo circa eam subdiuisionem quæri potest, an eius membra realiter, aut solùm ratione nostra distinguantur? Quamuis autem noster Valentia disp. 4. quæst. punct. 1. arbitretur, amorem strictum, & gaudium sola ratione distingui; oppositum tamen communius, & probabilius est: multa enim nobis placent, strictumque amorem terminant, de quibus tamen vtpote non adeptis minimè gaudemus. Adde etiam, bonum præsens, amatumque multoties non delectare, eo quod vehementia alicuius tristitiæ omne gaudium absorbeat; vt non solum in condemnatis certum est, sed etiam in nobis experimento constat. Tertiò dubitari potest, qua necessitate prædicti actus inuicem subordinentur? Respondendum est, gaudium necessario præsupponere desiderium rei, & hoc amorem simplicem. Ita communiter Theologi cum B. Thoma 1. part. quæst. 20. articulo 1. in corp. ibi: *Nullus enim desiderat nisi bonum amatum, nec aliquis gaudet nisi de bono amato.* Ratio autem à simili in promptu est: intellectus enim siue apprehensione prætia iudicare, aut sine præmissis concludere non potest. Quartò circa eam subdiuisionem quæri potest, an gaudiũ in eo differat ab amore, & desiderio, quòd sit mera passio in appetitu recepta, & non ab illo, sed ab obiecto effecta? Scotus in 3. distinct. 27. quæst. 3. & alibi partem affirmantem latè docet, & explicat. Communior tamen, & verior est negatiua quæstionis pars: si enim id esset discriminis inter gaudium, & alios affectus, maximè quia gaudium est de bono existenti, & possesso; vnde ab eo solo seorsim ab influxu vitalis potentiæ causari potest: quæ ratio non militat in affectibus amoris, & desiderij, qui de obiecto non existenti non sunt. At hoc fundamentum momento sum non est: siquidem delectatio interdum est de obiecto non solum non existenti, sed etiam impossibili: qui ergo fieri potest, vt tunc ab eo causetur delectatio, nisi ad cognitionem rei impossibilis recurratur, quod friuolum est: sic enim reliqui affectus media cognitione ab obiecto solo causari poterunt. Tandem dubitari potest, an obiectum gaudij sit solum bonum, an vero sola eius adeptio, & coniunctio? Missis extremis Durandi, & Caietani sententiis mihi probabilius videtur cum P. Suarez, & Vasquez esse vtrumque: siquidem delectatio est de bono nostro: at bonum nostrum est bonum nobis coniunctum, & à nobis possessum.

Vlterius diffecatur amor in efficacem, & inefficacem: quæ diuisio in odio locum habet. Amor etiam 20
efficax, vt præcaueantur lites de solo nomine, alius est efficax affectiuè, qui nimirum excludit oppositam displicentiam de eodem obiecto; & hac sola ratione Deum efficaciter amamus: amor vero efficax effectiuè est, qui obiectum suum ita inferre postulat, vt ab eius existentia inseparabilis sit. Porrò amor efficax effectiuè aut est absolutè, & simpliciter talis, qui nimirum separari nequit ab existentia sui obiecti sine miraculo, aut etiam per miraculum, si fermo sit de actibus diuinæ voluntatis, cui nemo potest resistere: aut est efficax præcisè, quantum est in se, & in sensu diuiso resistentiæ extrinsecæ, & hanc efficaciam nostri actus, quorum plures naturaliter à causis secundis, omnes vero à causa prima per miraculum frustrari possunt. Rursus diuiditur amor in absolutum, & conditionatum: circa quam diuisionem illud quæri potest, an detur actus voluntatis conditionatus, quem communiter velleitatem appellant? Aliqui cum Patre Vasquez eum negant, plures vero cum Patre Suarez eum admittunt: cæterùm lis est de nomine, & facilè componi potest: si enim velleitas significet actum voluntatis respondentem his vocibus, *vellem rem, si esset bona*, omnino quidem repugnat defectu obiecti proportionati, nimirum boni: qua etiam ratione intellectus nullum habet actum respondentem his vocibus, *intelligerem obiectum, si esset verum*, aut visus actum respondentem his vocibus, *viderem hoc obiectum, si esset coloratum.* Quod si velleitas significet actum respondentem his vocibus, *vellem hoc obiectum bonum, si esset possibile, v. g. non fuisse peccati præteriti: si id esset possibile*, in hoc quidem sensu velleitas non repugnat.

Præter actus hactenus explicatos, alios etiam habet 21
voluntas, intendit enim, eligit, vtitur, fruitur, imperat, orat, promittit, &c. Quod ad intentionem, & electionem attinet, quamuis P. Hurtado censeat, eas realiter non distingui; contrarium tamen probabilius: & optimè probatur à P. Vasquez 1.2. disp. 33. cap. 2. præmissæ enim, & conclusio realiter distinguuntur: quidni ergo intentio finis, & electio medij? Dices, non posse aliquem intendere efficaciter finem, quin videat eum esse possibilem; ac proinde dari media, quibus eum consequi possit: at non alia de causa cognitio mediorum intentionem necessario antecedit, nisi quia intentio est volitio mediorum. Respondeo tamen, ob id antecedere cognitionem mediorum intentionem finis, quia hæc est radicaliter electio mediorum, eamque causat. Quod ad vsum, & fruitionem attinet, ad quam facultatem attineant, absque vlla vtilitate, & prolixè à Scholasticis super primum sententiar. distinct. 1. disputatur. Illud certum esse debet, amorem finis non simplicem, sed gaudij, qui inter actus voluntatis vltimus est, propriissimè dici fruitionem: sicut fructus arboris dicitur, quod ex arbore ad gustus nostri oblectamentum vltimo decerpimus; quamuis etiam alij voluntatis, & intellectus actus circa finem fruitionis etiam nomen obtineant. Deinde actum voluntatis, quo proximè applicatur potentia executiua ad effectionem medij esse propriissimè vsum; tametsi etiam aliis intellectus, & voluntatis actibus medio vti dicamur. Secundò contra Scotum statuendum est, non dari amorem voluntatis medium inter frui, & vti:

quidquid

quidquid enim ab ea amatur, vel propter se, vel propter aliud amatur.

22 Quod ad actus imperandi, & similes attinet, Sotus de iust. & iure. quæst. 1. art. 1. Salas, Valentia, Granadus, Medina, & alij docent, eos esse actus intellectus ab apprehensione, iudicio, & discursu distinctos: immeritò tamen; quia mox constabit, eos esse actus voluntatis: deinde quia actus illi obiectum, suum cognoscunt: at non iudicando: ergo simpliciter apprehendendo: simplex enim apprehensio nihil aliud est, quàm cognitio non iudicatiua. Thomistæ autem communiter 1. 2. ad quæst. 17. item Vasquez, Fonseca, & alij docent, eos esse actus intellectus iudicatiuos tamen, aut apprehensiuos. Primò, quia imperium intellectus, nimirum *fac hoc*, est loquutio quædam: at loquutio interior ad intellectum attinet. Secundò, quia si promissio, aut oratio esset actus voluntatis, maximè desiderij: at hoc falsum est: multa enim nobis desideramus, quæ tamen non petimus; & multa etiam aliis, quæ tamen non promittimus. Hæc tamen admodum non vrgent: siquidem non tam ipsum, *fac hoc*, est loquutio interna, quàm eius expressio, & intimatio: lex autem, & imperium ab eius intimatione distinguitur. Deinde obsecratio, siue petitio ex modo tendendi, à simplici desiderio differre potest; promissio vero etiam ex obiecto, nam per desiderium rem ipsam volumus, per promissionē vero obligationem rei tradendæ: quocirca valdè probabilius est cum P. Suarez 1. de legibus, prædictos actus voluntatis esse, quia cùm voluntas sit reliquarum facultatum domina, eius proprium esse debet imperare, ac similiter promittere, & postulare. Adde, quòd in omni bene instituta Respublica legis, & imperij vigorem habeat quod Principi placuit, non quod bene nouit, aut intellexit.

TRACTATVS VIII.

De voluntatis, intellectusque mutua connexione.

CAPVT I.

Quanta, qualisque sit connexio voluntatis cum intellectu, ab eoque dependentia?

1 QVOD attinet ad connexionem voluntatis cum intellectu, statuendum in primis est cum plerisque scholasticis, voluntatem ne de potentia absoluta in obiectum ab intellectu incognitum ferri posse. Primò, quia vt bene arguit P. Vasquez 1. 2. disp. 35. cap. 3. si voluntas posset amare obiectum incognitum, illudve odisse, sequeretur absque vlla cognitione præuia eam exercere posse libertatem, ac proinde etiam peccare: fieri autem nequit, vt aliquis ignorans, & cognitione præuia destitutus peccatum admittat. Rursus vt recte arguit Arriaga disp. 7. de de anima sect. 4. appetitus innatus nequit etiam diuinitus esse nisi ad bonum reipsa, vt omnes in confesso habent, & per se manifestum est: ergo etiam repugnat appetitus elicitus esse nisi ad bonum cognitum: sicut enim se habet appetitus physicus, siue innatus ad bonum physicum: ita elicitus, siue intentionalis ad bonum cognitum, & intentionale. Oppositam tamen sententiam tuentur Bonauentura, Gerson, aliique Doctores mystici, eamque etiam Paludanus, & Ferrarienſis insinuant. Potissimum eorum fundamentum est, quia amor non includit essentialiter cognitionem, sed eam velut causam directiuam, aut efficientem supponit: cur ergo Deus miraculosè hanc dependentiam supplere nequeat, sicut aliarum causarum secundarum absentiam, & influxum supplet? Verum cur id supplementum ab eo præstari nequeat, superius manifestè ostendimus.

Secundò statuendum est cum Scoto in 2. dist. 6. 2
quæst. 1. & P. Vasquez, & Hurtado cognitionem merè apprehensiuam mouere posse voluntatem ad actus inefficaces, & hos iudicio præuio non egere: sensio enim esto non iudicet, appetitum tamen materialem mouet: quidni ergo & mera apprehensio voluntatem ad aliquos actus saltem inefficaces. Quæ autem à P. Suarez disp. 23. metaphys. sect. 7. in contrarium adducuntur, facilem cuiuis solutionem habent. Probabilius etiam est, actus efficaces affectiuè, quales erga Deum habemus, iudicio præuio non egere, solaque apprehensione regulari posse: non enim requiritur æqualitas inter cognitionem spiritualem & amorem, cum sæpè magis amemus, quod minus perfectè cognoscimus, & è contrario minus amemus quod magis cognitum, & perspectum nobis est: quid prohibet ergo apprehensionem, siue cognitionem imperfectam, & simplicem diuinæ bonitatis, verbi gratia, ad amorem eius perfectum, & efficacem dirigere posse? Cæterum actus efficaces effectiuè iudicio præuio indigos esse ex eo constat, quod nemo absolutè intendat efficaciter finem, quem impossibilem videt, & ad cuius assequutionem media sufficientia nulla esse perspicit: iudicium ergo de possibilitate boni ad absolutam eius, & efficacem intentionem prærequiritur.

Tertiò statuendum cum P. Vasquez 1. 2. disp. 36. 3
cap. 2. Hurtado, Arriaga, Torrensi, & aliis cognitionem non concurrere efficienter, sed directiuè tantum ad amorem: tum quia, vt existat amor, sufficiens videtur concursus effectiuus voluntatis, & directiuus cognitionis obiectum proponentis: concursus igitur effectiuus cognitionis ad amorem tanquam superuacaneus reiici debet: tum quia ignis calorem in se velut adæquata causa efficiens producit: quidni ergo & voluntas in se amorem, qui eius calor, & ardor quidam est: tum etiam quia apprehensio ad iudicium, & præmissæ ad conclusionem nonnisi directiuè concurrunt, vt patet ex dictis, & citatis suprà tract. 4. cap. 8. Oppositam tamen sententiam tuetur Molina 1. part. quæst. 27. art. 3. disp. 4. & apud eum Caietanus: item Fonseca tom. 3. metaphys. libro 9. cap. 2. quæst. 6. & alij quos refert. Pro qua sic argui potest: Verbum diuinum producit Spiritum sanctum, siue amorem notionalem: ergo Verbum creatum producet etiam amorem creatum: ergo cognitio creata indistincta à Verbo amorem creatum producit, atque adeò eius causa solum directiua non est. Secundò sic: intellectus non sine concursu efficienti speciei impressæ cognitionem efficit: ergo voluntas non sine concursu efficienti cognitionis amorem efficiet. Ad primum respondeo, Verbum diuinum esse personam, ac similiter amorem notionalem; vnam autem personam substantialem alterius productiuam esse; hanc vero rationem locum non habere in rebus creatis, vbi cognitio expressa, siue Verbum non est persona; sed potiùs personam sufficienter productiuam amoris supponit. Ad secundum respondeo negato antecedenti: eius autem falsitas constabit, cum de speciebus egerimus. Rursus, idcirco species impressa concurrit efficienter ad cognitionem iuxta eius concursus assertores, quia con-

currit loco obiecti; ac proinde eum concursum præstare debet, quem præstaret ipsum obiectum: hoc autem ad cognitionem efficienter concurreret, si eam attingeret, non vero directiuè: cum enim obiectum nequeat esse forma intellectus, cum dirigere, & mouere incapax est: hæc autem ratio in cognitione respectu amoris neutiquam militat.

Caput II.

Quousque intellectus è conuerso cum voluntate connectatur, ab eaque à posteriori dependeat?

4 Quod spectat ad connexionem intellectus cum voluntate, impossibilem esse substantiam intellectiuam non volitiuam tuentur B. Thomas 1. part. quæst. 19. artic. 1. P. Suarez lib. 3. de attributis positiuis cap. 6. Molina 1. part. quæst. 19. artic. 1. conclus. 1. Valentia ibidem part. 1. punct. 1. & apud ipsos alij complures, quibus etiam ipsi libenter subscribimus: quia ea sententia multò consonantior Patribus est, quàm opposita; illamque tradunt Fulgentius ad Monimum de duplici prædestinat. cap. 18. ibi: *Neque enim inesse posset vllatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio.* Athanasius tract. de definitionibus: *Quidquid intelligit, constat, quòd etiam voluntate ducatur.* Damascenus 2. de fide, cap. 3. *Omne rationale est potestate liberum: intellectualis igitur natura potestate libera est.* Nemesius lib. de homine cap. 41. *Omnino ergo necesse est, eum in quo sit consultatio, etiam dominium esse actionum: si enim Dominus non est actionum, frustra habet deliberandi vim: quod si ita est, cum ratione libera voluntas existit.* Boëtius 5. de consolat. prosa 2. *Nulla fuerit rationalis natura, quin eidem libertas arbitrij: nam quod ratione vti naturaliter potest, id habet iudicium, quo quodque discernat: per se igitur fugienda, optandave dignoscit: quod vero quis optandum iudicat esse, petit; refugit vero quod existimat esse fugiendum: quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi, nolendique libertas.* Porrò præter rationem à Nemesio, & aliis Patribus insinuatam, videlicet quod frustra esset virtus cognoscitiua absque potestate volendi, alia etiam ratio in probationem eius sententiæ afferri potest: quoniam repugnat substantia intellectiua, quæ possit ponere præmissas, & nequeat inferre conclusionem; siue quod perinde est, quæ possit iudicare, aliqua esse eadem vni tertio, non tamen ea esse idem inter se. Item repugnat substantia volitiua, quæ possit intendere finem, non tamen eligere media, aut aliquid amare, non tamen eius consequutionem desiderare, aut eius desiderium habere, non tamen de eius consequutione gaudere: pati ergo ratione implicabit, substantia cognoscitiua boni, & eius non volitiua. Antecedens ex ipsis terminis adeò manifestum videtur, vt vlteriori probatione non egeat. Consequentia, ni fallor, est absque vllo discrimine.

Contrariam sententiam tuentur non pauci Neoterici, quos sequutus est P. Arriaga disp. 2. de anima sect. 4. Missis autem multis argumentis parui momenti hunc in modum arguunt: datur aliquis sensus materialis, cui nullus appetitus respondet: sunt namque in nobis quinque sensus externi, non tamen quinque appetitus externi, sed vnus duntaxat appetitus internus sensui interno, & communi respondens, atque in cerebro, vel in corde residens: igitur etiam non repugnat intellectus, cui nulla respondeat voluntas; ac per consequens substantia intellectiua, quæ volitiua non sit. Verum in primis permisso antecedenti potest negari consequentia: sensus enim exterior cum sit idem cum substantia animæ, appetitusque etiam interior cum ea identificetur, sanè sensui externo appetitus interior respondet, idemque principium quod exterius sentit, tametsi exterius non apperat; atque in hoc sensu sine vllo appetitu sibi respondente sit, interius tamen appetit. Hinc autem qua probabilitate colligi potest, dari posse facultatem intellectiuam, quæ nullo modo volitiua sit, nullosve actus volendi habeat?

Rursus antecedens argumenti, tametsi communiter admittatur, falsum tamen est: vt enim rectè docent Aureolus in 3. distinct. 15. quæst. vnica art. 3. & Hurtad. disp. 17. de anima, sect. 11. nullus est sensus externus, cui suus etiam appetitus exterior non respondeat, ad cuius actus præluceat. Primum huius doctrinæ fundamentum ab experientia, eaque potentissima deducitur: caro enim in quacunque corporis parte læsa dolet, aut molliter delinita oblectatur: at dolere, & delectari sunt actus appetitus: haud aliter, ac gaudere, & tristari voluntatis actus censentur: igitur sicut tactus, sic appetitus ei respondens, per totam corporis carnem, & quamuis eius partem diffunditur; & appetitus hic distinctus erit ab appetitu interno, qui vel in solo cerebro; vel, quod probabilius est, in solo corde sedem habet. Quod si tactus sensuum externorum infimus suum tamen sibi vendicat appetitum, idipsum profectò dicendum erit de visu, auditu, ac reliquis sensibus. Secundum huius doctrinæ fundamentum est, quia bonum cognitum est obiectum alicuius appetitus sibi proportionati: sed bonum visum, auditum, &c. est bonum cognitum: ergo est bonum alicuius appetitus sibi proportionati: quod si non essent totidem appetitus, quot sunt sensus externi, profecto bonum visum, aut auditum non esset bonum vllius appetitus; non enim externi, qui nullus est; non interni, cum potius obiectum huius appetitus sit bonum prout interius per phantasiam perceptum; huiusque facultatis cognitio cum appetitum moueat. 5

Arguunt secundò: possibilis est cognitio aliqua quam nullus sequatur amor: ergo & facultas cognoscitiua, quam nulla sequatur voluntas. Consequentia videtur legitima: quemadmodum enim se habet actus ad actum, ita etiam potentia ad potentiam. Deinde eo ipso, quod possit dari visio sine auditione, poterit etiam dari visus sine auditu: ergo, &c. Adiice, quòd possit dari intellectus aliquorum, non omnium cognoscitiuus, & consequenter aliquarum tantum cognitionum, quæ nullum excitant amorem: huiusmodi autem intellectus cum voluntate non cohærebit. Antecedens probatur: reuelet Deus alicui nullum amorem creatum existere; quæ enim in hac reuelatione repugnantia est? aut cur non possit Deus reuelare omne, quod contingit dari? potest autem contingere, vt nulla voluntas creata amet: tum sic eiusmodi reuelatio cum cognitio sit à Deo infusa, nullum tamen potest amorem excitare; si quem enim excitaret, falsum ei subesset, cum tamen essentialiter vera sit, sicut Deus reuelans verax est. Huic argumento bifariam respondeo, primo quidem nullam esse possibilem cognitionem, quæ non possit excitare aliquem amorem, atque adeò nullam esse substantiam cognoscitiuam, quæ non possit esse volitiua: cum ergo in prædicatis necessariis, & essentialibus perinde sit, posse esse, & absolutè esse; nulla consequenter erit substantia cognoscitiua, quæ absolutè volitiua non sit. Quod 6

autem

autem opponitur, reuelationem aliquam habere posse pro obiecto, quòd nullus existat amor creatus, nullius momenti est: si enim ex terminis ipsis repugnat cognitio boni, nullius amoris elicitiua; tam repugnabit, dari reuelationem aliquam affirmantem nullum amorem creatum existere nullâ factâ exceptione; ac repugnat dari reuelationem, quæ affirmet nullam creaturam existere nullâ factâ exceptione. Quam solùm poterit reuelatio aliqua (vt demus veritatem essentialem ei esse) affirmare, nullum amorem creatum dari excepto eo, quem ipsa excitare potest: sicut etiam nonnisi cum simili exceptione reuelari potest, nullam creaturam existere. Hinc autem non efficitur Deum non posse reuelare, quidquid dari contingit: potest enim Deus alia reuelatione comprehendere amorem, quem prior excepit. Porrò ex terminis repugnare cognitionem boni, quæ nullum amorem accendere possit, non solum ex nostra sententia de connexione intellectus, & voluntatis superius probata sequitur, sed etiam iisdem rationibus probatur: implicat enim contradictionem assensus præmissarum vt talium, quem conclusio sequi non possit, aut intentio, quam electio sequi non possit; aut etiam desiderium, cuius extra gaudium occupare nequeat: ergo repugnabit similiter, &c.

7 Respondeo secundò, implicare cognitionem repræsentatiuam boni, eiusque amorem esse impossibilem haudquaquam percipientem, quin eiusmodi cognitio amorem circa suum obiectum excitare possit: huius autem oppositum non colligitur ex ea reuelatione, quamuis eam possibilem admittamus, vtpote quæ non cognoscit bonum, sed ab eo præscindit; aut si illud cognoscit, eius tamen amorem esse impossibilem formaliter, aut æquiualenter, in actu exercito, aut signato percipit. Hinc ergo fit, repugnare etiam substantiam cognoscituam boni, & eius amorem esse impossibilem nullatenus attingentem, quæ tamen volitiua non sit. Hoc tamen solum à nobis hactenus intentum est, & nostris argumentis ab auctoritate, & ratione petitis confirmatum est, si rectè expendantur. Quod enim non repugnet substantia quasi speculatiuè intelligens, & non boni sibi conuenientis, sed veri duntaxat perceptiua, quin voluntatem vllam habeat, haudquaquam nostræ sententiæ, aut nostris etiam probationibus aduersatur: sic enim lux absque calore, & substantia lucida, & non calida possibilis est, esto in mundo hoc sublunari, ac fortassis etiam cœlesti quidquid lucet, hoc ipso caleat: sicuti substantia omnis à Deo creata, quæ cognoscit, hoc ipso per amorem ardet.

TRACTATVS IX.

De libertate actuum voluntatis.

CAPVT I.

Relatis aliorum de libertate actuum voluntatis opinionibus verior proponitur.

2 DIVISIONEM libertatis in eam, quæ dicitur in actu primo, & potentiæ propria est; eamque, quæ dicitur in actu secundo, & operationis propria est: item diuisionem eius in libertatem spontanei, & libertatem indifferentiæ: rursus illius diuisionem in libertatem contrarietatis, & contradictionis, siue quoad speciem, & exercitium; aliaque similia tot retro locis attigimus, vt sine temporis dispendio iterum opera eis impendi non possit. Quod ergo attinet ad libertatem indifferentiæ in actu secundo, potissimè inter Auctores controuersam; prima opinio est, eam nec actui libero, nec etiam actioni esse denominationem omnino, & adæquatè essentialem, sed potiùs partim intrinsecam, partim extrinsecam, atque in entitate actionis, & indifferentia potentiæ formaliter sitam. Ita Durandus in 2. distinctione 38. quæst. 1. Scotus in 2. distinct. 4. quæst. 1. Molina in concordia quæst. 23. art. 4. & disp. 1. memb. 7. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 34. num. 15. & disp. 55. num. 3. Salas tom. 1. in 2. tract. 3. disp. 1. sect. 6. numero 62. Ouiedo controuers. 12. de anim. punct. 8. §. 1. Arriaga disp. 8. sect. 4. Eandem sententiam problematicè tuetur P. Suarez 1. 2. tract. 2. disp. 1. sectione 3. num. 22. circa medium.

Secunda opinio est libertatem in actu secundo 2
esse omnino essentialem non solum actioni, sed etiam ipsi actui. Ita Hurtadus disputatione 15. de anima, sectione 6. subsectione 2. vbi pro se refert Conradum, Capreolum, Ferrariam, ac B. Thomam. Quibus annumerari etiam potest Richardus in 2. articulo 2. quæstione 1. cum enim hi Doctores doceant, actum voluntatis esse essentialiter bonum, aut malum in genere moris: bonitas autem ac malitia moralis seu meritoria, ac demeritoria libertatem includat, hanc actui essentialem supponunt. Tertia opinio est, libertatem actioni, non tamen actui esse essentialem. Ita non pauci recentiores, quibus haud dubiè fauet P. Suarez tom. 1. de gratia prolegom. 1. cap. 5. n. 20. & 1. 2. tract. 2. disp. 1. citata numero 21. & 22. Quarta sententia quorundam recentiorum Thomistarum est, libertatem (de qua agimus) esse intrinsecam actui libero, non tamen essentialem: videlicet consistere in quodam modo distincto realiter ab actu, eumque subsequente, & in eo suaptè natura recepto. Hæ Auctorum de libertate indifferentiæ in actu secundo sententiæ.

Ipse autem in tot sententiarum varietate aliter 3
sentio, reiectisque aut ex toto, aut ex parte aliorum placitis in nouam, singularemque opinionem sine vllo quidem nouitatis, aut singularitatis studio cogor. Quam quinque assertionibus exhibeo: si tamen prius distinguam inter actus liberi, v. g. amoris productionem, eiusque conseruationem. Porrò productionem amoris, alteriusve actus appello actionem terminatam ad ipsam amoris entitatem: conseruationem verò, actionem terminatam ad durationem actus, aut ipsius actionis: quamuis his nominibus paulò aliter alibi vsum me fuisse meminerim. Hoc supposito, in primis censeo, & assero, actioni productiuæ amoris liberi libertatem esse omnino essentialem, & intrinsecam, ac nequaquam extrinsecam. Secundò censeo, actioni conseruatiuæ amoris liberi libertatem esse extrinsecam, posse tamen ei in alia rerum serie intrinsecam esse atque essentialem.

Tertiò censeo, ipsi actui, seu qualitati amoris li- 4
beri libertatem non esse essentialem, sed accidentariam, & quodammodo extrinsecam: haud tamen repugnare, vt detur in alio rerum ordine actus amoris essentialiter, & intrinsecè liber, siue indifferens ad vtrumlibet. Quartò censeo, libertatem nec in hac rerum serie esse, nec in alia vlla posse esse modum, aut relationem intrinsecam subsequentem ad entitatem actus, aut actionis. Quintò denique censeo, casu, quo in alio rerum, aut prouidentiæ ordine libertas foret, actioni conseruatiuæ essentialis, tum

fore,

fore, vt in ea esset duplex libertas: altera intrinseca, atque essentialis: altera extrinseca, & per denominationem, ab indifferentia proxima voluntatis in actu secundo: neque non etiam de facto in actione productiua amoris essentialiter libera præter hanc essentialem libertatem, aliam reperiri accidentariam, & extrinsecam. En totam sententiam nostram in quinque diuisam partes: quas capitibus sequentibus ex ordine probabo, atque ab argumentis contrariis vindicabo.

Caput II.

Prima pars nostræ, ac verioris sententiæ probatur.

5 HVnc in modum. Potest dari indifferentia voluntatis secundum se, & actio productiua amoris secundum se, quin actio ista sit libera: libertas ergo actionis in his duobus non consistat, atque adeo actioni est essentialis: quod enim actio non sit libera per denominationem à suo termino, aut modo libertatis eam consequente suadebitur infrà. Antecedens probatur: quia si in instanti A. voluntas sit proximè indifferens, minimè tamen amet; in instanti vero B. sequenti necessitetur ad amandum, & vi huius necessitatis amorem producat: productio quidem amoris libera non erit, sed potiùs necessaria; & tamen dabitur ipsa productio, necnon etiam indifferentia proxima voluntatis. Respondebis, libertatem eius actionis consistere in indifferentia proxima voluntatis, & ipsa actione, non vtcunque sumptis, sed vt coexistentibus: sicut de fundamento, & termino eorumque prædicamentali similitudine dici consueuit. Contra tamen; quia actio illa coexistit indifferentiæ proximæ voluntatis per duplicem modum durationis, alterum intrinsecum actioni, eaque natura posteriorem: alterum vero indifferentiæ proprium: vtrumque verò ad idem tempus relatum: at actio illa non est libera formaliter per modum durationis se natura posteriorem: ergo non est libera per coexistentiam cum indifferentia proxima voluntatis. Minor suadetur. Primò, quia si volũtas absolueretur diuinitus ab omni tempore, liberè tamen operari posset: at eius operatio non esset libera per modum durationis, qua indifferentiæ in actu primo coexisteret. Secundò, quia ex oppósito sequeretur, supernaturaliter fieri posse, vt actio aliqua volũtatis nec libera, nec necessaria esset: sit enim voluntas indifferẽs ad amandum, vel non amandum, entitatemque amoris producat, eius vero durationem non producat; Deo ad prius, non vero ad posterius concursum suum exhibente: profectò actio amandi non erit necessaria, quia voluntas non est in actu primo determinata, nec etiam erit libera; quia indifferentiæ voluntatis per modum durationis non coexistit.

6 Rursus tertiò: vt productio amoris denominetur libera per durationem, & coexistentiam cum indifferentia voluntatis, ipsa duratio, eiusque productio voluntati libera esse debet; si enim omnino necessaria, & ineuitabilis esset, etiam productio amoris ei necessaria, & ineuitabilis foret, ob connexionem essentialem, quam habet duratio eius actionis cum ipsa actione: aut ergo productio durationis est libera denominatiuè tantum à libertate actionis, per quam producitur amor; atque ita actio productiua amoris habebit totam suam libertatem, anteaquam producatur duratio; & consequenter non à duratione, sicut quia actio aliqua externa nonnisi denominatiuè libera est ab actu interiori voluntatis, hic ante illam omnem suam libertatem habet: aut potius actio productiua durationis est per seipsam immediatè, & essentialiter libera: & ita potiori iure actio productiua ipsius amoris longè perfectior per seipsam essentialiter libera erit, nec à duratione subsequente libertatem suam emendicabit. Vlterius quartò actionem esse liberam formaliter, est eam proximè posse non esse: at nulla actio denominatur potens non esse per modum aliquem subsequentem: ergo nec libera. Minor constat: quia modus subsequens rem, eam necessario supponit, eiusque existentiam essentialiter, & ineuitabiliter postulat: ergo non esse rei essentialiter impedit: ergo non potest ei tribuere posse non esse, sed potiùs non posse non esse. Qua ratione potentia in actu primo proximo necessaria, quia connectitur essentialiter cum existentia effectus, non potest tribuere ei posse non esse, sed potiùs non posse non esse. Confirmatur: quia duratio subsequens actionem, aut tribuit illi posse non esse potentia consequenti; & hoc falsum est, cum potius tribuat ei non posse non esse impotentia consequenti; haud aliter ac vi scientiæ visionis actio non potest non existere impotentia consequenti, videlicet ob connexionem essentialem quamuis consequentem visionis cum actione: aut duratio illa subsequens tribuit actioni posse non esse potentia antecedenti: & hoc nonnisi ineptissimè dici potest: cum enim duratio non antecedat, sed potiùs consequatur actionem, quomodo eam in potentia antecedenti ad non esse intrinsecè constituere potest?

Præterea quintò: actio libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest poni, vel non poni: actio vero necessaria est, quæ positis, &c. ergo implicat aliquid distinctum ab actione ei tribuere libertatem, aut potẽtiam antecedentem ad non esse, vel necessitatem, aut impotentiam antecedentem ad non esse, nisi eam antecedat, ad eamve prærequiratur. Hoc sanè manifestum est, tum ex definitione libertatis, tum etiam exemplo scientiæ visionis; quæ quia non antecedit actionem, nec potentiam, nec impotentiam antecedentem ad esse, vel non esse ei tribuit: cum ergo duratio sit realiter distincta à productione amoris, quam tempori commẽsam facit; aliunde vero eam non antecedat, ad eamve prerequisita non sit: quî fieri potest, vt ei liberam esse, aut posse non esse potentia antecedenti conferat? Tandem omne, quod actionem liberam constituit, vel se habet ex parte actus primi indifferentis, vel ex parte actus secundi; aut, quod perinde est, vel est id, quod liberum denominatur, vel intrinsecè cõstituit potentiam proximam indifferentem, per quam aliquid liberum denominatur. Vnde communiter, & merito repelluntur Thomistæ, qui prædeterminationem physicã nec ad actum primum liberum, nec ad actum secundum attinere, sed inter vtrumque mediam esse comminiscuntur: ergo si duratio actionis eam liberam reddit, vel est ipse actus secundus liber: & hoc est falsum, quia actus secundus libertatis ad amandum, vel non amandum est solum actio amandi; duratio vero, aut actio eius productiua tantum esse potest actus secundus libertatis ad conseruandum, vel non conseruandum amorem: aut potius duratio pertinet ad actum primũ liberum, & in ipsa potentia proxima indifferenti intrinsecè clauditur: & hoc etiam sustineri nequit: tum quia aliàs duratio esset prior, & posterior natura, quàm amor, aut eius productio, vt intuenti constabit: tum etiam quia aliàs libertatem amoris omnino euerteret, nimirum ob connexionem antecedentem cum illo. 7

Respondebis secundò, libertatem actionis consistere in ipsa actione, & indifferentia voluntatis, & non 8

in

coexistentia vtriusque, sed in dependentia vnius ab alia: cum autem actio non dependeat effectiuè nisi à sola voluntate, ab eius vero indifferentia proxima tanquam à mera conditione; profecto per seipsam ab ea non pendebit, sicut ad eius diuersitatem essentialem ab actione necessario oportet: aliunde vero cum per hanc dependentiam libera sit, eius libertas ab aliquo consequenti non orietur. Hæc tamen solutio facilè confutatur: quia dependentia illa actionis ab indifferentia proxima voluntatis, velut à conditione non est aggregatum actionis, & indifferentiæ: hoc enim aggregatum absque libertate, & dependentia dari potest, vt initio capitis vidimus. Deinde illa dependentia non est coexistentia actionis, & indifferentia: tum quia nihil dependere potest à priori ab aliqua causa, & conditione per aliquid se posterius: tum etiam quia iam actio esset libera per aliquid ipsam consequens. Rursus dependentia illa nequit consistere in decreto aliquo Dei: aut enim hoc decretum est efficax, & ita libertatem actionis tollet: aut etiam indifferens, & inefficax ad vtrumlibet: & sic poterit dari in aliquo instanti sine actione, eiusque dependentia: hæc ergo in eo sita non erit. Vlterius ea dependentia nequit consistere in modo quodam actionem effectiuam amoris antecedente: qua ratione actionem directiuam, dependentiamque vnius cognitionis ab alia in modo quodam præuio collocauimus lib. 4. physic. tract. 10. cap. 4. sic enim actio effectiua amoris non libera formaliter, sed necessaria esset: vtpote quam modus ille cum connexione antecederet. Reliquum igitur est, vt dependentia illa ab indifferentia proxima voluntatis sit essentialis actioni, & in ipsa sola sita sit, sicut ab eius actione necessaria diuersitatem essentialem oportet.

9 Respondebis tertiò, nostrum argumentum instantari in libertate contrarietatis. Verum vt hæc instantia eleuetur, animaduertendam est, libertatem contrarietatis: aliam esse purè talem: aliam vero partim contrarietatis, partim contradictionis, siue mixtam: libertas contrarietatis purè talis est, qua voluntas, independenter à potestate ad odium, amare potest, vel non amare; & independenter à potestate ad amorem odisse, vel non odisse: vnde duplicem libertatem contradictionis inuoluit. Libertas vero contrarietatis non purè talis, sed mixta est; qua voluntas potest amare, vel non amare: non tamen independenter à potestate ad odium; sed potiùs cum dependentia ab illa; eo quod non aliter ei integrum sit non amare, nisi per odium amori oppositum: non vero per nolitionem amoris, eiusve puram omissionem. Porrò, cum actus amoris, verbi gratia, est liber libertate contradictionis, aut etiam libertate contrarietatis mixtè talis, propriè quidem, ac strictè liber est: libertas enim propria, ac stricta est, qua actus potest esse, vel non esse à voluntate: huiusmodi autem est vtraque libertas nuper memorata: cum vero actus est liber libertate contrarietatis purè talis, hoc quidem nomine propriè, ac strictè liber non est, sed præcisè ob libertatem contradictionis.

10 Ratio est: quia actus amoris, v.g. habet libertatem contrarietatis purè talis, in quantum voluntas potest odisse: at non est propriè, ac strictè liber, eo quod voluntas possit odisse: ergo neque etiam eo quod libertatem contrarietatis purè talis sortiatur. Minor suadetur: quia vt actus ille esset propriè, ac strictè liber per potentiam proximam voluntatis ad odium deberet illam aliquo modo respicere, vt ex capitis initio liquet: vel ergo illam respicit per essentialem ab ea dependentiam; & hoc falsum est: quia amor liber purè quoad speciem, vt modo his nominibus vtimur, est qui prouenit à potentia amandi, vel non amandi; id est, nolendi amare, aut purè omittendi amorem: nullatenus tamen dependet à potentia ad odium, sed per accidens cum ea concurrit: vel amor ille liber respicit potentiam voluntatis ad odium per meram coexistentiam cum illa: atque ita si eo nomine esset propriè liber per aliquid se natura posterius, nempe per relationem coexistentiæ propriè liber esset: quod tamen supra confutatum est. Benè verum est, voluntatem posse proximè odisse esse eam posse non amare: cæterum vt amor non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo denominetur proximè potens non esse, proprièque liber ab ea potentia proxima non amandi, siue odio habendi, debet ad eam aliquo modo referri: relatio autem dependentiæ essentialis non datur; & relatio coexistentiæ non sufficit.

Hæc cum ita sint; argumenta libertatem contra- 11
dictionis, aut etiam contrarietatis mixtè talis (vtriusque enim par est ratio) haudquaquam in coexistentia actus primi, & secundi sitam esse probantia; idipsum de libertate contrarietatis purè talis nullatenus probant. Quod enim ad primum, & secundum attinet; repugnat quidem, vt actio amandi libera, aut necessaria contradictoriè non sit: aut enim potest proximè non esse, aut non potest proximè non esse: atque inter hæc duo non est medium. Vnde voluntas indifferens absoluta ab omni tempore, cum necessario operari nequeat, eius operatio libera contradictoriè non poterit non esse; cum tamen in eo statu nulla detur relatio coexistentiæ: hæc ergo ad id genus libertatis non exigitur. Similiter voluntas indifferens ad vtramque contradictionis partem, si amorem sine eius duratione producat; eius actio nec erit libera, nec necessaria contradictoriè: quod tamen manifestam contrradictionem inuoluit. Cæterum hæ rationes in libertate contrarietatis non militant: voluntas enim proximè indifferens quoad speciem, si vel ipsa absoluatur ab omni tempore iuxta casum primi argumenti, vel eius actio iuxta casum secundi, sanè operationem habebit nec liberam, nec necessariam contrariè siue quoad speciem: quamuis enim inter libertatem, & necessitatem contradictionis, quæ libertatem, ac necessitatem propriè diuidunt, non sit dare medium; est tamen illud assignare inter libertatem, & necessitatem contrarietatis; quarum neutra propriè libertas, aut necessitas est. Sic esto hoc indiuiduum animal, verbi gratia, Petrus debeat esse verus homo, aut vera bellua: cæterum non debet esse homo pictus, aut bellua picta: cum fieri possit, vt neutro modo effigietur: nimirum quia denominationes veri hominis, aut veræ belluæ propriè sunt: homo autem pictus impropriè homo, ac bellua picta pari improprietate bellua est.

Quod autem ad reliqua argumenta attinet, om- 12
nia in hoc vnum tendunt, vt probent, nullam actionem posse esse propriè liberam per aliquid se natura posterius: quod verissimum est; atque adeò in libertate contradictionis, quæ propriè libertas est, vim habet: at in libertate contrarietatis, de qua loquimur, cùm impropriè libertas sit, nullum momentum habent: potest enim aliqua actio esse impropriè libera per aliquid se natura posterius: sicut etiam actio externa est impropriè libera per aliquid natura anterius, & secum connexum, nempe per imperium efficax voluntatis, cum tamen nihil magis obesse videatur libertati, quàm connexio antecedens.

CAPVT

Caput III.

Eadem pars prima verioris sententiæ argumentorum solutione probatur.

13 ARgumentaberis primo contra primam illam opinionis nostræ partem cap. præcedenti propositam. Hoc ipso, quod detur actio productiua amoris, v.g. & voluntas sit indifferens in actu primo, id est, potens amare, vel non amare circumscripto per intellectum quouis alio; actio illa nequit non esse libera: at indifferentia voluntatis, eiusque ad vtrumlibet potestas est aliquid extrinsecum actioni: hæc igitur non solum per seipsam, sed etiam per aliquid sibi extrinsecum libera est. Minor perspicua est: siquidem indifferentia voluntatis in actu primo est realiter seseparabilis ab actione productiua amoris: ergo nec est prædicatum essentiale illius, nec etiam modus accidentarius illum consequens; ac proinde aliquid ei extrinsecum erit. Maior etiam in aperto est: quemadmodum enim implicat, intellectum cognoscere obiectum, & hoc non cognosci; aut voluntatem amare obiectum & hoc non amari: ita etiam repugnat, voluntatem esse indifferentem, vt ponat, vel non ponat actionem; quin actio supposita etiam eius existentiâ possit poni, vel non poni: actionem autem absolutè posse poni, aut non poni, est eam esse liberam: igitur implicat datâ actione voluntatem esse indifferentem absque eo, quod actio sit libera: idque tametsi omne aliud per intellectum circumscribatur.

14 Respondeo tamen, actionem bifariam esse, ac dici posse indifferentem ad esse, vel non esse; siue ad id, vt ponatur, vel non ponatur: nimirum in actu primo, aut in actu secundo: vt sit indifferens in actu primo, nihil aliud requiritur, quàm vt voluntas sit proximè potens eam ponere, vel non ponere: atque vt hoc pacto sit indifferens actio, haud requiritur actualis existentia actionis: & esto omittatur actio, poterit talem sortiri indifferentiam. Porrò vt actio sit indifferens in actu secundo ad esse, vel non esse; opus est, vt actu existat cum respectu aliquo ad indifferentiam voluntatis in actu primo, siue is respectus sit coexistentiæ, siue dependentiæ essentialis: quando igitur nequit esse coexistentiæ propter huius posterioritatem iuxta superius dicta, sanè debet esse dependentiæ essentialis: libertas autem actionis est huius indifferentia, non præcisè in actu primo, (aliàs actio merè possibilis foret libera, quo nihil absurdius) sed in actu secundo: ac proinde vt hæc indifferentia non potest esse denominatio extrinseca ab indifferentia voluntatis in actu primo, ita nec libertas. Itaque ad argumentum in forma, vt aiunt, respondendum est, negatâ maiori. Ad maioris probationem dicendum est, vt idem est, intellectum cognoscere, & obiectum cognosci, necnon voluntatem amare, & ab ea obiectum amari; ita idem esse ex vna parte voluntatem esse indifferentem ad ponendam, vel non ponendam actionem; ac hanc ex alia parte esse indifferentem passiuè, vt ponatur, vel non ponatur: cæterum hoc intelligendum esse non de indifferentia passiua actionis in actu secundo, in qua consistit libertas in actu secundo, (qua de agimus) sed de indifferentia passiuâ in actu primo, quæ distinguitur à libertate, de qua est sermo: atque adeò nequaquàm confici, quòd huiusmodi libertas sit denominatio extrinseca.

15 Argumentaberis secundò hunc in modum: si actio esset per seipsam essentialiter libera, & indifferens in actu secundo; non posset non dicere, siue habere respectum essentialem ad indifferentiam proximam voluntatis in actu primo, siue ad eius potestatem proximam agendi, & consimilem potestatem non agendi. Atqui actio non dicit respectum essentialem ad hanc vtramque potestatem: ergo non est essentialiter libera. Maior est manifesta. Minor probatur primò: quia potestas proxima agendi est realiter distincta a potestate proxima non agendi, ab eaque toties realiter separatur; quoties Deus exhibito voluntati concursu ad agendum renuit cum ea ad non agendum concurrere: potest ergo actio aliqua habere respectum essentialem ad vnam potestatem nimirum agendi, non vero ad alteram, quæ est ad non agendum: eiusmodi ergo erit omnis actio libera voluntatis de facto existens: saltem ne sine vlla necessitate multiplicentur in ea duo respectus essentiales: alter ad potentiam agendi: alter ad potentiam non agendi. Præterea secundò probatur eadem minor: visio tantùm respicit potentiam visiuam, non vero potentiam proximam audiendi; esto eadem anima videat, & audiat: pari ergo ratione actio productiua amoris solam potentiam amandi, siue agendi; non vero potentiam non agendi essentialiter respiciet: præsertim cum vtraque potentia vtrobique ex æquo distinguatur. Deinde tertiò probatur eadem minor; actio non postulat, nedum respicit essentialiter destructionem sui: cur ergo petat, aut respiciat potentiam destructiuam sui: siue quod perinde est, potentiam non agendi? aut paulò aliter, cum actio tantopere refugiat destructionem sui, cur periculum suæ destructionis ex potentia proxima non agendi sibi imminens tantum amet, vt sine eo ne diuinitus esse queat?

Respondeo concessâ maiori, & negatâ minori. Ad 16
primam eius probationem dicendum est, potestatem proximam agendi, & potestatem proximam non agendi distingui quidem inter se inuicem, esseque separabiles: cæterum non esse, cur eadem indiuisibilis actio non possit essentialiter ambas respicere: quòd autem actio productiua amoris liberi de facto existens, ita eas respiciat, probatum est à nobis suprà capite præcedenti, vbi etiam quæ diximus, suadent haud absque necessitate multiplicari à nobis in præfata actione duos illos respectus essentiales ad potentiam proximam agendi, potentiamque non agendi. Ad secundam probationem negatæ à nobis minoris, dicendum est; non esse, cur vilio potentiam proximam audiendi essentialiter respiciat, cum tamen loco superius memorato efficaciter demonstratum à nobis sit, actionem liberam amandi sine respectu essentiali ad potentiam non amandi subsistere non posse. Ad tertiam eiusdem minoris probationem dici debet, multos respectus esse posse ad potentiam, & non ad eius actum: qua ratione Deus velle potest potentiam peccandi, cum tamen ipsum peccare gratum ei esse nequeat: vnde licet actio nequeat respicere essentialiter suam destructionem, eamve postulare; potentiam tamen sui destructiuam essentialiter respicier.

Argumentaberis tertiò: potest Deus necessitare 17
actionem productiuam amoris liberi, eamve de libera facere necessariam: haud ergo est essentialiter libera. Probatur antecedens: si enim Deus concursum suum deneget voluntati ad non agendum, eum vero ad agendum continuet, ac sicut antea exhibeat; tunc manebunt principia agendi, sicut antea, solumque principia non agendi mutabuntur: ergo manebit eadem actio, quæ antea: & tamen eadem libertas non manebit, vt patet: de liberâ igitur commutabitur actio, qua de agimus, in necessariam.

Respondeo

Respondeo negato diuinitus concursu diuino ad non agendum, eo vero non minus quàm antea exhibito ad agendum, manere quidem omnia principia agendi, quæ antea, cum libertas exercebatur: cæterum nihil falsius, quàm eandemmet actionem manere, eius non perseuerante libertate. Ratio est, quia cum actio libera, de qua disputamus, connexa sit iuxta dicta superius cum potentia non agendi, atque incompossibilis cum concursu Dei determinato ad vnum, in euentu quidem argumenti manebunt principia agendi eademmet, quæ antea: non tamen ad eandem actionem, sed ad aliam essentialiter diuersam, quæ nimirum potentiam non agendi essentialiter non respiciat, neque incompossibilis cum concursu Dei determinato ad vnum.

18 Argumentaberis quartò: libertas contrarietatis non est essentialis actioni productiuæ amoris liberi: ergo nec libertas contradictionis. Antecedens communiter concedi solet, & probatur: si enim actio productiua essentialiter respiceret potentiam proximam odio habendi, sicut requiritur ad libertatem contrarietatis essentialem, sanè eodem iure omnem aliam potentiam proximam voluntatis essentialiter respiceret; ac proinde actio productiua amoris Dei, v.g. connotaret essentialiter potentiam proximam non solum odio Deum habendi, verumetiam amandi proximum, eique actu misericordiæ subueniendi, & iustitiæ actu ei ius suum tribuendi, item audiendi, videndi, adorandi, &c. si quid possibile est, contingat hominem ad hos omnes actus proximè expeditum esse: atqui actionem productiuam amoris Dei connotare essentialiter potentiam proximam ad tot actus, aliosque plures ridiculum est.

19 Confirmatur, & declaratur: actio productiua amoris per accidens coniungitur cum potentia odio habendi: haud secus ac actio terminata ad actum iustitiæ per accidens concurrit cum potentia proximè productiua actus temperantiæ, aut alterius virtutis: ergo similiter actio productiua amoris per accidens iungitur cum potentia non amandi; ac proinde, &c. Antecedens ab aduersariis non negatur, & ex dictis constat. Consequentia tamen negatur à P. Hurtado disp. 15. de anima sect. 6. quia, inquit, libertas contradictionis est potestas ad amorem, & puram eius omissionem; huiusmodi autem potestas non est multiplex, sed vna tantum; eo quod vno, & non multiplici actu, siue decreto velit Deus concurrere cum voluntate creata ad amandum, & non amandum: is enim concursus est indifferens, neutiquam verò talis esset, sed potiùs determinatus, si indiuisibiliter non esset ad agendum, & non agendum: quare actio productiua amoris respicit essentialiter potentiam proximam amandi, & non amandi, vtpote omnino eandem, & consequenter libera quoad exercitium est: hæc autem ratio non militat in libertate quoad speciem, potestas enim amandi, & odio habendi, cum duos actus positiuos respiciat realiter duplex est, & duplici volitione indifferenti, altera odium, altera amorem respiciente completur. Hæc tamen solutio non satisfacit: superius enim probatum manet, potentiam proximam amandi, & potentiam proximam non amandi, siue non agendi realiter distinctas, ac separabiles esse. Deinde si libertas contradictionis non esset ad amorem, & puram eius omissionem, sed ad duos actus positiuos, videlicet ad amandum, & nolendum amare; par eius & libertatis quoad speciem in omnibus ratio esset, vt Hurtadus vbi suprà fatetur: at in creatis ita se habet libertas contradictionis, nullamque omissionem puram respicit, aut potest. Præterea, quæ minus differunt, duo decreta terminant, videlicet amor, & odium: igitur quæ magis differunt, nimirum amor, & carentia, siue omissio amoris duo decreta diuina terminabunt: atque adeò falsum est, Deum offerre concursum ad amandum, nonnisi vnico, ac virtualiter indiuisibili decreto. Hoc argumentum hactenus fusè propositum, atque confirmatum, est omnium, quæ aduersus nos fieri possunt, optimum: cæterum illud adeò fregimus cap. præcedenti, vt iam paruam, aut nullam difficultatem facessere posse videatur. Alia argumenta, quia minoris momenti, & sponte sua soluta facilia, consulto prætermittimus.

Caput IV.

Secunda pars verioris sententiæ probatur.

ATqui in primis quod, vti in ea asseruimus, libertas esse possit in alio saltem ordine rerum actioni conseruatiuæ amoris, verbi gratia, omnino essentialis, haud est difficile probatu ex dictis suprà. Cur enim tali actioni repugnet dependentia essentialis ab indifferentia proxima voluntatis in actu primo, siue à potestate proxima agendi, & non agendi? Talis autem dependentia necessariò cohæret cum libertate essentiali. Quæ autem argumenta confici possunt aduersus possibilitatem actionis conseruatiuæ essentialiter liberæ, iis factum est satis in simili toto cap. præcedenti. Porrò autem actionem omnem conseruatiuam liberam de facto existentem gaudere libertate accidentali, & partim extrinseca, vti in eadem secunda nostræ, ac verioris sententiæ parte statuimus, suadetur primò hunc in modum. Actio conseruatiua amoris liberi de facto existens, qualiscunque sit, per seipsam essentialiter durat, cum vel realiter indistincta sit à duratione amoris, quem producit, vel certè cum ea essentialiter connectatur: igitur esto per relationem coexistentiæ cum indifferentia voluntatis sibi partim intrinsecam, partim extrinsecam libera sit, non propterea per aliquid natura posterius libera denominabitur, vt intuenti constabit: igitur non est, cur libertas ei partim extrinsecus, partim intrinsecus non adueniat: saltem ne in illa absque necessitate multiplicentur respectus essentiales: alter nimirum ad voluntatem, alter ad eius indifferentiam proximam. Hæc postrema consequentia suadetur, quia si libertas non posset tali actioni partim intrinsecus, partim extrinsecus aduenire, maximè quia aliàs per aliquid natura posterius ei conueniret: at quòd hoc non sequeretur, proximè suprà manet ostensum. Rursus secundò principaliter probatur libertas partim intrinseca, partim extrinseca actionis conseruatiuæ amoris de facto existentis, quia quæ opponi possunt aduersus eam argumenta facilem habere solutionem, vt iam iam ostendo. 20

Obiicies primò: actio conseruatiua amoris Dei, verbi gratia, de facto existens est essentialiter incompossibilis cum actu eam efficaciter imperante, ac proinde cum quouis alio principio necessitante, cum vnius maior, quàm alterius ratio non sit: ergo est essentialiter libera. Antecedens perspicuum est: quia alioqui sequeretur, eandem actionem esse liberam, ac simul necessariam proximè, & formaliter: voluntas enim pro eodem signo naturæ potest esse proximè indifferens ad conseruandum amorem Dei, vel eius omissionē veluti ponendā, necnō etiā ad imperādam, vel non imperandā cōseruationē præfati amoris. Demus ergo eā imperare efficaciter cōseruationē amoris, sanè talis actio conseruatiua amoris erit quidē necessaria 17

saria propter imperium efficax eam antecedēs,& cum ea cōnexum,ac simul etiam libera formaliter:ea enim actio oritur à voluntate ad eam,vel eius omissionem proximè indifferenti. Vt igitur hoc inconueniens, ac terminorum contradictio euitetur, dicendum est, indifferentiam proximam voluntatis esse ad actionem conseruatiuam amoris essentialiter incompossibilem cum imperio efficaci, & quouis alio principio necessitante, ac proinde essentialiter diuersam ab ea, quę imperatur efficaciter:quo fit,vt conseruatio amoris efficaciter imperata tantum necessaria sit,non vero libera;eo quod indifferētiā volūtatis in actu primo nō respiciat,ab eave proueniat,nec etiā ab ea respiciatur.

22 Hypothesis autem argumenti suadetur:quia voluntas simul cognoscere potest bonitatē obiecti,& etiam bonitatē ipsius amoris vt conseruandi,siue quod perinde est,conseruationis amoris. Cur ergo pro eodem signo,quo est proximè potens ad amādum obiectum pro sequenti instanti,non possit etiā proximè amare, & efficaciter imperare ipsam amoris conseruationem pro sequēti instāti;aut,si malit,ab his actibus supersedere?Rursus:si non posset voluntas pro eodē instanti naturæ duplicem illam indifferentiam proximam habere,maximè quia eius indifferentia proxima ad conseruandum, vel non conseruandum amorem obiecti intrinsecè includit carentiā imperij efficacis,& cuiusuis alterius principij ad amoris cōseruationem necessitantis:vnde quousque voluntas ponat carentiam imperij efficacis non poterit esse proximè indifferens ad conseruandum,vel non conseruandū amorem:at hæc ratio nullius momenti est:indifferentia enim proxima voluntatis ad conseruandum,vel non conseruandum amorem non constituitur per carentiam odij, quamuis efficax odium necessario inferat carentiam amoris,& actionis conseruatiuæ ad eum terminatæ,& cum ea connexionem antecedentem habeat:ergo similiter carentia imperij efficacis non constituit intrinsecè indifferentiam proximam voluntatis ad conseruandum,vel non conseruandum amorem;tametsi conseruatione amoris necessario inferat imperium, & cum ea cōnexionem antecedentem sortiatur.Antecedens vero, ex quo hæc consequentia legitimè sequitur, perspicuum est: aliàs enim cum voluntas est libera quoad speciem, atque in eodem instanti reali proximè indifferens ad amoris conseruationem,vel puram eius omissionem, odiumque etiam conseruandum, aut ponendam eius omissionem; in primis carentia amoris esset simul libera,& necessaria,vt suprà arguebamus; libera, ob indifferentiam proximam voluntatis ad amorem conseruandum, vel non conseruandum;necessaria,quia ex principio aliquo antecedenti, & secum connexo, videlicet odio inferretur. Rursus carentia illa amoris, eiusque non conseruatio esset prior,& posterior odio, esset posterior natura, quàm odium, quia ex illo infertur; esset eo prior natura, quia indifferentia proxima voluntatis ad odium, vel eius amissionem constituitur per carentiam amoris; hæc ergo non minus, quàm indifferentia illa odium natura anteuertit: eadem ratione inferri posset, carentiam amoris,& carentiam etiam odij pro instanti, quo amor & odium possunt conseruari,mutuo se antecedere,& subsequi naturæ ordine.

23 Respondeo fieri non posse,vt voluntas pro eodem naturæ signo duplicem illam indifferentiam habeat ob rationem numero superiori insinuatam. Ad primam probationem oppositam dicendū est,indifferentiam proximam volūtatis ad amorem Dei conseruandum,vel non conseruandum præter cognitionem indifferentem aliā insuper requirere,cum in sensu composito eius cognitionis non indifferens,sed necessitata esset possit vi physicę prędeterminationis,aut alicuius decreti diuini: quare licet pro eodem signo naturæ contingat,voluntatem cognoscere indifferenter bonitatem obiecti,& bonitatē ipsius amoris vt cōseruandi;non propterea ad vtrumque libere amandam tunc indifferens erit:idcirco autem eius indifferētia pro eo signo proximè compleri potest ad imperium efficax cōseruationis amoris,non vero ad ipsam amoris conseruationē, etsi adsit cognitio ad vtrumque sufficiēs, quoniam tunc intelligitur carentia omnis principij necessitātis ad imperium,non vero omnis necessitantis ad amorem ipsum directè cōseruandum.Ad secundam probationem oppositam dicendum est,in primis nullam eius vim esse,si voluntas creata purè omittere nequit, vt nequire probabilius est. Deinde admissâ etiam possibilitate puræ omissionis negari nequit, latum esse discrimen inter imperium efficax, & odium, vel amorem: impedimentum enim consequens, & quod per ipsum actum tolli potest, ante huius positionem auferri non debet, atque adeo exclusio, siue carentia illius non necessario constituit potentiā proximam ad actum: amor autem est impedimentū consequens respectu odij,& è contrà:vnde volūtas non debet constitui proximè potens ad amorem conseruandum,vel non conseruādum per carentiā odij,aut vice versa:sic forma corrumpenda,quia est impedimentum consequens respectu formæ genitæ,& per hanc auferibile non debet intelligi prius destructa, quàm hæc producta;nec eius carentia constituit potentiam proximam ad huius productionem. Cæterum imperium efficax est impedimentum antecedens,non vero consequens respectu exercitij potentiæ liberæ, aut per illud auferibile: per amorem enim auferri non potest, cum hic sit eius effectus,illudque supponat: per carentiam etiā amoris auferri nequit,cū hæc immediatè tantum auferat id, cui opponitur; amori autem directo,non vero imperio efficaci reflexè opponatur.

Obiicies secundò: potentia libera maiori conatu 24
operatur,quàm potentia necessaria,& hæc minori: at maior,& minor conatus realiter differūt:ergo conatus potentiæ liberæ,& conatus potētiæ necessariæ diuersi sunt:ac proinde,cum conatus potentiæ in effectum sit eius actio, non poterunt non differre actio potentiæ liberæ,& actio potētiæ necessariæ:quo fit,vt actio potentiæ liberæ,per quam aliquē actū producit,aut conseruat, sit essentialiter libera. Maior probatur:potētia libera claudit duplicem potentiā proximā, alteram ad producendum effectum,alterā ad eum omittendū:potentia verò necessaria nonnisi vnā tātum,videlicet ad operādum:potentia ergo libera duplicē habet inclinationē,alterā ad effectum,alterā ad eius omissionē,cum tamen poteutia necessaria in solum effectū inclinetur: conatus ergo potentiæ liberæ in effectum vincit eius inclinationem ad omissionē effectus, cum tamen conatus potentiæ necessariæ nullam inclinationem ad oppositum deuincat: ergo conatus potentiæ liberæ superat aliquam difficultatem, quam non superat conatus potentiæ necessariæ, ac proinde eo maior, & vehementior est. Respondeo, potentiam liberam non operari maiori conatu, quàm eandem potentiam,cum per accidens necessitatur: siquidem eadem actione,eodemque conatu,quo necessariò operatur,ac nullam inclinationem in oppositum superat, posset eam superare,si adesset: quòd vero de facto eam non superat,non ex defectu virtutis,aut efficaciæ in actione prouenit, sed ex defectu materiæ circa quam, & quia non datur inclinatio illa in oppositum, quæ nisi cum potentia proxima ad oppositum non reperitur. Quod si de actione potetię per se necessarię sermo sit, haud inficiar actionē liberā ab ea specificè distingui,

idque

idque argumento posito concludit ; cæterum ad talem distinctionem satis est, quod actioni liberæ, qua aliquid conseruatur, aut etiam producitur, essentiale sit, quod possit esse libera, non vero quod actu sit libera.

25 Illud silentio prætermittere non possum, duo superiora argumenta manifestissimè instari in libertate quoad speciem. Demus, voluntatem esse indifferentem proximè ad amandum, vel odio habendum, pro eodemque naturæ signo esse indifferentem ad imperandum eodem indiuisibili actu amorem, & carentiam odij, vel ad eiusmodi imperium omittendum: quod si contingat, voluntatem in hoc euentu indiuisibiliter imperasse amorem, & carentiam odij, amor imperatus erit liber quoad speciem, cum proueniat à voluntate proximè indifferenti quoad speciem, erit etiam simul necessarius quoad speciem, cum actus volens efficaciter amorem, & simul nolens efficaciter odium necessitare videatur quoad speciem; atque ita antecedat amorem, vt ex suppositione illius non possit voluntas odisse: qua ratione imperium efficax solius amoris ad eum necessitat quoad exercitium, quia illum antecedit, & ex eius suppositione non potest voluntas non amare. Rursus qui libertatem quoad speciem exercet, à bono, vel malo opposito attrahitur, vel retrahitur, ne hoc obiectum amet; atque adeò maiorem difficultatem superat, quàm si liber quoad exercitium esset, vnumque solum obiectum ei amandum, vel non amandum proponeretur. Duo ergo argumenta superiora in libertate contrarietatis infringuntur. Reliqua argumenta, quia minoris momenti, omitto.

Caput V.

Tertia pars nostræ, ac verioris sententiæ probatur.

26 Duo autem in ea adstruximus: alterum est, possibilem esse in alio rerum ordine qualitatem amoris, cui libertas sit omnino essentialis, & intrinseca: alterum est de facto omni actui, siue qualitati amoris, v.g. libertatem esse non omnino essentialem, sed partim intrinsecam, partim extrinsecam. Prius autem horum satis constat ex dictis c. præced. vt enim ibi disputauimus in simili, quæ esse potest repugnantia in qualitate amoris essentialiter libera? Quod aduersus eam argumentum, quod vrgeat? Posterius autem facillimum probatu ex dictis est: quia, si actio conseruatiua amoris, quamuis modus sit, & entitas respectiua, non tamen respicit essentialiter indifferentiam voluntatis, sicut ad libertatem essentialem oportet; multò minus eum respectum habere poterit ipse amor, cum qualitas absoluta sit. Deinde calor vel ab igne, vel à luce, vel à sole, vel ab alio colore, aliisque innumeris causis valdè dissimilibus per dissimiles actiones prouenire potest. Amor igitur à fortiori produci poterit ab eadē voluntate, in quocunque statu sit, & siue indifferens siue determinata sit. Antecedens ex lib. 5. Physicæ constat. Consequentia in aperto est: si namque calor quantæuis imperfectionis sit, à nulla tamen causa determinata essentialiter pendet, sed à quacunque in particulari sumpta independens est: sanè amor perfectissimæ, & incorporeæ entitatis, erit independens à quouis statu voluntatis, eiusque indifferentia, vel determinatione, vtvt ab ipsa voluntatis substantia ratione suæ vitalitatis saltem ex natura rei dependens sit. Præterea rationes omnes, quibus actionem non esse essentialiter liberam, aut cum indifferentia voluntatis inseparabiliter connexam ostendebamus, in ipso amoris actu locum habent, vt meditanti constabit. Tandem idipsum suaderi potest solutione argumentorum, quæ obiici possunt in contrarium.

Obiicies ergo primò: actus liber, quia liber est, & 27
à necessario diuersus, est obiectum specialis complacentiæ diuinæ, cui neutiquam obiiceretur, si non liber, sed necessarius esset: at nequit esse obiectum specialis complacentiæ Dei, nisi ob perfectionem aliquam sibi intrinsecam: igitur actus liber, quia liber est, & à necessario diuersus, habet perfectionem aliquam sibi intrinsecam, quam non haberet, si necessarius esset: atque adeò actus liber est intrinsecè diuersus à necessario. Maior in conspicuo est: actus enim liber, quia talis est, præmium meretur; cuius tamen meritorius non esset, si non liber, sed necessarius foret: quod autem præmio dignum est, eo ipso specialem aliquam complacentiam remunerantis terminat: cur enim præmium operanti conferret, nisi eius opus ei placeret? actus igitur merito suæ libertatis specialem aliquam complacentiam Dei meretur. Minor autem argumenti suadetur: quia seorsim à perfectione aliqua intrinseca actui libero vt tali, quid illud esse potest, ratione cuius peculiarem complacentiam meretur? Haud enim est entitas actus, cum hæc omnino eadem sit, siue actus sit liber, siue necessarius. Haud etiam indifferentia voluntatis in actu primo: hæc enim non magis amabilis est, quàm eius determinatio in actu primo, cum Deus vtramque in diuersis circunstantiis ex æquo velit; & quod caput est, vtraque inuoluat decretum aliquod Dei infinitæ bonitatis, & amabilitatis. Adde etiam quod actus malus, quia liber est, terminat specialem displicentiam Dei: at non ob indifferentiam proximam voluntatis: hæc enim Deo non displicet, sed potiùs eius decretum aliquid sibi summè gratum inuoluit: ergo nec etiam actus bonus merito indifferentiæ in actu primo specialis complacentiæ obiectum erit. Tandem id ratione cuius actus liber speciali complacentia diuina dignus est, non est aggregatum ex ipso actu, & indifferentia voluntatis, cum enim quæuis eius aggregati pars speciali illa complacentia digna non sit, & actus liber nihil habeat per se magis amabile, eo quod in actu necessario reperitur, qui fieri potest, vt aggregatum ipsum specialem illam complacentiam mereatur.

Verum non est difficile huius argumenti vim 28
multis infringere instantiis: actus namque moraliter bonus si persona per eum operans sancta, ac grata sit, est meritorius de condigno gloriæ, & vlterius gratiæ; atque adeò specialis alicuius complacentiæ obiectum est, cui non obiiceretur, si operans in gratia non esset, sed in peccato esset: at gratia operantis huic soli intrinseca est, eius verò actui extrinseca, & minimè vnita: igitur actus est obiectum specialis complacentiæ, qua Deus ad præmium mouetur per aliquid sibi partim intrinsecum, partim extrinsecum, scilicet per suam entitatem, & etiam per gratiam, ac dignitatem operantis: similiter ergo in præsenti, &c. Sicut ergo nec sola dignitas, & gratia operantis præmio illo vlteriotis gratiæ, & gloriæ digna esset, nec sola eius operatio; & tamen complexum vtriusque meritum illud de condigno: obiectumque specialis complacentiæ diuinæ constituit; ita non video, cur aggregatum indifferentiæ voluntatis, & ipsius actionis liberæ hanc Deo specialiter placere non efficiat. Eadem instantia proponi potest in peccato habituali: peccatum enim præteritum secundum se pœnam non meretur, & nec Deo displicet, nec hominem ei displicere efficit; & tamen aggregatum vtriusque peccatum habituale

habituale Deo displicens, ac pœnæ meritorium constituit; actusque præteritus partim per seipsum, partim per carentiam diuinæ condonationis sibi extrinsecam, Deo displicens, & supplicio dignus efficitur. Similiter instantia fieri potest in actu moraliter bono, qui per liberam conseruationem, maioremque durationem magis meritorius est, & specialem Dei complacentiam terminat. At iuxta P. Hurtadum duratio est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, atque in existentia actus, & tempore labente sita. Rursus non absimilis instantia fieri potest in sententia plurium aduersariorum admittentium ex maiori gratia cæteris paribus crescere meritum actus. Tandem instari potest argumentum in libertate quoad speciem actui extrinseca: actus enim liber hoc genere libertatis est multo magis meritorius, quàm si solùm esset liber quoad exercitium, ob maiorem difficultatem, quam superat.

29 Obiicies secundò: potentia libera est intrinsecè, & essentialiter perfectior, quàm potentia necessaria, vt manifestum est: at potentia perfectior maiorem perfectionem in suos actus refundit: qua ratione homo, quàm equus; & hic, quàm lapis perfectiores operationes habet: ergo potentia libera refundit maiorem aliquam perfectionem, quàm necessaria in necessarium: atque adeò actus liber suaptè natura perfectior est necessario, & quod consequens est, ab eo essentialiter diuersus. Respondeo, potentiam liberam esse perfectiorem eâ potentiâ, quæ per se necessaria est; & tamen non solum ad aliquos, sed etiam ad omnes suos actus necessitatem habet; qua ratione homo equo, & leone, cæterisque agentibus naturalibus multo perfectior est: potentiam tamen liberam esse magis perfectam potentiâ per accidens necessariâ, & quæ eiusmodi est non in ordine ad omnes actus, sed tantum ad aliquos; quin imo potentiam liberam, & potentiam hac ratione necessariam esse omnino eandem, & solùm extrinsecè ratione alicuius comprincipij, aut concursus diuini, non vero intrinsecè: & essentialiter differre. Hinc autem duntaxat colligitur, actum liberum hominis, actumque necessarium equi intrinsecè differre: actum vero liberum hominis, eiusdemque actum necessarium extrinsecè tantum differre: hac enim ratione, & non alia diuersitas actuum diuersitatem principiorum imitatur. Obiicies tertiò: actus liber oritur ex cognitione indifferenti, & necessarius ex cognitione determinata, atque adeò ex diuersis specie cognitionibus: at diuersas specie cognitiones sequuntur diuersi specie affectus: ergo actus liber, & necessarius specie diuersi sunt. Maior conspicua est. Minor autem probatur ab Hurt. disp. 14. de anima sect. 6. tum quia diuersa facultas cognoscitiua diuersam etiam facultatem appetitiuam re, aut ratione infert: vnde sicut sensus, & intellectus, sic etiam appetitus sensitiuus, & voluntas specie distinguuntur. Tum etiam, quia cognitio boni in bellua non intentionem, & electionem, sed alios affectus inferioris speciei, & ordinis infert: at non alia ratione, nisi quia licèt obiectum sit idem, eius tamen cognitio in homine, & bellua est longè diuersa.

30 Fateor cognitiones specie diuersas effectus specie diuersos sæpissimè inferre: id quod argumentis à Patre Hurtado adductis haud malè probatur: & vlterius etiam suaderur contra P. Vasquez 1. 2. disputatione 2. capite 1. oppositum tuentem. Si cognitio non posset vnquam variare affectum, maximè quia cognitio non est principium effectiuum, sed directiuum, meraque dispositio, siue cognitio sine qua voluntas non amaret: at quòd principium non effectiuum speciem tamen effectus variare possit, multis probatum manet lib. 4. Physic. tract. 1. capite 3. & vel inde constat, quòd essentia diuina non sit principium productiuum Verbi, & tamen ea variata terminus productus idem non esset. Quod vero omnes affectus orti à cognitionibus diuersis, diuersi sint, nullatenus verum esse potest. Primò, quia causæ efficientes specie diuersæ haud raro eundem specie effectum producunt, vt cum ignis, lux, & sol calorem efficiunt: igitur à fortiori causa directiua, quæ minus in effectum influit, non poterit variare speciem effectus in omni euentu; ac proinde, cum cognitio sit causa directiua, à diuersa cognitione, non diuersa, sed eadem volitio interdum manare poterit. Hinc respondeo argumento proximè facto, cognitionem indifferentem, & cognitionem determinatam ad vnum, vt specie diuersæ sunt, inferre quidem posse aliquos actus voluntatis specie diuersos; cum altera amorem, aut odium, seu nolitionem amandi causare possit; altera vero nonnisi solum amorem: cæterum ab iis aliquando eundem specie affectum oriri posse; atque adeo amorem liberum, amoremque necessarium ab vtraque prouenientem, eundem, & non diuersum specie esse. Respondeo secundò, cognitionem indifferentem, & determinatam non distingui adæquatè, sed inadæquatè tantum: cognitio enim boni seorsim à cognitione mali, aut alterius rationis, boni amorem impedientis est determinata; simul vero cum illa eadem cognitio indifferens est. Hinc igitur est, amorem liberum prouenientem à cognitione indifferenti non differre adæquatè, sed inadæquatè, & extrinsecè tantum ab amore necessario, cui cognitio determinata prælucet: haud aliter ac cognitio ipsa indifferens à cognitione determinata nonnisi inadæquatè tantùm, & per aliquid sibi extrinsecus adiunctum discriminatur.

Obiicies quartò: actus vitalis intrinsecè, & es- 31
sentialiter differt à non vitali, actusque voluntarius à non voluntario: euidens enim est, cognitionem, & volitionem ab operationibus rerum insensibilium non accidentaliter, aut extrinsecè tantum differre: similiter ergo actus liber à necessario differet. Respondeo concesso antecedenti, & negata consequentia: siquidem actus liber differre potest à necessario per hoc, quòd actionem diuersam, nempe essentialiter liberam terminet; aut per hoc, quòd tam ipse actus, quàm actio indifferentiæ voluntatis coexistant: hæ autem denominationes actui libero extrinsecæ sunt, ac proinde eius ab actu necessario discrimen extrinsecum erit. Cæterum actus vitalis, aut voluntarius, cognitio videlicet aut amor ab actu nec vitali, nec voluntario, calore v. g. aut frigore seorsim à quauis actione, aut relatione coexistentiæ differt, quia entitatiuè perfectior est, & perfectiores etiam effectus, perfectioresque causas postulat.

CAPVT VI.

Quarta, & quinta pars probabilioris sententiæ suadetur.

32 Asseruimus quarto loco, libertatem formalem, & in actu secundo sumptam consistere non posse in modo aliquo intrinseco, & accidentario actionem, aut actum liberum consequente. Quod me iudice manifestum, & euidens est, ac probatur hunc in modum: pro priori naturæ ad illum modum intelligitur actio existens, atque adeò dependens ab omnibus suis causis: vel ergo dependens à voluntate indifferente

indifferente ad vtrumlibet: & sic pro eo priori libera erit: vel à voluntate determinata ad vnum: atque ita erit necessaria, & incompossibilis cum modo illo libertatis subsequente. Rursus secundo: modus ille libertatis, quem comminiscuntur aduersarij, est ens reale: ergo producitur per actionem aliquam: tum sic: actio productiua illius modi aut est libera pro priori naturæ per alium modum distinctum à suo termino: & sic infinitus processus modorum perspicuè sequitur: aut est libera per seipsam essentialiter, ante modum omnem libertatis: atque ita etiam actio productiua ipsius amoris ante omnem libertatis modum per se ipsam, & essentialiter libera erit: frustra igitur, & per quam ex vano dicitur, libertatem in modo illo accidentario, & consequente esse sitam. Præterea: bonitas, & malitia moralis non sunt modi consequentes existentiam actus, quem bonum, malumve in genere amoris denominant: atqui ambæ includunt formaliter libertatem: hæc ergo nequit esse modus consequens entitatem, & existentiam actus liberi, actionisve per quam producitur. Minor syllogismi suadetur: quia bonitas, & malitia moralis sunt formaliter meritoriæ præmij, ac pœnæ: hosque effectus suo sibi iure vendicant: meritum autem formale præmij, aut supplicij quî esse, aut intelligi potest sine formali exercitio libertatis? Bonitas ergo & malitia moralis libertatem in suis conceptibus claudunt, eamque reuera important. Maior autem eiusdem syllogismi, nempe bonitatem, & malitiam moralem haud esse modos consequentes hunc in modum breuiter suadetur: non potest bonitas & malitia moralis in eo immediate consistere, in quo nulla elucet formalis, & immediate libertas: non elucet autem in modo consequente: ergo, &c. illud prius perspicuè ostenditur: quia bonitas, & malitia moralis absolutè loquendo postulant libertatem aliquam, & sine hac minimè subsistunt: ergo bonitas, & malitia moralis si sint formaliter, & immediatè tales, nec denominatiuè, & mediatè conueniant, eo ipso postulabunt libertatem non qualemcumque, sed proximam, & immediatam: eo igitur modo sumptæ haud possunt in eo consistere, ibive reperiri, vbi nulla reperitur formalis, & immediata libertas. Quod etiam inde vlterius patet, quia bonitas, & malitia moralis primario, & immediatè non reperiuntur in actione exteriori, nec ei competunt nisi per denominationem ab interna voluntatis actione: sed non alia ratione nisi quia actio exterior non est immediatè libera: ergo, &c. Postremò principaliter suadetur quarta illa nostræ, ac verioris sententiæ pars: quia libertas est relatio actus, actionisque ad indifferentiam voluntatis: aut ergo est relatio essentialis alterutri; siue, vt loquuntur alij, transcendentalis: & sic nequit consistere in modo consequente, & realiter distincto: aut est actus, actionisve intuitu relatio prædicamentalis, ac minimè essentialis: & sic etiam patet quod non sit modus consequens: cum vniuersim loquendo relationes prædicamentales non esse modos fundamentis, ac terminis suis superadditos ostenderimus superius lib. 3. huius operis, cum esset sermo de prædicamento ad aliquid.

33. Asseruimus quinto, & vltimo loco actioni essentialiter liberæ, siue conseruatiua sit, siue primò productiua, duplicem in esse libertatem: alteram essentialem, & omnino intrinsecam; alteram accidentariam, & ex parte extrinsecam. Probatur autem: quia actus essentialiter verus, & falsitati repugnans supra veritatem intrinsecam, & essentialem habet aliam extrinsecam, & in obiecto ex parte sitam, vt in Dialectica lib. 10. & postremo à nobis est ostensum. Similiter ergo in præsenti, &c. Idem suadetur etiam ex eo, quòd quæuis res creata essentialiter pendens à Deo per duplicem dependentiam, & productionem ab eo pendeat: quod item intellectus noster per duplicem semper intellectionem intelligat obiectum: quod etiam anima nostra duplici prædita sit intellectu, agente scilicet atque patiente: quæ omnia locis suis sunt demonstrata. At inquies: materia v. g. hoc ipso quod sit existens per seipsam essentialiter, nequit existere per existentiam formæ: aliud enim est existere per existentiam formæ: aliud per eam compleri: siue, quod eodem redit, aliud est per eam absolutè, & sine additamento denominari existentem: aliud per eam completè existere: horumque posterius tametsi concedatur, concedi tamen nequit prius, nec certè ab vllo conceditur. Pari ergo ratione hoc ipso, quòd actio aliqua sit essentialiter libera, haud poterit dici libera per denominationem extrinsecam ab indifferentia voluntatis. Sed admisso antecedenti neganda est hæc consequentia. Ratio discriminis est: quia quò minus indifferentia voluntatis supposito respectu essentiali ad eam actionis liberæ, & se habente instar applicationis, siue conditionis sine qua non, talem actionem denominet liberam, non obstante eius libertate essentiali, nihil obesse potest, nullumque supperit argumentum, quo id falsitatis euincatur: cum tamen argumenta omnia probanria indistinctionem realem essentiæ ab existentia, aut nulla sint, aut certè id conuincant, materiam non posse dici simpliciter, & absolutè existentem per existentiam formæ à se realiter distinctam: à fortiori ergo per eam non existet, si ante eam præsupponatur existens per semetipsam.

Caput VII.

An prædefinitio Dei efficax sit compossibilis cum libertate creata?

NOn pauci nostræ Societatis Doctores cum P. Molina, & Vasquez negatiuè respondent: argumenta, quibus mouentur, sunt sequentia. Præfinitio efficax Dei antecedit natura actum voluntatis creatæ, & cum eo connectitur essentialiter: igitur ei necessitatem antecedentem importat, atque adeò eius libertatem euertit. Quod si dicatur, præfinitionem efficacem supponere scientiam mediam, nec nisi per ea auxilia, quæ Deus videt habitura effectum, si ponantur, consensum voluntatis decernere: vnde non simpliciter, sed secundum quid eum antecedere: in contrarium est, quoniam præfinitio supponens scientiam mediam, hoc ipso tantùm supponit actum in statu conditionato, non vero in statu absoluto: igitur eum in statu absoluto simpliciter antecedit; ac proinde eius libertatem in hoc statu euertit. Responderi solet huic argumento, prædefinitionem non antecedere simpliciter, sed secundũ quid tantum arbitrij nostri consensum, tribus de causis: quarũ singulæ si non sufficiunt, omnes tamen collectim sumptæ sufficiẽtissimæ sunt: nam primo efficax illa præfinitio nõ est principiũ immediatũ operis, sed mediatũ duntaxat. Deinde secũdo non requiritur essentialiter ad actum præfinitũ, quin potius hic sine illa esse potest. Rursus tertio scientiam 34.

mediam, atque adeo actum in aliquo statu videlicet conditionato sequitur. Hinc est, vt quamuis Deus ex suppositione scientiæ mediæ consensum voluntatis Physicæ prædeterminaret; non propterea eius libertatem indemnem seruaret: non solum quia prædeterminatio, non per se, & essentialiter, sicut præfinitio; sed per accidens tantum scientiam mediam supponeret; verumetiam quia esset principium immediatum operis, & ad illud omnino requisitum.

35. Arguunt secundo eius sententiæ assertores, & præcedenti argumento robur adiiciunt: præfinitio efficax est principium immediatum actus præfiniti: at iuxta omnes principium immediatum simpliciter, ac propriè effectum antecedit: ergo, &c. Maior suadetur: quia omnis voluntas efficax creaturæ rationalis terminata ad operationem in eius potestate constitutam, est executiua; hoc est, eius potentiam actiuam immediatè applicat ad operandum, vt in voluntate efficaci deambulandi experimento constat. Hoc argumento alij ad impugnandas præfinitiones efficaces, alij vero ad excludendos à Deo ordines intentionis, & executionis, inter se ratione distinctos, vtuntur. Ei tamen responderi solet negata eius maiori. Ad primam probationem dici solet, non omnem volitionem efficacem creaturæ rationalis eam ad operandum proximè applicare, nisi sit efficax ordine executionis, non vero solius intentionis: quocirca multoties quis ex amore Dei eleemosynam dare decernit: & tamen hoc decretum efficax non applicat immediatè manus ad eius elargitionem, sed aliud decretum natura posterius; cuius motiuum non charitatis, sed misericordiæ sit. Secundo dici solet, præfinitionem efficacem non decernere; aut desiderare efficaciter actum præfinitum, sed esse simplicem, & inefficacem complacentiam respectu illius: totam vero eius efficaciam in ordine ad volitionem collatiuam auxilij, quod videtur congruum esse, & respectu huius solius imperium, ac desiderium efficax esse. Arguunt tertio: vt actui nostræ libertatis sua libertas constet, non debet immutari modus operandi præuisus in statu conditionato: hoc est, produci debet dependenter ab iis solum principiis, quæ per scientiam mediam præuisa erant habitura effectum, si ponerentur, at admissa præfinitione immutatur modus operandi præuisus in statu conditionato: siquidem in statu absoluto actus dependenter à præfinitione existit, & tamen per scientiam mediam solum videtur actus exiturus, si detur auxilium indifferens, non vero si præfiniatur: quia actum extiturum esse, si præfiniatur, est præfinitionem esse efficacem, & essentialiter connexam cum actu: efficacia autem & connexio essentialis præfinitionis cum actu, sicut & quoduis eius prædicatum essentiale per scientiam simplicis intelligentiæ, non vero mediam cognoscitur. Responderi tamen solet, antecedentiam præfinitionis, & posterioritatem, siue dependentiam actus præfiniti aut indistinctas; aut certè correlatiuas esse: vnde sicut præfinitio non antecedit simpliciter actum: ita hic ab illa simpliciter non dependet, sed potius concomitatur: quare non immutatur vi præfinitionis modus operandi præuisus in statu conditionato: siquidem actus nullam habet dependentiam propriè sumptam ab aliquo principio, quæ per scientiam mediam præuisa non erat, sed solum aliquam dependentiam impropriè sumptam, nimirum ab ipsa præfinitione.

36. Arguunt quarto: præceptum moriendi Christo impositum, ei moriendi necessitatem intulit, ac non moriendi libertatem abstulit: at eiusmodi præceptum non erat principium immediatum actus, per quem Christus vsque ad mortem obediuit: non enim nisi media cognitione, & acceptatione sui eum obedientiæ actum causare potuit: ergo licèt præfinitio non sit principium immediatum, &c. Verum in primis multi Theologi sunt, qui mortem etiam absolutè, & quoad eius substantiam Christo liberam esse tuentur: eo quod potuerit Christus à Patre dispensationem præcepti petere, & impetrare. Rursus dici potest, præceptum mortis effecisse, vt carentia mortis esset peccatum, & mors ipsa consequenter non peccatum, siue non peccandi vnicum, ac necessarium medium: cum ergo Christus vi vnionis hypostaticæ necessitatem non peccandi habuerit, mirandum non est, quòd etiã mortis sibi præceptæ necessitate non caruerit: quocirca præceptum non idcirco mortem necessariam efficiebat, quia erat influxus mediatus in illam, sed quia erat circumstantia quædam ex parte operis se se tenens: quæ ratio in præfinitione non militat, vt vel leuiter attento constabit. Arguunt quinto: præfinitio efficax actus opponitur ac repugnat, essentialiter cum voluntate præparatiua concursus indifferentis: atquè adeò cum libertate. Id probatur: quia voluntas illa præparatiua facit Deum velle actum, & etiam quantum est ex se carentiam actus: at præfinire, ac decernere efficaciter actum, & velle quantum est ex se carentiam actus, omnino opponuntur. Responderi tamen solet; aliquo obiecto efficaciter volito, eius carentiam inefficaciter amari posse: ac proinde in præsenti, &c. Tandem arguunt: si posset Deus illæsâ libertate operum nostrorum ea efficaciter præfinire; similiter ante vlla merita nostra absolutè præuisa poterit nos efficaciter eligere ad gloriã: idque absque præiudicio nostræ libertatis, quãtumlibet efficax illa electio merita nostra antecedat, & cũ iis connectatur. Consequens autem absurdum est: quia aliàs gloria non posset esse præmium, aut corona nostrorum meritorum: præmium enim debet esse aliquid aliunde indebitum: quod enim aliunde, & independenter à meritis debetur, eorum præmium esse non potest: id namque esset mereri quod iam habes; & merita tibi non magis conferre, quàm si non merereris: admissâ autem eâ efficaci electione ad gloriam, hæc independenter à meritis nobis indebita est: cum independenter ab iis absolutè præuisis, atque adeò omnino gratis gloriæ donationem nobis Deus fecerit.

37. Verum optime sustineri potest, gloriam esse coronam, & præmium meritorum nostrorum; esto ante hæc absolutè præuisa ad eam efficaciter eligamur. Ratio est: quia cum dicitur gloria gratis, atquè independenter à meritis absolutè præuisis nobis donari, voculæ illæ *gratis* & *independenter* supra voluntatem dandi, non vero supra eius obiectum appellant: quasi sensus sit actum, per quem Deus gloriam nobis donat, gratuitam quidem esse, & liberalem, atque quibuscumque meritis nostris absolutè futuris anteriorem: cæterum gloriam ipsam non gratis, aut liberaliter, sed dependenter à meritis, & propter illa conferri. Vno verbo: electio ad gloriam est voluntas quædam vendendi gloriam propter merita; ac proinde ex se quidem liberalis est, ex parte vero obiecti onerosa. Hoc autem satis est, vt gloria possit esse præmium meritorum non obstante anteriori illa, & gratuita electione ad illam: qua ratione pecunia est merces, & præmium eorum quæ quis amico, quia talis est, vendit; quantumuis voluntas vendendi gratuita, & liberalis sit.

Enim

38 Enimvero alij Societatis nostræ Theologi oppositam sententiam tuentur, & magis communiter quidem cum P. Suarez, & Fonseca: potissimum autem, & fermè vnicum fundamentum, cui innituntur, huiusmodi est, complexum auxilij, & scientiæ mediæ, qua Deus videt illud, si conferatur, futurum efficax, antecedit naturam consensum arbitrij, & cum eo connectitur essentialiter; & tamen eius libertatem non destruit: ergo etiam absque vllo libertatis præiudicio efficax præfinitio Dei actum præfinitum antecedere, & cum eo connecti poterit: connexio essentialis eius complexi cum consensu arbitrij conspicua est: alias quidem scientia media falsa esse posset: eius autem antecedentia videtur negari non posse: auxilium enim immediatè consensum antecedit: scientia autem media dirigens Deum ad collationem auxilij hoc ipso auxilium, ac proinde consensum ipsum mediatè antecedit. Non me latet, aliquos ex nostris directionem scientiæ mediæ negare: cæterum facilè refelli possunt. Ad id enim vtilis est scientia media, vt saluâ libertate conferat Deus speciale beneficium ei, quem conuertit, multoque maius quàm non conuersо, alterumque ab altero discernat: sed ad hunc vsum scientiæ mediæ opus est, vt ea ad collationem auxilij dirigat: necesse enim est, vt ideo Deus huic conferat auxilium, quia videt illud esse efficax: Deum autem conferre auxilium, quia videt illud esse efficax, est dirigi à scientia media efficaciæ ad collationem auxilij: sicut amari obiectum, quia eius bonitas cognoscitur sine directione cognitionis ad amorem non vsu venit. Quod si Deus confert prædestinato auxilium efficax, non tamen quia videt illud esse efficax, maius bonum ei, quàm reprobo intendet; non tamen quia eius maius bonum est: atque adeò ea voluntas non erit specialis, maiorque beneuolentia, sicut ad maius beneficium oportet: beneuolentia enim ex obiecto formali specificatur, non vero ex obiecto materiali: vnde qui bonum alterius, quia eius bonum est, & maius bonum, quia tale etiam est, vult, in eum beneuolus est: qui vero bonum alterius absolutè, aut magis tale vult in scius esse bonum, aut magis bonum alterius, vel si id scit non propterea, sed quia malum eius est hic in eum beneuolus esse non censetur.

39 Plures solutiones huic argumento adhiberi solent, quæ cum omnes directionem scientiæ mediæ negent, omnem etiam eius vsum me iudice de medio tollunt. Aliam igitur solutionem exhibeo, cuius nouitatem, ac singularitatem, necnon etiam difficultatem, quam negare nequeo, materiæ difficultas excusabit. Censeo ergo scientiam mediam dirigere ad collationem auxilij, atque eam necnon conuersionem liberam antecedere: pari etiam, imò maiori ratione ipsum auxilium conuersione anterius esse. Cæterum hoc non obstante complexum vtriusque conuersionem liberam natura non antecedere. Hoc suadetur: quia nulla connexio cum arbitrij nostri consensu libero potest esse antecedēs: at complexum illud seipso connectitur essentialiter cum consensu libero, esto nulla eius pars cum illo connectatur: igitur complexnm nequibit antecedere consensum quantumuis quæuis eius pars eum antecedat. Rursus esto quæuis pars alicuius compositi causetur, non propterea complexum causari oportet, vt cernere est in entе rationis: quod, cum impossibile sit, nequit à Deo causari proprie, cum tamen quæuis eius pars, vt est ens reale, sic à Deo causetur: ergo etiam quæuis pars complexi, de quo loquimur, potest antecedere, & causare consensum liberum, quin tamen ipsum complexum eum causet, aut antecedat. Præterea quoduis instans æternitatis à parte post est prius tempore aliquo alio instanti: & tamen ipsa æternitas omnia instantia complectens non est prior alio instanti: & aliàs aliquod instans esset posterius tota æternitate & eam clauderet: vnde illa non æternitas, sed tempus foret: ergo similiter, &c. En vtramque sententiam quas proposuisse nostrum fuerit; quænam vero alteri præponenda sit, aliorum est iudicium: mihi sanè ambæ probabiles videntur.

Hactenus autem de præfinitione efficaci supponente scientiam mediam: proximum est, vt breuiter de ea agamus, quæ illam minimè præsupponit. Multi Theologi nostri eodem modo de vtraque philosophantur, quibus acquiesco: si enim præfinitio efficax supponens scientiam mediam, & actu in statu conditionato posterior eius libertatem euertit, id ipsum de præfinitione per scientiam mediam non regulata à fortiori dicendum est. Quod si prior illa præfinitio cum libertate conciliari potest; posteriorem etiam cum ea compossibilem esse suadeo: quia modus operandi regulatur à principiis immediatis, eiusque vt summū requisitis essentialibus: quare vbi hæc indifferentia fuerint: modus etiam operandi indifferens, ac liber non esse non poterit: at præfinitio illa independens à scientia media, quamuis exposita sit, vt principia aliqua, vel requisita determinata ad vnum inferat, ne frustretur, videlicet si forte contingeret, vt Deus non videret auxilia aliqua indifferentia habitura effectum, si ponantur: ac proinde etiam lædendæ libertati exposita sit, eique periculum creet: cæterum si occurrant Deo per scientiam mediam media indifferentia congrua tamen & efficacia, non est, cur alia determinata ad vnum inferat eiusmodi præfinitio: atque ita non est, etiam cur libertatem tollat: aut enim eam tollet per media, siue principia immediata, quæ ad obtinendum consensum infert; & hoc non vt iam iam vidimus: aut per seipsam; & hoc multo minus, cum ipsa non sit principium immediatum operationis, ad eamue essentialiter non requiritur; atque adeò eam non simpliter, sed secundum quid antecedat. 40

Verum alij aliter de vtraque præfinitione sentiunt: eamque, quæ regulatur per scientiam mediam, libertati consonare putant: secus vero eam, quæ independens est à scientia media: mouentur autem hoc argumento: non potest voluntas vllatenus non operari data illa præfinitione independente à scientia media: ergo operationis libertatem euertit. Antecedens probatur: quia nequit operari in sensu composito illius; aliàs eam cassam, ac frustraneam redderet: nec etiam in sensu diuiso illius: quia nequit eam diuidere, siue facere ne extiterit in Deo; eo videlicet quod sit independens à voluntate tàm absolutè, quàm conditionatè operatura Quod autem Deus solus eam diuidere possit, ac efficere, ne in se sit, ad libertatem nihil confert: nam potest etiam Deus diuidere prædeterminationem physicam, ac facere ne existat: & tamen hoc insufficiens est, vt operetur liberè voluntas prædeterminata: quippè quæ nec potest non operari in sensu composito prædeterminationis, nec etiam in sensu diuiso faciendo, ne prædeterminetur. Respondeo, posse voluntatem diuidere, siue tollere præfinitionem illam, sicut ad libere non operandum oportet: quod autem sit independens à voluntate, nihil refert: nam frigiditas v. g. non de- 41

pendet in suo esse ab igne, & tamen ab eo tolli, ac destrui potest: independentia frigiditatis ab igne comperta, ac manifesta est: nec enim frigiditas dependet ab igne vt calefaciente, vt constat, cum calefactio eam destruat, non vero causet: nec etiam dependet ab igne non calefaciente: tum quia non calefactio non pendet ab igne: ergo merito illius frigiditas ab igne non dependet: tum etiam quia non calefactio passi potius dependet, & causatur à frigiditate, quàm è conuerso: eo quod generatio, & introducto vnius formæ, alterius expulsionem causet, & ab ea inuicem non causetur. Quocircà, vt exemplo hoc perspicuè constat, ad hoc vt res aliqua ab alia tolli possit, satis est, vt eam simpliciter in suo esse non antecedat: non vero oportet, vt ab ea dependeat, eavè in suo esse posterior sit: cum ergo præfinitio efficax, de qua loquimur, non antecedat simpliciter arbitrium, vt absolutè, vel conditionatè operaturum, ab eo sanè diuidi, ac tolli poterit, quantumcumque ab illo non dependeat.

42 Hinc colliges, quid dicendum sit de scientia illa media reflexa, quæ paucis abhinc annis inter nostros circumferri cœpta est: quo autem discrimine à præfinitione illa efficaci nuper explicata, & iam pridem controuersa ipse videris. Porro scientia illa reflexa respondet his vocibus: *dabo Petro auxilium hoc, si habuero scientiam mediam efficaciæ ipsius, non dationis, si videro illud esse inefficaciæ.* Complexum autem huius scientiæ, & auxilij connectitur essentialiter cum consensu: & aliunde est independens à voluntate vt absolutè, vel conditionatè operatura, vt intuenti facile constabit: ergo libertatem consensus tollit, ac proinde etiam eam tollit scientia media directa, siue directiua, siue non directiua sit; cum semper cum eo complexo coniuncta sit. Consequentia videtur conspicua: quia nequit voluntas non operari in sensu composito eius complexi, nec etiam in sensu diuiso illius, cum enim sit independens à voluntate, ab ea diuidi, siue tolli nequit. Missis tamen aliorum solutionibus facillimè, ni fallor, responderi potest, scientiam illam mediam reflexam, atque adeò totum complexum, quantumuis sit independens à voluntate absolutè, aut conditionatè operatura; ab ea tamen tolli posse, sicut de præfinitione independente ab omni scientia media paulo supra diximus.

Caput VIII.

Nonnulla de libertate dubia expediuntur.

43 Dvbitabis primo: an imperium efficax actui imperato libertatem adimat? Nonnulli Recentiores negatiuè respondent, eo argumento ducti, quòd possit homo pro eodem signo naturæ esse simul indifferens proximè ad amandum, vel non amandum Deum, aut etiam ad imperandum, vel non imperandum efficaciter eius amorem: igitur amor Dei efficaciter imperatus tunc erit liber: siquidem coexistit potentiæ proximè indifferenti ad amandum, vel non amandum. Verum difficultas huius argumenti supra à nobis exposita est. Ipsa autem sententia breuiter reiicitur: quia imperium efficax antecedit simpliciter actum imperatum, & cum eo connectitur: igitur eius libertatem demedio tollit. Consequentia perspicua est: tum quia omnis connexio, siue necessitas antecedens libertati obstat, vt per omnes causas necessarias discurrenti constabit: tum etiam quia idcirco præcisè Physica prædeterminatio libertatem destruit, quia actum prædeterminatum antecedit, & cum eo connectitur. Respondent tamen aduersarij, imperium efficax non obstante eius connexione antecedenti esse tamen determinationem radicalem indifferentiæ proximæ, quæ pro priori naturæ ante illud dabatur ad actum imperatum eliciendum, vel non elicendum, atque in hoc imperium à prædeterminatione Physica differre. Contra tamen: quia imperium nequit esse determinatio radicalis, siue exercitium indifferentiæ proximæ, quam destruit: at indifferentiam proximam, siue libertatem in actu primo ad eliciendum, vel non eliciendum actum imperatum destruit: vel explicent aduersarij, cur eam more prædeterminationis physicæ non destruat. Et quidem iuxta ipsorum principia intentio efficax tollit libertatem electionis medij vnicè necessarij: ergo imperium efficax libertatem actus imperati? Respondent discrimen esse, quod intentio efficax ad electionem requiratur, secus vero imperium ad actum, quem imperat. Contra tamen primo: quia conclusio posset elici absque præmissis, quamuis tunc conclusio non diceretur: ergo & electio absque intentione: ac proinde hæc ad illam non requiritur. Contra secundo: quia libertas euerti potest per aliquod principium non requisitum, vt in prædeterminatione physica constat. Demus voluntatem pro eodem signo naturæ esse proximè indifferentem ad amandum, vel non amandum Deum, aut ad precibus obtinendam, vel non obtinendam à Deo physicam prædeterminationem amoris: cur huiusmodi prædeterminatio non necessaria libertatem lædat; cur indifferentiæ proximæ determinatio radicalis esse nequeat?

Dubitabis secundo: an propositis duobus bonis 44
inæqualibus, aut certè inæquali efficaciâ possit voluntas minus bonum libere eligere? & an etiam propositis duobus bonis æqualibus, atque etiam æquali efficacia possit liberè alterutrum eligere? Aliqui Theologi, quos refert, & sequitur P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 43. negatiuè respondent: propositis enim duobus mediis inæqualibus censent, illud tantum amari posse, quod vt melius, ac magis vtile cognoscitur: neutrum vero amari posse, cum tanquam æqualia cognoscuntur. Cæterum propositis duobus finibus non referre quinam melior, aut deterior sit; sed qui nam viuidius, & efficacius voluntati ab intellectu proponatur, hunc enim solum amari posse. Oppositam tamen sententiam plerique Theologi meritò tuentur: Deus enim propositis sibi duobus mediis inæqualibus ad finem gloriæ suæ conducentibus potest eligere minus vtile, & bonum; duobusque mediis æqualibus sibi propositis alterutrum eligere: mundum enim hoc nostro meliorem potuit condere, & non condidit: mundumque etiam huic nostro æqualem non produxit, cum tamen potuerit: quidni ergo creatura rationalis hac etiam ratione media eligere possit? Quod autem respondet P. Vasquez vbi supra, hominem ex indigentia, Deum vero absque illa eligere, nullius momenti est: tum quia homo multo magis fine ipso, quàm mediis indiget; & tamen finem deteriorem sequi potest. Tum etiam quia licet Deus medio absolutè non indigeat, eo tamen ad consequendum finem indiget: & tamen hoc non obstante minus bonum eligere potest. Impugnatur secundo eadem sententia: quia bonum minus bonum, ac vtile, est tamen absolutè bonum, & vtile, vt per se constat, & optimè docet Augustinus

gustinus lib. de natura boni, cap. 14. cur ergo voluntas illud eligere nequeat?

45 Impugnatur tertio prædicta sententia: quia libertatem electionis, & intentionis de medio eximit: id quod de intentione probo, & exinde de electione manifestum erit: aut igitur bonum turpe, ac bonum honestum æquè efficaciter repræsentantur; & sic neutrum poterit amari; atque adeò intentio alterutrius non erit libera quoad speciem, cum hæc libertas sit ad amorem vnius obiecti, & amorem alterius incompossibilis: nec etiam tunc erit libera quoad exercitium; quia hæc libertas est ad amorem alicuius obiecti, eiusve carentiam: aut hac ratione, & æqualitate duo illa bona non repræsentantur, sed potius inæqualiter; & sic non poterit amari bonum turpe, si inefficacius cognoscatur: si verò efficacius, non poterit nõ amari: eius igitur amor nequibit esse liber quoad speciẽ, aut exercitiũ: cum vtraque libertas postulet amorẽ illum posse elici, & posse nõ elici: iam ergo nunquã peccare poterimus. Dices manere libertatẽ, quia potest voluntas applicare intellectum ad quærenda noua motiua, quibus bonum minus efficaciter cognitum, maiori efficacia proponatur. Contra tamen: quia applicatio illa intellectus per voluntatẽ facienda vel efficacius proponitur, quàm non applicatio, vel minus, aut æque efficaciter: & sic idem argumentum redibit: vel infinitæ applicationes admittendæ erunt, vt intuenti constabit: & quidem sicut voluntati efficacius proponitur vnus finis, quàm alius: ea tamen potest libere se auertere ab ea cognitione, & in alium finem efficacius cognoscendum intendere: quidni & finem sibi minus efficaciter propositum amare? Argumenta aduersariorum facilia sunt, & videri possunt apud Hurtadum in præsenti.

46 Dubitabis tertio: an possit voluntas necessitari stante iudicio indifferenti? Bañez, Zumel, Aluarez, & alij Thomistæ negatiuè respondent, vt hac ratione prædeterminationi physicæ consulant, eamque cum iudicio indifferenti proculdubio compossibilem, cum libertate etiam componant. Verum facilè impugnari possunt: nam primò esto præluceat voluntati cognitio boni, & mali, potest Deus suspendere concursum suum ad odium mali, eumque duntaxat exhibere ad amandum, vel non amandum bonum: hoc vel ipsi aduersarij in concesso habent. At iudicium esset tunc indifferens quoad speciem, amor tamen non indifferens, sed necessarius: ergo etiam stante iudicio indifferenti quoad exercitium, quoad illud tamen poterit voluntas necessitari. Deinde potuit Christo imponi præceptum rei alicuius indifferentis: & quæ aliàs ab eo fieri, aut non fieri sine peccato posset: at Christus ad eius rei executionem vi præcepti necessitaretur; aliunde vero haberet iudicium indifferens, & cognosceret motiua omnia, ob quæ res illa fieri, aut omitti posset. Rursus non obstante iudicio omninò indifferenti potest voluntas magis inclinari vi habitus ad vnam contradictionis partem, quàm ad aliam: quidni ergo & omnino determinari vi alicuius comprincipij necessarij. Tandem concupiscentia minuit libertatem, & tamen repræsentationem non semper minuit, sed potius eandem relinquit, quæ sine concupiscentia daretur: ergo, &c.

47 Dubitabis quarto: an potentia suapte natura necessaria in operando ad liberè operandum diuinitus eleuari possit? Respondeo affirmatiue: quia multo perfectior est libertas à peccato, quàm libertas à necessitate: at creatura aliqua à creatore eleuari potest ad libertatem à peccato, supra quam eius natura postulat, vt in humanitate Christi etiam in abstracto sumpta conspicuum est. Rursus nulla natura creata, aut creabilis est, cui non sit naturalis seruitus respectu creatoris: & tamen potest Deus naturam creatam eleuare ad libertatem ab hac seruitute, si eam sibi hypostaticè vnire velit; vt modo in humanitate Christi contingit, quæ vt filiationem naturalem, sic etiam carentiam seruitutis habet: igitur similiter poterit Deus eleuare naturam, siue potentiam creatam à necessitate, quæ ei connaturalis, & debita sit. Oppositum tamen tuentur P. Suarez, & P. Salas: quorum tamen argumenta nequaquam vrgent: cum enim obiiciunt, libertatem esse ab intrinseco, & in eo differre à necessitate, quòd hæc ab extrinseco proficiscì possit: sensus tantum est, libertatem consistere in actione immanenti, & vitali, non verò eam ab omni eleuatione sedulam esse, vt in libertate ad actus supernaturales patet.

Dubitabis quinto: an sit possibilis potentia intellectiua formaliter libera? Respondeo negatiuè 48
cum P. Suarez 1. Metaphys disp. 19. sect. 5. à n. 14. ad 22. quia si esset possibilis intellectio libera in actu secundo, vt ex potentia intellectiua libera in actu primo sequitur: ea haberet, & non haberet bonitatem formalem: quæ repugnantia sunt. Prior sequelæ pars probatur: quia posset Deus intellectui illi possibili liberam intellectionem alicuius obiecti præcipere: intellectio igitur libere elicita in eo euentu esset moraliter bona: nam bonitas moralis aut primario sita est in libera, & positiua conformitate cum lege Dei, aut saltem cum ea velut indiuidua proprietate essentialiter coniuncta est. Posterior sequelæ pars probatur: nam omnis bonitas formalis habet pro obiecto formali *quo*, siue ratione formali *sub qua* bonitatem obiectiuam, à qua tanquam regula, & mensura suæ moralitatis desumitur: at intellectio illa nequit habere pro obiecto formali *quo*, siue ratione formali *sub qua* bonitatem vllam obiectiuam, cum bonitas voluntatis non intellectus obiectum sit: ergo intellectio illa bonitate formali prædita esse nequit: haud aliter ac è contrario nulla volitio veritatem formalem habere potest. Vide alias rationes apud P. Suarez vbi suprà.

Dubitabis sexto; an actio sit libera quo exercetur 49
instanti? Respondeo affirmatiuè cum pleriisque Philosophis: actio enim quo non existit instanti, cum non sit, libera esse nequit: ergo solum libera est, quo existit instanti. Rursus actio, quo exercetur instanti, dependet à potentia proximè indifferenti ad vtrumlibet: hæc autem dependentia libertas est. Argumenta Nominalium oppositum opinantium futilia sunt, eorumque solutio videri potest apud Hurtadum in præsenti. Dubitabis septimo, an terminus actionis sit propriè, & formaliter liber? Aliqui negant, & satis probabiliter quidem: nam actio antecedit terminum, & positâ illâ non potest non poni terminus. Oppositum tamen probabile est: quia sicut potentia libera in actu primo est ea, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, vel non operari: ita similiter actus liber in actu primo est, qui positis omnibus requisiti ad operandum, potest poni, vel non poni; esse, vel non esse: at terminus actionis positis omnibus requisitis ad operãdum potest poni, vel non poni: eo nimirum, quòd actio ipsa cũ termino essentialiter connexa inter requisita ad operandum connumerari non debeat, cùm sit ipsamet operatio. Quod autem terminus denominetur liber per actionem à se distinctam parũ refert: forma enim denominatur vnita per vnionem à se distinctam;

distinctam, & tamen propriè, ac formaliter vnitur.

Dubitabis octauo, an sit possibilis pura omissio libera, siue libertatis, & indifferentiæ proximæ exercitium absque vllo actu positiuo amoris, aut odij? Negant cum Magistro in 2. distinct. 35. Albertus, Roman. Gabriel. Henric. & Alexand. quibus P. Vasquez 1.2.disp.93.cap. 2. num.6. circa initium, aliique plures nostrorum adstipulantur. Affirmant vero cum Ochamo in 3. dist. 35. quæst. 10. plerique eius sectatores: item Durandus, Marsil. Richard. Adrian. & Almain. necnon ex nostris Suarez, Valentia, Hurtadus, Ruiz, Salas, Ripalda, Arriaga, & Ouiedo. Ipse tamen distinctione vtendum arbitror: in ea enim sententia sum, vt existimem, omissionem puram liberam voluntati creatæ impossibilem, voluntati tamen diuinæ possibilem esse: siquidem implicat potentia mere passiua, siue receptiua, quæ libera sit, vt probat P. Suarez tom. 1. de grat. prolegem 1. c. 2. Authoritate Scripturæ, Patrum, Conciliorum, ac Scholasticorum: satis sit Concilium Tridentin. sess. 6. can. 4. anathemate eum ferire, qui dixerit, liberum arbitrium merè passiue se habere, cum ad Deum conuertitur: at idcirco causa merè passiua libertatem exercere nequit, quia nihil propriè agit: ergo etiam per puram omissionem, quâ nihil propriè agitur libertas exerceri nequit. Hæc autem ratio non militat in Deo, qui absque vlla actione propriè sumpta libertatem haud dubiè exercet: actus enim liberos, aut à se omninò indistinctos, aut, si qua ratione distinguuntur, præcisè negatiuos, quomodo verè, ac propriè agere, vel efficere potest? nulla enim vera actio non ad aliquid positiuum, nulla non ad aliquid à principio efficiente distinctum terminatur. Sed de hoc alibi latius.

51 Postremo dubitabis, qua ratione diuina libertas explicanda sit, & concilianda cum immutabilitate Dei, ac diuinorum actuum. Difficultas hæc tanta est, ac tam operosa, vt qua breuitate ad superiores dubitationes respondimus, non possit ei satisfieri. Quocirca eam tribus capitibus sequentibus discutiemus: & quanquam non omittemus aliorum sententias, plus tamen in nostra immorabimur: cum enim singularis, & noua sit, atque à me primum adinuenta, longiori sanè eget explicatione, ac maiori examine.

CAPVT IX.

Aliorum de diuinæ libertatis mysterio sententiæ summatim relatæ, atque reiectæ.

52 EXplicata ex professo libertate creatæ voluntatis, nec abs re, nec ab operæ pretio erit non nihil etiam in præsenti differere de libertate increatæ voluntatis: tum quia posterior hæc libertas prioris est exemplar, atque idea, adeoque ad eius notitiam apprime necessaria: tum etiam quia ad Metaphysicum spectat, quidquid assequi potest ratio naturalis de causa prima, & eius perfectionibus: suprà captum autem nostrum, rationemve nobis naturaliter inditam non est, quod Deo conueniat perfectio libertatis. Quo autem pacto ea cohæreat cum immutabilitate Dei, summaque prædicatorum eius eius omnium stabilitate, & indefectibilitate, res adeo obscura ad intelligendum, vt mirum non sit in ea enodanda tot esse scholasticorum sententias, quot fere capita. Omnes tamen ad duas reuocantur.

53 Quarum prima tuetur, effectum formalem volentis creare mundum v.g. addere in Deo supra amorem eius necessarium, quo seipsum complectitur, prædicatum aliquod positiuum, quod ab aliquibus mera denominatio, ab aliis duntaxat terminatio, à nonnullis etiam perfectio extensiua appellatur: Deum ergo potuisse ab æterno non velle condere mundum, sicut ad eius libertatem oportet, non aliud esse, quam aliquid intrinsecum, & secum identificatum ei deesse posse, quoad denominationem, non quoad entitatem: aut quoad terminationem, non quoad entitatem perfectionemue: aut quoad perfectionem extensiuam, non intensiuam: nullum autem mutationis, aut vicissitudinis periculum in eo esse, quod Deo aliquo ex prædictis modis possit quidpiam deperire. Altera sententia Cardinalis, & ad quam aliæ plures reuocantur, est, effectum formalem volentis moliri mundum præter volitionem Dei necessariam insuper includere existentiam ipsam mundi: quare si Deus, pro eo ac libere posset, non vellet mundum creare, tum ei defuturum, non prædicatum aliquod sibi intrinsecum, & proprium, sed solum extrinsecum, nempe mundi, quem condidisset, existentiam: quo fit, haud magis eum ratione suæ libertatis, & indifferentiæ immutari posse quam ipse, & creatura mutantur ob relationes prædicamentales similitudinis v.g. aut dominij eis passim accedentes & recedentes de nouo ob accessum recessumque solius termini extrinseci.

Qui priorem sententiam sequuntur rem magnam 54
præstitisse sibi videntur, & difficultati penitus satisfecisse, explicando, qua ratione fieri possit, vt prædicatum, quod actus, liber Dei superaddit, sit formalissimè, vel vt alij loquuntur virtualiter intrinsecè denominatio, aut terminatio, non vero entitas simpliciter talis, aut perfectio saltem intensiua. Sed nisi valde fallor, difficultatem potissimam non tantum soluunt, sed eam omnino fugiunt, eaque valere iussa ad aliam se conuertunt, non propriam huius materiæ, sed ei cum aliis multis, tum Philosophicis, tum etiam Theologicis communem. Quid magis familiare in Philosophia quam de modis omnibus, ac relationibus creatis disquirere, an dicant perfectionem aut entitatem? quid magis vsitatum in Theologia, quam de relationibus increatis, personali talibusve diuinis controuertere, an addant essentiæ perfectionem aliquam. Quod ergo torquet ingenia in præsenti non est, an prædicatum, in quo stat exercitium diuinæ libertatis, possit præscindere in suo conceptu à perfectione, aut entitate? (quod enim possit haud adeo arduum, atque difficile explicatu est, quamquam ne id quidem plures aduersarij satis explicent) sed an possit prædicatum Dei liberum, eique identificatum, qualecunque sit, Deo abesse, absque eo quod sit positiuè imperfectum, & mutabile, atque caducum, more actuum nostrorum? Quod namque imperfectio in illud, aut ratione illius in Deum cadere non possit, euidens est, & nemini non in confesso: qui autem non sequatur, illud esse imperfectum, hic Rhodus, hic saltus.

Sic igitur aduersus priorem sententiam & quot 55
quot ex ea disseminantur opiniones argumentor. Potuit ab æterno simpliciter Deo deesse effectus formalis volentis creare mundum: potuit enim simpliciter non velle mundum creare, aliàs verò ac simpliciter dicta libertate carituras: prædicatum ergo, quo completur in Deo talis effectus, aut quasi effectus formalis, etsi gratis concedatur non esse formaliter perfectio, & entitas, potuit tamen simpliciter in Deo non esse, quid ni ergo sit positiuè imperfectum: Cum nulla maior imperfectio possit excogitari, quam simpliciter non esse, seu simpliciter esse nihil. Porrò

quod

quod dicunt aliqui aduersariorum, prædicatum illud tantum posse secundum quid, & non simpliciter deesse, nimirum quia manet necessariò quoad totam suam entitatem, & perfectionem; id certe nihil dictu est: ita enim non potent Deo simpliter deesse hoc quod est velle creare mundum, cum nihil deesse possit simpliciter, nisi simpliciter deficiente aliquo prædicato quo constituitur. Deinde: si necessaria ratione manet simpliciter terminatio illa, seu denominatio superaddita, quia non potest non manere aliud prædicatum, cum quo identificatur, cur non è contrario deficere possit in Deo simpliciter entitas, ac perfectio essentialis? Siquidem deficere potest in illo prædicatum aliquod liberum, cum quo omnia necessaria identificantur: quod autem tale prædicatum liberum haud sit perfectio non refert: an non enim deficeret simpliciter substantia deficiente per impossibile sola perfeitate, vtvt hæc entitati subremanenti nullam adderet perfectionem, aut entitatem, vt profecto non addere plures autumant.

56 Qui autem posteriorem sententiam sequuntur, tametsi multis eam modis explicent, nullo tamen satisfaciunt. Cur enim Deus causat existentiam mundi, nisi quia eam efficaciter vult atque decernit: ita igitur eam velle, ac decernere antecedit illam ordine naturæ ac proinde per eam non constituitur. Rursus: Deus non incipit in tempore velle mundum creare sed potius ab æreno voluit, quidquid in tempore peregit, aut peracturus est: at mundus nisi in tempore non existit, vt est de fide: haud ergo per existentiam mundi, quippe temporalem, potest Deus denominari volens eum condere. Quid plura? Si Deus nihil esset absolute operatus ad extra, si mundus hic non esset ab eo creatus, posset tamen plura conditionate decernere: quot v. g. homines produceret, aut quot Angelos, si mundum iis constantem moliri statueret: hæc autem decreta libera conditionata ex parte obiecti, & ex parte subiecti absoluta, quæ tunc esset Deus habiturus, & qualia modo habet non pauca, quid possunt addere supra prædicata eius necessaria.

Caput X.

Nostra de mysterio diuinæ libertatis sententia.

57 Missis igitur scholasticorum sententiis hactenus excogitatis de libertate diuina, censeo Deum posse non velle creare mundum adeoque in eius creatione fuisse, & esse liberrimum, non quod ei deesse possit prædicatum aliquod positiuum secum omnino identificatum, non etiam quod deficere possit prædicatum positiuum ab eo creatum, & ad extra vt aiunt, situm; sed quia carere potest prædicato aliquo omnino negatiuo à se, & ab omni creatura sua realiter distincto. Quod autem mysterium diuinæ libertatis primus explicem per negationes, & carentias quasdam, iisque in præsenti materia nullo duce, nullo vtor authore, mihi vitio verti non debet: satius enim est, in difficillima re noui aliqui audere, quam difficultati succumbere: satius ad tam altam caliginem quoquo modo dispellendam qualequale lucis subsidium adferre, quam semper in iisdem tenebris hærere. Dicam modò quod sufficit vt intelligar, plura fauente Numine in Theologia daturus.

58 Suppono autem à principio, id in quo omnes scholastici conueniunt, actum scilicet necessarium diuinæ voluntatis eius esse perfectionis, vt indiuisibiliter sit volitio omnium volibilium, & nolitio nolibium omnium: amor, & odium eorum omnium, quos Deus amore, odioue habet, aut potest habere: necnon etiam, quantum est ex se, affectus efficax, & inefficax, absolutusque, & conditionatus: decretum item intentiuum, & executiuum, desideriumque, & gaudium, ac stricta complacentia, si hi volendi modi possunt in Deo locum habere. Suppono secundò, ob id, prædictum actum, vnum quidem formaliter, at eminenter plures, immo & infinitos, haud tamen præstare omnem suum effectum formalem, quia ei deest requisitum aliquod, quod quale sit, inferius explicabitur. Sic intellectio diuina, quæ Patrem fæcundat ad productionem filij, est in filio: & tamen eum non denominat fæcundum ad generationem alterius filij; defectu scilicet alterius requisiti essentialis. Similiterque, ac simili de causa, volitio diuina, per quam procedit Spiritus sanctus, fæcundat Patrem, & filium ad spirandam tertiam personam, quin huic talem spirandi fœcunditatem impertiat. Requisitum autem, quod intellectioni diuinæ deest ad fœcundandam secundam personam, & volitioni ad fœcundandam tertiam, est quod vtriusque operationis intentionalis quasi virtus, ac fœcunditas non fuerit pro priori exhausta in alicuius termini infiniti productione: cum igitur filius intellectionem, & Spiritus sanctus volitionem ita exhaustas inueniant, quid mirum, si vtrique desit requisitum quoddam essentiale ad generandum, & spirandum.

Suppono 3. præter carentias in scholis hucusque 59
tritas, alias admittendas esse, conditionatas videlicet, aut virtuales. v. g. hoc ipso quod Deus non sit nolens creare mundum hunc, in eo datur eius nolitionis carentia quædam: quæ quidem dici potest conditionata, quia ita absolutè, & verè non destruit diuinam nolitionem, vt eam destrueret, si esset realiter à Deo distincta, consequenterque destructionis capax. Sic productio virtualis qua essentia diuina relationem Paternitatis ceu fetur producere est eius productio realis conditionata, quia nimirum, si distingueretur realiter Paternitas, eam hoc ipso realiter, & verè produceret. Eadem etiam carentia Diuinæ nolitionis dici potest virtualis, siue æquiualens, quoniam perinde impedit in Deo effectum formalem nolentis, ac si nolitionem realiter destrueret, & ad non esse traduceret. Fac de potentia absoluta peccatum componi cum gratia, siue hanc ad præsentiam illius, à Deo non destrui, sane peccatum eo in euentu realiter non destrueret gratiam, sed tantum virtualiter, siue æquiualenter: talem igitur in modum carentia, qua de loquimur, Deo nolente mundum producere nolitionem destruit.

Ac certè, sicut esset imperfectio in Paternitate rea- 60
liter absolutè ab essentia produci, & causari, ad modum quo nostræ proprietates à nobis realiter producuntur, & tamen nec vestigium imperfectionis est in eo quod Paternitas ab essentia realiter conditionatè, seu virtualiter producatur: ita similiter quæ est imperfectio in eo quod daretur realis, & absoluta carentia impeditiue diuinæ nolitionis, non est, sed potius perfectio maxima in eo quod detur carentia virtualis, aut realis conditionata nolitionis in Deo. Nec verò absurdum, aut commentitium vlli videri debet, quod dicimus, dari in Deo carentias, quæ nihil realiter absolutè aut tollant, aut tollere possint. Quamuis enim talis genij sint, poterũt nihilominus esse prædicata merè negatiua: tum à priori, quia totum earum esse, est impedire effectum formalem actus diuini, quo potest velle, aut nolle: tum

quia

quia, distinctio realis Petri v. g. à Paulo iuxtà complures est prædicatum merè negatiuum, siue negatio respectiua realiter distincta ab entitate extremorum, quæ distinguit: & tamen nullius rei existentiam tollit, sed tantum impedit nè extremorum suorum alterutrum possit de altero verè prædicari: tum etiam, quia existentia aliqua verè, imo & summè talis, nempè diuina, nullam tollit carentiam: si quam enim, maxime carentiam Dei: at non hanc: carentia enim Dei nulla datur, aut est possibilis, quæ per eam tolli possit: è conuerso igitur potest optimè intelligi carentia aliqua, & prædicatum merè negatiuum in Deo vi cuius nihil realiter, & verè destruatur: tum denique, quia, etsi in his carentiis; quas non tam contrà, quam præter doctrinam receptam scholasticorum adstruo, sua sit difficultas, ea tamen deuoranda est in gratiam difficillimi mysterij liberorum actuum Dei, atquè ad eius maiorem explicationem, & lucem.

61 His constitutis Deus vult creare mundum, principaliter quidem per amorem suum necessarium: at etiam minus principaliter & ex parte per carentiam conditionatam, siue virtualem nolitionis oppositæ, ac ratione distinctæ. Quod si Deus, pro eo ac posset, nollet mundum creare, certè per eundem amorem suum necessarium denominaretur ità nolens, necnon per carentiam conditionatam, seu virtualem, quæ in ea hypothesi daretur diuinæ volitionis. Atque hæc posterior carentia est requisitum illud essentiale, defectu cuius amor necessarius modò non denominat Deum nolentem creare mundum: eademque reatione idem amor non tribuit Deo alias innumeras denominationes defectu alicuius carentiæ, ac requisiti negatiui; vt suprà in supposit. 2. præmonuimus. Quidquid ergo est positiui voluntarij, seu spontanei in denominatione volentis mundum moliri, aliaque quauis earum, quas Deus habet, id omne prouenit ab eius amore necessario: quidquid verò indifferentiæ, vt possit velle; aut non velle mundum creare, proficiscitur à carentiis superius expositis: posse enim cum velle, est posse habere carentiam nolitionis, qualem explicuimus: posseque nolle est posse habere similem carentiam volitionis: & si potest purè omittere, vt forte probabilius, posse eum nec velle nec nolle; est posse habere carentiam quandam virtualem, aut conditionatam tam volitionis, quam nolitionis. Ego certè in hoc modo exercendi libertatem per prædicata negatiua, quem in Deo meditor, haud maiorem video difficultatem, quam in eo quod docent innumeri Theologi, voluntatem creatam exercere libertatem, & indifferentiam ad vtrumlibet per omissionem puram: quod etiam aliqui ad voluntatem diuinam satis verisimiliter extendunt.

62 Porrò quod dixi; denominationem volentis condere mundum includere in Deo, præter amorem necessarium, carentiam qualem nolitionis oppositæ, iure explodi non potest, & si contrarium in nobis accedat, velleque nostrum non constituatur per carentiam nolitionis, sed potius eam antecedat, & inferat. Ratio est, quia diuina libertas est infinitè perfectior, ac sublimior, quam nostra: hinc est, vt Deus eodem quasi conatu, & pro eodem signo velit creationem mundi, eamque non nolit: cur autem in eo velle, & non nolle sint pro eodem signo, nisi quia carentia nolitionis constituit intrinsecè eius velle? Nostra autem voluntas, cuius libertas est inferioris ordinis, quasi pedetentim procedit; priusque vult, & pro posteriori signo, se determinat ad carentiam nolitionis oppositæ: vnde per eam in ratione volentis nec potest, nec debet constitui. Ex dicendis etiam infra constabit, non paucas denominationes extra Deum constitui ex obliquo, & minus principaliter carentia aliqua, seu prædicato negatiuo: ad talium ergo denominationum instar exigenda est in Deo denominatio libere volentis.

Ex his, quæ disseruimus, valde probabiliter ex- 63
pedire nos possumus à difficultatibus, quæ vix, aut ne vix quidem enodari possunt in aliorum sententiis suprà memoratis, atque ad duo summa capita reuocatis. Quod in priori summam, insuperabilemque facessit difficultatem est, quomodo Deus possit simpliciter non velle, quin hoc ipso possit ei simpliciter deesse prædicatum aliquod positiuum secum identificatum; quod tamen est ingens imperfectio. Qui autem docemus, denominationem volentis non omnino, atque ex toto esse Deo intrinsecam, & identificatam, sed constitui ex parte per carentiam nolitionis oppositæ, facile respondere possumus, ob id simpliciter deesse posse Deo id denominationis, quia simpliciter, ac verè deesse ei potest carentia, seu prædicatum negatiuum denominationem illam constituens.

Sic relatio æqualitatis inter duas quantitates bi- 64
cubitas altera crescente, & in tricubitam euadente simpliciter deficit, non quia deficit aliquod constitutiuum positiuum eius æqualitatis, sed quoniam deficit sola carentia eius longitudinis, qua quantitas tricubita bicubitam excedit. Sic, si verbum assumeret humanitatem alicuius puri hominis existentis in gratia, & eius vi habentis dignitatem, & denominationem filij adoptiui, profectò simpliciter amitteret homo ille eam denominationem, nec deinceps esset filius adoptiuus, videlicet quia per filiationem naturalem Dei, ad quam eueheretur, reuera tolleretur, non aliud quam talis tantæquè filiationis carentia, per quam denominatio filij adoptiui constituebatur. Rursus, vt exemplo superius posito hic etiam vtar, homo in quo miraculosè concurrerent gratia habitualis, & peccatum mortale, hoc ipso amitteret simpliciter denominationem iusti, ac sancti, quam antea habebat; amissione videlicet non gratiæ, aut alicuius perfectionis positiuæ, sed solius carentiæ cuiusdam, nempe immunitatis à peccato constituentis simul cum gratia denominationem grati.

Non me latet, in nobis defectum prædicati ne- 65
gatiui sufficere ad mutationem: hoc autem ideo contingit, quia talis defectus est coniunctus cum accessu, aduentuque alicuius prædicati positiui intrinseci, v. g. cæcitas miraculosè curata, ac depulsa eum, qui cæcus erat, verè immutat: at quid mirum, cum depelli cæcitatem, seu carentiam visus, sit vim positiuam, & intrinsecam videndi de nouo aduenire? cæterum in Deo non deficit vna carentia per aliquid positiuum, sed per aliam carentiam oppositam: ad modum quo si quis, in instanti A. omittens necessario, & non liberè amorem Dei, inciperet in instanti B. habere eiusdem amoris omissionem essentialiter liberam, hoc ipso quidem omissio necessaria tolleretur, non per aliquid positiuum, sed per quid merè negatiuum, negationem videlicet liberam superuenientem: proindè non est, quod defectus carentiæ vllius virtualis, seu conditionatæ Deum possit mutare: Et quidem Deus non potest mutari, quoties nihil nisi omnino extrinsecum ei aduenit, aut recedit de nouo: carentia autem, siue

quam

quam sibi adsciscit, siue quam libere abiicit, ipsi est extrinseca: neutra enim ei vnitur; carentia siquidem, cum nihil sit, incapax prorsus est vnionis verè talis cum aliquo extremo: neutra etiam earum carentiarum realiter, aut verè tollit aliquid positiuum Deo intrinsecum, à cuius intimitate dici possint intrinsecæ: nullo ergo ex titulo respectu Dei dici possunt intrinsecæ.

Quæ autem difficultates premunt, ac penè opprimunt posteriorem sententiam, aut potius plurium sententiarum feraciſſimam syluam, hæ nobis non obstant. Quid enim vetat, carentias, quas meditati sumus, ordine naturæ priores esse quauis entitate positiua à Deo creata, necnon quacumque priores esse duratione reali etiam æterna? vi ergo talium carentiarum potest Deus denominari volens creare mundum, cum pro priori naturæ ad existentiam mundi, tum etiam ab æterno: quorum tamen neutrum posset sustineri, si, quemadmodum docent aduersarij, talis denominatio constitueretur per mundum ipsum in tempore productum. Iuxta eundem etiam dicendi, ac sentiendi modum multo minus explicari possunt decreta Dei purè conditionata: quæ tamen perspicuè, commodeque à nobis per carentias explicantur, vt intuenti constabit.

Caput XI.

Iudicium cuiusdam recentioris de nostra sententia.

66 POstquam doctrina capitis prætedentis à nobis excogitata est, plenoque multorum consensu probata, non defuit, qui manuscriptis nostris attentè perlectis nostram sententiam sequeretur quidem, sed tamen adhibita quadam moderatione, atque ità vt aliquid in ea innouandum censeret. Igitur in commentariis, quos in 1. part. D. Thomæ prælo, ac luce donare cogitat, concedit nobiscum ingenue, Deum velle, mundum v. g. creare per exercitium libertatis mere negatiuum, etsi nollet mundum condere, fore vt non aliud eius amori necessario pro posteriori signo rationis superueniret de nouo quam mera carentia, aut negatio quædam. Cæterum existimat carentiam, qua Deus constituitur volens, esse non nolitionis diuinæ, & increatæ, sed possibilitatis ad nolendum per nolitionem creatam, & à se realiter distinctam: cum enim, inquit neutiquam sit possibile, vt Deus nolit per nolitionem accidentalem; & creatam? sanè huius possibilitatis datur in eo carentia necessaria; at non ea sola, sed alia insuper carentia libera: alterutra autem dici potest, & debet carentia non tantum possibilitatis nolendi per actum creatum, sed etiam ipsius nolitionis creatæ: idem enim est, omninoque æquipollet non posse Deum nolle per aliquid creatum, ac per illud actu non nolle: & quamuis non valeat consequentia à potentia ad actum affirmatiuè, at valet negatiuè. Deus ergo denominatur volens per præfatam carentiam liberam nolitionis, quia scilicet eius vi specialiter auertitur ab affectu opposito, eadem ratione proportionali, ac per consimilem volitionis carentiam noliturus si nollet. Hæc ille.

67 Quibus non parum in mea confirmor sententia. Quod enim Recentior hic docet, Deum velle nullo alio prædicato superaddito, nisi quadam carentia; nolleque posse, præcisè quia potest habere oppositam carentiam: aut, quod eodem redit, extrema diuinæ libertatis esse meras negationes: totum, inquam, hoc quid nisi nostra doctrina, tum quoad rem ipsam, tum etiam quoad modum loquendi? Quod tamen docet, Deum velle non per carentiam virtualem, & conditionatam suæmet nolitionis, sed per realem, & absolutam carentiam nolitionis creatæ, negationemvè, vi cuius dicitur eius voluntas non nolle, nec posse per actum creatum, hoc mihi probari non potest.

Primò enim carentia libera, & contingens volitionis creatæ in Deo videtur repugnare claramque contradictionem inuoluere. Eius siquidem, quod supponitur necessario esse, nequit dari noua actio libera, & contingens: alias fingi posset, Verbum vt expressiuum essentiæ; & Personalitatum immanenter à Patre produci, non tantum per actionem necessariam, sed etiam per aliam omninò liberam, & contingentem. Imò etiam sequeretur, Verbum posse Patrem, quem necessario existentem supponit, quadam tamen actione libera, & contingenti producere; & quod aiunt scripturæ, Patrem esse ingenitum, intelligendum esse de facto, non de possibili; aut de actione necessaria, non vero de libera, siue de contingenti. Quæ tamen quis non videat esse absurdissima, manifestèque periculosa in fide? Vt igitur eius, quod necessario existit, non est possibilis productio libera, ita similiter eius, quod necessariò non existit, summeque impossibile est, haud quaquam poterit dari noua carentia libera: at Deo summa quadam necessitate conuenit, quod non possit velle, aut nolle per affectum creatum: neutrius ergo denominationis poterit in illo libera carentia reperiri. 68

Secundò vt Verbum diuinum sit verissimè filius Dei naturalis, sufficit in eo carentia necessaria, quam habet denominationis filij adoptiui, nec vlterius requiritur, vt detur in eo eiusdem denominationis carentia contingens, qualis in humanitate Christi inuenitur: si ergo vt Deus velit, conferre quidpiam potest, hoc quod est illum carere denominatione nolentis per actum creatum, sufficiet sanè, quod eius denominationis habeat carentiam necessariam: at non sufficit, vel iuxta ipsos aduersarios; & quidem iure optimo, aliàs Deus esset simul volens, & nolens creare mundum cum de facto simul habeat carentiam necessariam volendi, nolendique per affectum creatum, ac realiter distinctum. 69

Tertiò: Deus non tantum non est nolens per nolitionem creatam, sed etiam dicitur non nolens per nolitionem suam increatam: nolitionis ergo increatæ aliqua est in eo admittenda carentia; ea scilicet quam nos supra explicuimus, eoque magis admittenda, quo difficultates aduersus eam omnes à nobis in transcursu reiectæ sunt superius: frustra igitur à nostris carentiis, quasi non dentur, nec possint dari, ad alias, easque intellectu perquam difficiles, appellat quem impugnamus. 70

Quartò denique: vel de ipsiusmet sententia, quemadmodum aër v. g. est tenebrosus per carentiam lucis, ita Deus est volens per carentiam nolitionis: sicut igitur aër dicitur absolutè, & verè tenebrosus per carentiam lucis sibi possibilis, eius scilicet quam oculis cernimus, stultumque dictu esset, eum denominari tenebrosum per carentiam lucis intellectualis, & incorporeæ, cuius est omnino incapax: ita similiter haud video, qua probabilitate dici possit, Deum constitui volentem per carentiam 71

non propriæ, & increatæ nolitionis, sed duntaxat nolitionis creatæ, cuius quam sit incapax, nemo sit qui non capiat. Ex quibus patet, Recentiorem hunc, cuius placitum retuli, in eo, in quo à nobis dissentire conatur, minus verè sentire: ingenuitatem tamen eius laudo, qua nobis in puncto principali subscribit.

TRACTATVS X.

De Obiectis actuum intellectus, & voluntatis.

CAPVT I.

Obiectum in communi, & eius cum actu comparatio.

1 OBIECTVM vt sic est, quod alicui potentiæ mediis suis actibus obiicitur, seu ponitur, qua ratione color visus, sonus auditiuæ facultatis, dolor facultas, bonum voluntatis, verum intellectus, obiecta dici assolent. Porrò autem potentia, seu facultas alia est vitalis, quales sunt enumeratæ, aliæque similes: alia est non vitalis, cuiusmodi est omnis potentia transiens, & operatiua ad extra, vt aiunt, aut etiam ea, quæ suas proprietates ad intrà, & immanenter producit, veluti ignis sui, aut ligni sibi appliciti calefactiuus: illud, in quod prior potentia suos actus dirigit non solum à nostris scholasticis; sed etiam à priscis illis latinis obiectum propriè appellari consueuit; sic Cicero 4. Acad. *Visum obiectum est à Deo dormienti.* sic idem 1. de finibus: *victi, & debilitati obiecta specie voluptatis tradunt se libidinibus constringendos.* Illud, in quod posterior potentia mediis suis actibus fertur, obiectum etiam nuncupatur à multis, scholasticis: quo pacto creaturæ possibiles dicuntur obiectum diuinæ omnipotentiæ à P. Mol. 1. p. q. 25. art. 3. P. Vasquez t. 1. in 1. p. disp. 104. cap. 4 n. 11. P. Hurt. disp. 1. log. S. 1. & aliis passim. Quidni vero? quod enim relatio Dei ad creaturas physica sit, in contrarium non obstat: namque situs, & indistantia relatio physica etiam est; & tamen obiectum constituit, & denominat, ísque loquendi modus etiam extrà scholam philosophorum vsitatus est. Ità Virgil. 3. Georg. de flagrantibus amore, atque in furias, ignemque ruentibus equis loquens, eos ait.

2 *Non scopuli, rupesque cauæ, atq; obiecta retardant:*
Flumina, correptos vnda torquentia montes.

Obiectum nonnunquam materia, circa quam, nonnunquam subiectum vsurpatur, quia sicut actio causæ physicæ circa materiam, passum, siue subiectum suum versatur, ad illudque physicè, & intrinsecè informandum destinatur, ità etiam actio intentionalis circà suum obiectum versatur, & ad illud extrinsecè, & intentionaliter informandum ordinatur. Quo pacto Auerroës 3. de anima comment. 5. vocat phantasma corporeum speciei intelligibilis subiectum, eò quod eius obiectum illud putet esse, vt rectè annotat Caietanus 1. p. q. 76. art. 1. Neque alium explicatum eò loci suscipit commentator; qui nimirum in eo errore fuit vt animam rationalem, vllamve formam spiritalem in subiecto corporeo physicè recipi posse inficiaretur, at species intelligibilis, merito cuius anima nostra intelligit spiritualis est, vt constat: vbi igitur in phantasmate corporeo eam suscipi adasserit, non de subiecto physico, sed de subiecto intentionali, siue de obiecto exponendus est. Enimvero hæc vsurpatio subiecti pro obiecto non solum æquiuoca est vt Caiet. vbi supra aduertit, sed etiam minus propriè, nedicam omnino aliena. Tum quia inter obiecta attributa scientiæ illud magis propriè subiectum dici amat, de quo aliquid cognoscitur, aut enunciatur, quod autem cognoscitur, affirmaturve de alio non subiectum, sed prædicatum propositionis, vt plurimum dici consueuit, vt cernere est in hac propositione *homo est animal*, cuius prior terminus subiectum, & posterior prædicatum. Tum etiam, quia subiectum strictissimè sumptum non pro vllo attributo, sed pro solo attributionis obiecto vsurpatur, vt infrà lib. 8. tract. 5. videbimus. Tum denique quia obiectum rigorosè sumptum intellectui cum quauis aliâ facultate vitali, nimirum voluntate, sensu interno, & externo commune est: At subiectum propriissimè sumptum solius scientiæ ad intellectum attinentis est: significatio igitur obiecti à subiecti significatione diuersa, sicut omne obiectum summa cum proprietate subiectum dici minime sustineat. Quod autem subiectum nisi solius scientiæ non sit, satis compertum, exploratumque: quis enim bonum, in quod afficitur voluntas, amoris subiectum, aut amorem, odorem, aliamve id genus sensibilem qualitatem sensionis subiectum esse censeat, tanta quidem proprietate, quanta voluntas ipsa, & sensus eiuscemodi actus suscipiunt?

3 Operæ pretium erit, & ad notitiam exactam obiecti vt sic conueniens explicare, an si quando idem seipsum intentionaliter attingit cognoscitve, aut amat, hoc ipso suimet obiectum propriè dici debeat. P. Herize 1. p. disp. 4. cap. 1. n. 5. & 6. nihil suiipsius obiectum strictè esse, aut posse negat: cuius sentiendi, aut potius loquendi modus hisce probamentis suadetur. Obiici est referri: nihil autem propriè ad se refertur, quin omnis relatio vera est ad aliud: nihil igitur sibimet ipsi obiicitur: item obiici est vnum poni contra aliud, siue quasi è regione alterius: at nihil contrà se ponitur. Rursus Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 15. hæc habet *mensurabile, scibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur*; vbi mensurabile cum obiecto scibili, & intelligibili componit, atque vtrumque ex æquo à termino suo distingui significat, vt voculam, *aliud*, expendenti liquebit: sæpissimè etiam alibi ea nullo facto discrimine relationem prædicamentalem tertij generis ad terminos suos habere tradit: cum ergo mensurabile propriè acceptum mensuram à se realiter distinctam suo sibi iure vendicet, ac iuxtà omnes nihil sui mensura rigide esse possit, profecto similiter obiectum scibile, seu intelligibile, si propriè obiectum sit actum à se realiter distinctum exposcet: sicubi igitur actus in se reflectit sui propterea obiectum strictè dici haud merebitur.

4 Hæc, etsi verisimilia sint, verior tamen, & communior est eorum opinio, qui aliquid suimet obiectum verum, propriumque agnoscunt: quos inter P. Montoya disp. 5. de scientia Dei cap. 2. multis id, ac luculentis testimoniis comprobat: ego in primis sic argumentor: aliquid esse cognitum, aut amatum propriè est illud quoque propriè obiectum esse pro eo, ac omnes communiter sentiunt, & loquuntur: proinde si aliquid à se propriè amatum, aut cognitum sit, quidni etiam suimet obiectum eâdem proprietate dici possit, ac debeat; præsens quidem controuersia de vocabulo fermè tota est, vocum autem

vsus

vsus loquentium arbitrio constat, & hoc nobiscum facit, vt dictum est, vtque auctores perlegenti clarebit. Quare secundò, sic argumentor: Deus seipsum cognoscens semet veluti obiectum respicit, idque non fusè, & alienè, sed presè, & rigorosè: quis namque dicat, Deum se cognoscentem, vel amantem ab omni obiecto, ac scopo penitus aberrare, & quasi ad inane collimare? atqui se per seipsum, & non per actum realiter distinctum, sibique accidentarium attingit; aliàs non omnis mutationis futurus expers: aliquid ergo suimetipsius obiectum est. Equidem vsque adeò receptum, & compertum est, Deum cognitionis suæ circa se, amorisque obiectum esse, vt Argentinas imperium dist. 35. q. 1. Durandus q. 2. Capreolus etiam q. 2. art. 1. Caietan. & innumeri alij censeant, Deum esse obiectum primarium eius cognitionis, quâ creaturas cognoscit, has vero nonnisi obiectum secundarium; cum tamen cognitio diuina ab hoc distincta, & ab illo, quod præcipuè obiectum est, indistincta existat.

5 Iterum tertio: haud magis oportet, obiectum distingui ab actu, cui obiicitur, & ad quem quodam modo refertur, quam obiectum materiale distingui à formali propter quod attingitur; & ad quod refertur; quæ enim, oro, distinctionis necessitas maior hic, quam illic, quando vtrobique par relatio esse videbitur? ostendam autem cap. sequenti obiectum materiale indistinctum aliquando ab obiecto formali realiter esse, nec nisi ratione ambo secerni: obiectum ergo actum non realiter, sed ad summum ratione distinctum postulat; adeoque, si quando actus in se flectit, sui obiectum euadet munere solius distinctionis rationis, quam infrà explicabo.

6 Prima ratio contraria difficultatem non facessit: etenim obiici physicè est physicè, ac propriè referri ad aliud; eaque ratione nihil sui obiectum strictè est. Cæterum obiici intentionaliter non est propriè, ac prædicamentaliter referre, aliudque non est, quam amari, aut cognosci, siue intentionaliter referri: sicut ergo quidpiam à seipso amari, aut cognosci, ita etiam sui obiectum optimâ ratione esse valet, provt vid. licet obiectum modo in quæstionem vertitur. Secunda ratio de obiecto etiam physicè, & prædicamentaliter sumpto procedit, & in rationem priorem iam iam solutam recidit.

7 Postrema ratio, auctoritati Aristotelis innixa, non est magis momentosa fateor enim, si sermo sit de obiecto intelligibili, aut scibili per scientiam, aut intellectionem realiter distinctam (quo de agit Aristoteles veluti magis noto, & recepto) contendi illud posse cum mensurabili, atque vt hoc à mensurâ suâ realiter distinguitur, & ad eam prædicamentaliter refertur; ita similiter illud contemplatione sui actus, siue scientiæ sese gerere. Illud inficias eo, omne obiectum intelligibile, aut scibile mensurabilis instar esse, & huius ritu à termino suo distingui debere. Discriminis ratio in promptu est; aliquid enim seipsum cognoscere vel amare verè potest, vt in præsenti omnes permittimus: nihil vero seipsum dimetiri, vel physicam, ac propriam relationem mensuræ respectu sui sortiri potest, vt veluti omnibus indubium suprà insinuauimus: intelligibile, ergo, aut scibile aliquod suimet obiectum propriè erit, vtvt omne mensurabile nisi ad mensuram à se realiter distinctam non referatur.

Caput II.

Obiectum formale, & materiale.

8 Celebris, atque inter scholasticos iam diu recepta obiecti diuisio est in formale, & materiale: illud definit P. Hurt. disp. 1. Log. sect. 1. *quod prius cognitum, aut amatum ducit in cognitionem, aut amorem alterius*; hæc vero *quod propter aliud cognoscitur, aut amatur*. Vtraque definitio eo nomine P. Roderico disp. 1. sect. 1. & aliis displicet, quod ad obiectum formale necessum non sit, vt aliquid propter illud cognoscatur, aut ametur? siquidem intellectus vnicâ veritate propositâ, cui propter se assensum præbeat, eam veluti obiectum formale respicit; & tamen eo in euentu nihil aliud propter eam veritatem dignoscitur: non igitur est de ratione obiecti formalis intellectus, vt prius cognitum in alterius cognitionem ducat. Idem etiam argumentum pari momento confici potest in voluntate, ei si vna sola bonitas repræsentetur, in qua velut obiecto formali sistat, & quiescat.

9 Cæterum hæc obiectio facili negotio repelli potest. Principio enim verba in definitionibus non tam actum, quam aptitudinem significant, vt fert commune proloquium, quocirca perinde est obiectum formale esse *quod ducit*, &c. ac quod ducere potest in alterius amorem, aut cognitionem: at obiectum formale quocunque in euentu ducere potest in alterius amorem, aut cognitionem; esto non in omni euentu de facto, vt aiunt, & actu ducat: licet enim sola essentia hominis v.g. intellectui proposita, ità ratione sui illius assensum terminet, vt in alterius veritatis cognitionem, & assensum non ferat, suâpte tamen naturâ ferre potest in notitiam alterius veritatis, videlicet proprietatum, & effectuum hominis, quæ ab eius essentia dimanant, fluuntque, & ex eâ vestigari possunt: idemmet cernere erit in voluntate ab vno duntaxat bono allecta.

10 Rursus secundò, ea obiecti formalis definitio etiam intellecta de amore, aut cognitione alterius obiecti prius cogniti, aut amati non solum aptitudinali; verumetiam actuali sustineri valet, non ita vt propter obiectum formale aliud absolutè cognoscatur, aut ametur; sed tantum conditionatè: quasi sensus sit, si duo obiecta inuicem subordinentur, & non æquè primo tangantur, illud esse obiectum formale, quod in alterius cognitionem aut amorem ducit; materiale vero, quod contemplatione alterius cognoscitur, aut amatur. Item tertiò ducere in cognitionem, aut amorem alterius bifariam accipi potest: videlicet positiuè; & in hoc sensu definitio posita difficultatem aliquam habet: aut permissiuè; & sic definitio illa facile defendi potest, quoniam nunquam est contra rationem obiecti formalis, vt in alterius cognitionem, aut amorem ferat, tametsi id suâpte naturâ non postulet, & absque eo positiuè reperiri sustineat: est tamen aduersus rationem obiecti materialis, si purum materiale sit, vt in alterius cognitionem, aut amorem conferat.

11 Præterea quarto: si cognitio, & amor in se reflectant, eaque reflexio omnibus, & singulis essentialis sit, vt plures doctores satis probabiliter autumant; nullum erit obiectum formale, cuius ergo aliud materiale absolutè, & positiuè non attingatur: vt minimum enim amor, vel cognitio obiecti formalis

malis seipsam propter illud respiciet,ac respectu illius reflexæ cognoscet, vel amabit. Denique quidquid intellectus cognoscit, aut voluntas amat, id in veritatem, & bonitatem referunt; sed bonitas, & veritas saltem ratione distinguuntur ab eo, quod verum,& bonum denominatur: semper ergo defendi potest,obiectum formale trahere in cognitionem, & amorem alicuius, quod ab eo quodammodo distinguitur: etiamsi enim aliquando vnum dumtaxat verum, bonumvè intellectui, aut voluntati proponatur,licebit tamen in eo distinguere id,quod verũ, bonumque nominatur ab ipsa veritate, ac bonitate, gratia quarum alterutrum amatur cognosciturve.

12 Etsi impugnauimus quod in prædicta definitione obiecti formalis,ac materialis displicuit aliis, videamus iam quid in ea nobis minus arrideat. In primis ergo improbatur: quia conceptum communem per differentias inferiores explicat, scilicet obiectum in communi,per obiectum intellectus quod in alterius cognitionem ducit, & obiectum voluntatis quod in alterius amorem allicit, & quibusdam illecebris inuitat:quare à definitione in diuisionem transit.Ad hoc, definitum per conceptus secundarios explanat, & non per primarios, quemadmodum si quis hominem per risibilitatem definiret: Etenim in obiecto formali prius est ratione nostra illud attingi propter se,quam quod in alterius attingentiam ducat,quando ideo ex.c. potio amara respectu sanitatis amatur, quia sanitas propter se amatur, & non è diuerso, ideo sanitas gratia sui amatur, quia potio amara illius gratia, & contemplatione amatur. Quamobrem ea definitio per conceptus secundarios definitum explicat, ac proinde in descriptionẽ degenerat.

13 Vlterius: doctrina, seu disciplina exterior magistri prius cognita ducit in cognitionem alterius, obiecti,videlicet in scientiam, qua discipulum erudit; & tamen scientia, quam discipulus à magistro discit,non habet pro obiecto formali externam propositionem seu doctrinam magistri,perperam igitur obiectum formale terminatur quod prius cognitum in alterius cognitionem ducit. Minor suadetur: quoniam aliàs scientia, quam discipulus edocetur non esset scientia, sed fides, cum habeat loco obiecti formalis, cui innititur, dictum Magistri, seu eius externam propositionem, ac doctrinam, quam coram discipulo profitetur. Quod in fide diuina magis vrgeri potest, quæ non habet pro motiuo aut obiecto formali externam propositionem Ecclesiæ, eiusve humanam auctoritatem, sed solum pro conditione obiectiua, cum solius Dei reuelantis auctoritati nitatur, alias fides nostra aliqua ex parte humana, & non merè diuina futura esset, quam doctrinam ipse Pater Hurtad. quo cum lis nobis est disp.7. de fide sect. 3. inter alios rectè explicat, & confirmat: nihilominus tamen externa, & humana Ecclesiæ propositio prius cognita in fidem, & cognitionem mysteriorum supernaturalium nos ducit: igitur non omne, quod in alterius notitiam ducit, motiuum, siue obiectum formale propterea nuncupandum est.

Atenim dices, externam propositionem Ecclesiæ,
14 doctrinamque magistri non tam ducere in fidem rerum supernaturalium aut scientiam naturalium, quam esse conditiones, sine quibus, nec auctoritas Dei reuelantis in assensum fidei,nec veritas præmissarum in assensum scientificum ducerent intellectum credentis, vel addiscentis, iuxta illud August. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas moueret.* Vbi vocula *nisi*, non obiectum formale quod intellectum ducat, sed meram conditionem sine qua non obiectiuam exprimit. Hæc tamen euasio ex facili præcluditur: aliud enim est, esse meram conditionem,sine qua non aliud esset obiectum formale, quin ex hoc ipsa sit obiectum formale, aliud esse meram conditionem sine qua non aliud duceret in notitiam alterius rei, quin tamen ipsa eiusmodi munus ducendi gerat. Priorem rationem conditionis in externam propositionem,& disciplinam præceptoris humani, aut diuini conuenire vltrò fatemur, & id August. verba conuincunt:

Posteriorum rationem conditionis in eam cadere
15 inficiamur, idque inficiandum esse ipsa etiam Aug. verba exeius lib. contra epist.fundam.cap.5.adducta persuadent. Ecquid enim est, mouere, quodammodò quam ducere? cum ergo testimonium Ecclesiæ mediatè moueat, vtique etiam ducet in fidem supernaturalem, quantumcunque eius obiectum formale esse nequeat. Ad hoc: propositio, & doctrina magistri supplet absentiam, & ineuidentiam obiecti, & agit id quod eius præsentia, & euidentia esset effectura: At obiectum præsens, & euidens in sui notitiam duceret: ergo & eius propositio per alium facta in illius notitiam ducet. Item 3. exterior propositio Magistri est signum instrumentale eius quod proponit:huiusmodi autem signum teste Aug. de princ.dial. cap.5. & lib.2. de doct. christiana c.1. *est res præter speciem quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire:* exterior igitus, & vocalis propositio magistri in cogitationem, seu cognitionem venire facit,adeoque in eam ducit, quin tamen sit obiectum formale. Quod autem exterior propositio, & doctrina vocum ministerio facta sit signum instrumentale, indubitatum est, & ab Aug. post superiora verba traditur: exemplum enim signi à se definiti in animantis voce exhibet.

Caput III.

Verior obiecti formalis, & materialis explicatio: & vtriusque cum conditione obiectiua comparatio.

EXpeditius ergo, & melius me iudice definitur 16
obiectum formale, *quod propter se attingitur:* & materiale, *quod propter aliud attingitur.* Ita fermè P. Ripalda lib.3.d de ente supernaturali disput.45. in ipso eius vestibulo. Non procul abest Gabr. apud quem obiectum formale est, quod habet in se rationem vnde attingatur,& materiale quod habet in alio rationem vnde attingatur. Parum etiam, aut nihil differunt multi alij scholastici, iuxta quos obiectum formale est motiuum actus,per quem attingitur,siue id quod mouet,suadet, atque inclinat ad eiuscemodi actum; materiale vero,quod actum duntaxat terminat. Paradigma obiecti formalis est sanitas propter se amata,aut syllogisticæ præmissæ assensum propter se obtinentes: Paradigma obiecti materialis est phlebotomia respectu solius sanitatis amata, vel syllogismi obiectiua conclusio,nisi propter præmissas assensum minimè assecutura.

Tametsi difficultates eæ, seu quas struximus su- 17
per. cap. seu quas eo destruximus nullum obiecto formali, & materiali provt à nobis definito negotium facessant,aliæ tamen supersunt, quas explicari oportet,ne fortè incautos implicent. Primum,quando quis Deum esse,aut creatorem esse ex creaturis suis colligit,Deus harum interuẽtu,seu,quod aiunt, medio cognitus,haud dubiè est obiectum materiale, & tamen propter se attingitur: properam ergo definitur

nitur obiectum formale, quod propter se attingitur; quandoquidem talis definitio alias à definito congruit. Antecedens vero esse constat: ideo namque Deus attingitur per eam cognitionem, quoniam ipse eam efficit, alias neutiquam cognoscendus, hic autem concursus effectiuus sufficit; vt Deus eo quidem actu propter se attingi dicatur: vocula enim, propter actionem etiam causæ efficientis denotat; ita B.Thom.1.p.q.87.art.2, ad 3. & q.10. de veritate art. 9. ad 3. quem sequuntur alij multi, explicans illud Aristotelicum axioma *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, ait particulam *propter* duplicem habere significatum, alium quo causalitatem effectiuam, alium vero quo motionem finis, & obiecti formalis propriam indigitat; atque in priori significatu illud esse falsum, in posteriori verum: quamuis enim ferrum sit calidum vt octo propter ignem, non propterea ignis est magis calidus: quoniam vero medicina amatur propter sanitatem, hæc vtique debet esse magis amata. Positum ergo sit, particulam, *propter*, significare causalitatem effectiuam iuxta Arist. B.Thom. & plerosque scholasticos, quibus consonat Cicero lib.2. de inuentione; *in facultate copia, & potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consideranda est.* Item lib.5. Epist. in quadam Lucij ad ipsum *qui propter acumen occultissima perspicis.* Cum ergo Deus supradictum actum efficiat eo quidem propter se attingetur, quin tamen eius sit obiectum formale, vt supponimus.

18 Respondeo voculam, *propter*, significare tam actionem causæ efficientis; quam motionem finis, siue obiecti formalis; cæterum posteriorem hanc significationem esse magis propriam, & rigorosam, priorem verò esse, vel omnino alienam, & impropriam, vel certè esse minus propriam, vt animaduertunt nostri Conimbricens. lib.2. Physic. quæstione 1. artic. 1. Hoc supposito: cum diximus, obiectum formale esse, quod attingitur propter se, id dictum puta iuxta significationem magis propriam eius dictiunculæ *propter*: quando vero Deus est obiectum materiale eius vtique cognitionis, per quam in creaturis veluti in imaginibus suis elucet, attingitur quidem propter se, ac vim suam effectiuam, sed tamen iuxtà alienam, minusve propriam significationem eius particula, propter, atque adeo in Deum, quando non est obiectum formale, sed materiale, nostra obiecti formalis definitio neutiquam conuenit.

19 Secunda aduersus nostram doctrinam obiectio, & priori non absimilis sit. Deus optimus maximus est motiuum omnis cognitionis creatę ad eum terminatæ: sed non est obiectum formale omnis cognitionis creatæ ad eum respicientis: perperam ergo dictum est à nobis, obiectum formale suaptè naturâ, & essentia esse motiuum actus, quo attingitur. Assumptio est in propatulo: namque eius cognitionis, qua Deus in speculo creaturarum à nobis videtur, ex earumque similitudine vestigatur, non obiectum formale, sed materiale est, Maior haud ægre probatur. Etenim Deus est causa efficiens cuiusuis cognitionis creatæ ipsum attingentis: At causa efficiens ab Arist.2.phys. cap.7. text.70. per antonomasiam dicitur *id quod mouet*: Deus igitur est motiuum cuiusuis cognitionis creatæ se inspicientis. Respondeo iuxta nuper dicta motionem aliam esse physicam, & effectiuam, qua de loquitur Arist. textu citato, aliam vero intentionalem, ac veluti finalem, & hæc est propria obiecti formalis, deque eâ sermo est, cum definitur obiectum formale motiuum sui actus: Quamobrem cum Deus non sit hoc posteriori modo motiuum omnis actus ad se respicientis, nihil mirum, quod nostra obiecti formalis definitio nunquã materiali conueniat.

Rursus tertia obiectio sit. Si obiectũ formale esset 20
quod propter se attingitur, sicuti à nobis definitum est, profecto obiectum formale hoc ipso esset vera causa; consequens est absurdum; Deus enim est obiectum formale cognitionis, & amoris, quibus se præsertim cognoscit, & amat; & tamen eorum actuum vera causa non est, cum ab iis non distinguatur; nihil autem sui vera causa esse queat: sequela verò suadetur; nam causa in communi, provt in quatuor genera sua patet, ex Aristot. lib.2. phys. cap.7. text.68. definitur, *id, quod reddimus, cum propter quid res quæque ita se habeat, inquiritur*: Vide Conimbr. vbi suprà. Proinde si obiectum formale est quod propter se attingitur; sanè ex hoc vera causa esse debet.

Occurrendum etiam huic argumento, ac dicen- 21
dum, obiectum formale aliquando quidem esse veram causam actu- nimirum quando hic ab eo distinguitur: Quidni vero? cum tunc influat esse in aliud, quæ est his temporibus receptior causæ finitio. Aliquando vero obiectum formale non esse veram causam, scilicet quando non distinguitur ab actu, ad quem mouet, ac sollicitat, vt in Deo vsuuenit. Neque vero mirum est, obiectum formale alicuius actus esse propriam causam, & alius non esse causam, tametsi eius sit obiectum formale; siquidem materia, esto respectu animæ rationalis, & belluinæ materia, ac subiectum sit, huius tamen, non illius causa materialis, iuxta omnes, est: Item anima equina v.g. materiæ quidem, & totius compositi vera forma existit; & tamen huius solius causa formalis est, non verò illius; vt fert communior & verior opinio; similiter ergo obiectum formale vnius actus causa non verò alterius esse poterit: Porro definitio causæ numero super. ex Arist. de prompta contrarium haud efficit: ita enim intelligenda est, vt causa sit, propter quam aliud quippiam est, vel fit: Cum ergo obiectum formale non semper sit aliûs obiectum formale, sed interdum ad actum distinctum, interdum vero ad indistinctum, secumque eundem moueat, profecto non semper debet esse vera causa sui actus, sed tantum aliquoties, adeoque Deus obiectum formale actus sui esse poterit, tametsi non vera causa.

Sed enim aliqui huic solutioni repugnabunt, ij ni- 22
mirum, qui motionem obiecti formalis, siue finis, cui obiectum formale valde affine est, nunquam esse veram causalitatem adstruunt, inter quos est P.Hurtad. disput.8.Phys.sect 1.§.9. & disp.13. de Anima sect.5.§.28. sed immerito, vt in Physica latè probauimus. In præsens sufficiat hanc sententiam loco superius citato Arist. manifestè opponi, & oppositam ac nostram esse *receptum dogma, & quasi primum principium in Philosophia, & Theologia*, vt his verbis pronunciat P.Suarez disp.27. Metaph.sect.1. n.7.

Contra vero Thomistæ non pauci, quibus adhæ- 23
rent P.Montoya de scientia Dei disp.5. sect.5. & P. Fasolus 1.p q.14.n.9. dub.1. & 2. artic. 10. docent, obiectum formale semper esse veram causam actus, cuius est obiectũ, atque adeo in Deo non habere locum obiectum formale, & materiale, si nimirum sola eius immanentia prædicata spectentur. Verum probabilius est P.Hurt disp.2.de fide sect.1.§.6. in Deo etiam esse obiectum formale, quo suos actus quantumcumque ab ipso, & inter se inuicem indistinctos specificet. Namque primo Deus non frustra, & in cassum fertur semetipsum amans, aut cognoscens: ergo ob aliquod obiectum formale, quod eorum actuũ nequit non esse Deus ipse, quando in creaturas non

feruntur. Secundò: Dei operatio ad extra in eius voluntate consistit, vt in loco ostendimus; Deus autem operatur omnia propter semetipsum: eius ergo operatio, seu creatio, & consequenter volitio est propter seipsum, sicuti ad obiectum formale oportet. Deinde tertio: actus immanens Dei eum duntaxat respiciens aliquam habet formam, & essentiam: ergo & aliquod obiectum formale, à quo ea specificetur, non autem aliud, nisi Deum ipsum. Hinc impugnatur prius Thomistarum dictum: nam Deus non est causa suorum actuum; eorum tamen est obiectum formale, hoc ergo non semper veræ causæ rationem obtinet. Adiice, negationes, & chymæras aliquando esse obiecta formalia, veluti si quis bonum impossibile, quod tamen possibile appareat, propter se efficaciter amet, aut etiam esto impossibile appareat saltem inefficaciter amet ratione sui. At iuxta non paucos eorum, quibuscum disceptamus, negationes, & chymæræ veram rationem causæ etiam motiuæ, & finalis habere nequeunt, defectu nimirum existentiæ ad omnem causalitatem veram iuxta plerosque requisitæ.

24 Quarta obiectio sit, conditionem obiectiuam fidei diuinæ, eiusque propositionem non esse illius obiectum formale vt superius statuimus ex meliorum Theologorum sententia; & tamen fidem esse propter illam iuxta illud Ioann. cap. 4. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis*, quia *dixit mihi omnia quæcunque feci*. Obiectum ergo formale non est quod propter se attingitur. Vnde P. Hurt. disp. 7. de fide sect. 3. subsect. 4. §. 2. tenet, fidem esse propter conditionem obiectiuam motus prædicto Ioann. loco, cum tamen conditionem obiectiuam ab obiecto formali distinguat.

25 Respondeo primo, aliud est fidem fuisse propter dictum, & propositionem mulieris; aliud vero, fidem attigisse, dictum mulieris propter se proprie, & immediatè. Prius illud verum habet: quoniam propositio mulieris per modum causæ efficientis, aut quasi efficientis excitauit species productiuas fidei, & earum interuentu in fidem ipsam influxit; hoc enim denotat vocula, *propter*, iuxta paulo supradicta. Posterius vero est falsum: quoniam fides diuina nunquam attingit proprie, & immediate dictum, vel propositionem humanam alicuius, & eius reuelationem. Quandoquidem ergo obiectum formale posuerimus esse quod propter se attingitur, dictum autem mulieris ita non se habuerit respectu fidei Samaritanorum, haud quaquam sequitur ex nostra doctrina, eiusmodi dictum rationem obiecti formalis obtinere, quantumlibet propter illud fides ea quodammodo fuerit elicita,

26 Respondeo 2. eo Ioann. loco sermonem fuisse non de solo assensu fidei, sed de toto eius processu, quatenus & includit iudicium euidens, ac moraliter certũ de credibilitate mysterij ad eius fidem præuiũ, ac necessarium, quod optime explicat noster Ægid. disp. 2. de obiecto fidei. dub. 5. num. 56. necnon etiam quatenus claudit voluntatem acceptandi fidē ex eo iudicio deriuatam, quam recte explicat P. Valent. tom. 3. disp. 1. de fide q. 1. punct. 1. §. 8. Hoc supposito, transeat vocula, *propter*, eo Ioann. loco significare obiectum formale: id tamen verum erit non respectu ipsius assensus fidei, sed iudicij, & voluntatis proxime explicatæ: Iudicium enim quo Samaritani fidem à muliere propositam euidenter credibilem arbitrati sunt, & voluntas eam acceptandi habuere pro motiuo, & ratione suadente, & inclinante verbum mulieris testimonium perhibentis, *quia dixit mihi omnia quæcunque feci*: nihil vero est quod cogat ipsam Samaritanorum fidem provt à supradicto iudicio, & voluntate distinctam, aut fuisse propter dictum mulieris, aut illud habuisse pro obiecto formali, quæ duo in idem incidere putamus.

Postrema obiectio iam iam exculcata nos cogit, vt discrimen obiecti formalis à conditione obiectiua breuiter explicemus, fidei enim diuinæ conditio obtiua nõ obiectum formale est humana Ecclesiæ, propositio: scientię etiã studio nostro acquisitæ conditio obiectiua & non obiectum formale est doctriua magistri, vt supra cap. 2. statuimus, Atque vt illud prius exponere Theologi, ita hoc posterius enodare Dialectici munus est, plane vt locus hic non omnino alienus esse videatur. Primum ergo dicendum est, solum obiectum formale intrinsecum, & immediatum proprie, ac simpliciter esse obiectum formale; quod vero est obiectum formale extrinsecum, & mediatum id nisi improprie, & secundum quid, vt aiunt non esse obiectum formale, more causæ, quæ si mediata, ac remota sit, nonnisi improprie, & metaphoricè causa est, vt in physica latè ostendimus, & etiam cap. seq. perstringemus. Constat autem, nec fidem, nec scientiam prout tales immediate, & intrinsecè ferri in propositionem externam, & præuiã rei credendæ, aut scindæ, sed alteram repræsentare intrinsecè rem, & eius causas certas, & infallibiles nempe veracitatem Dei, & eius reuelationem, alteram vero, rem & eius causas intrinsecas, & euidentes, quales eæ demum cumque sint. Quid mirum ergo, quod exterior propositio, nec fidei, nec scientiæ obiectum formale propriè, ac rigorosè non sit, nec possit. 27

Quod si vrgeat quis propositionem humanam saltem debere esse obiectum formale extrinsecum, & remotum, tum fidei, tum etiam scientiæ quod tamen huius euidentiam, & illius certitudinem, ac infallibilitatem minuere videtur; dicendum censeo vbi semel supponatur, obiectum formale remotum nonnisi metaphoricè, & impropriè rationem obiecti formalis adipisci, absque scrupulo concedi posse propositionem externam esse obiectum formale extrinsecum, tam fidei, quam scientiæ, nec metum esse ne propterea aliquid de vtriusque perfectione detrahatur: vtrali enim respicit velut obiectum formale, ac motiuum proprie tale, solum aliquid certum aut euidens, ac nisi in illud proprie non resoluitur: obiectum autem remotum, & per accidens, impropriumque, etsi ineuidens incertumvè sit, vt non tamen esse, ita nec etiam imperfectionem vllam, aut incertitudinem, siue ineuidentiam in scientiam fidemvè influet. 28

Haud me latet, non paucos in ea esse sententia, vt existiment obiectum formale extrinsecum, & remotum proprie, & simpliciter obiectum formale esse. Quod etsi falsum sit, permitto tamen, & aliud conditionis obiectiuæ ab obiecto formali etiam extrinseco discrimen exhibeo, ne doctrinam certam per incertam explicare videar. Conditio igitur obiectiua, cuiusmodi est exterior propositio, & doctrina magistri naturalis, aut supernaturalis, non mouet ad fidem, vel scientiam, quas proponit, nec alterutrius ratio suasiua est, sed duntaxat deseruit ad excitandas apprehensiones assensui fidei, aut scientifico præuias, quæ si aliunde excitarentur, à deovè suprà quam naturæ ordo postulat, in fuderentur haud dubie superflueret omnis humana propositio, & doctrina. Cæterum obiectũ formale 29

niale extrinsecum, & remotum, cuiusmodi iuxtà plures est obiectum præmissarum respectu cõclusionis, non suppetit tantum ad excitandam apprehensionem conclusionis, eaque esto aliunde excitetur, non propterea illud superfluum, aut præteruacaneum erit, sed potius, quæ est eius cum obiecto conclusionis connexio, ad eius assensum tum etiam mouebit, atque intellectum inclinabit. Obiectum autem formale propriè sumptum est motiuum actus propter quod elicitur vt suprà definiuimus: cum ergo obiectum formale etiam extrinsecum propriè moueat, vt supponitur; conditio vero obiectiua non moueat, sed tantum excitet apprehensiones obiecti motionem præstituri, equidem non est quamobrem conditio obiectiua, siue propositio humana ecclesiæ: aut doctrina magistri, scientiæ, aut fidei obiectum formale etiam extrinsecum censeatur.

30 Vtraque ratio discriminis confirmatur, & declaratur, quatenus propositio humana iuxta neutram ita se habet comparatione fidei, aut scientiæ, sicut obiectum præmissarum respectu conclusionis formalis. Namque si priorem spectes, conclusio intrinsecè, & proximè attingit præmissas obiectiuas, vel in seipsis provt talibus, vel certè in conclusione obiectiuâ ab eis realiter indistincta; nemo enim est, qui alterutram harum tendentiam conclusioni deneget, qualis autem cunque admittatur ea sufficit, vt conclusio propriè, & simpliciter attingat obiectum præmissarum formalium iuxtà dicta in Dial. lib. 8. cum de præcisionibus obiectiuis egimus. At fides, & scientia propositionem præuiam rei creditæ, aut scitæ non attingunt intrinsecè, & propriè: vnde non est cur eam veluti obiectum formale propriè sumptum respiciant, vtvt conclusio velut tale obiectum præmissarum habeat. Quod si secundam rationem discriminis spectes, & ab omni reflexione etiam implicitâ conclusionis in præmissas suas præscindas, eamve, si mauis, contrà quam omnes sentiunt, abnuas, dicendum nihilominus est, præmissas immediatè, & propriè mouere ad assensum conclusionis, & non tantum mediatè, siue mediis apprehensionibus, quas excitat. Huiuscemodi autem genus motionis propriè, & immediatè, quæ præmissis obiectiuis conuenit respectu conclusionis ad eas, aut nullo modo, aut strictè quidem, & intrinsecè non terminatæ multi putant sufficere, ad hoc, vt, licet sint obiectum formale extrinsecum conclusionis, propriè tamen sint eius motiuum, exindeque obiectum formale. Nobis certè oppositum magis arridet: si enim non sunt propriè obiectum conclusionis (obiici namque est terminare, non terminant autem vt supponitur propriè, & immediatè conclusionem) quî poterunt esse propriè eius obiectum motiuum, siue formale? Sed de hoc alibi: modo permissâ eâ doctrinâ planum est, conditionem obiectiuam, siue præuiam rei propositionem non esse obiectum formale, ac motiuum, quoniam propriè, & immediatè non mouet, cum tamen præmissæ ita moueant. Quod autem attinet ad obiectum materiale, eius à conditione obiectiua discretio est in aperto: nam conditio obiectiua obiecto formali, ac multo maximè materiali prælucet, & ante vtrumque cognoscitur; materiale vero, nec prius seipso, nec prius formali cognoscitur.

Caput IV.

Aliquæ aduersus prædictam diuisionem obiecti formalis, & materialis difficultates.

QVò vetus illa, & ex Arist. quidem ipso lib. 2. 31
physic. tex. 17. desumpta obiecti diuisio in formale, & materiale magis elucescat, aliquæ aduersus eam obiectiones struendæ, destruendæque. Prima esto, eius diuisionis membra inuicem includi, & indistincta esse, contra bonæ diuisionis leges; haud secus ac si viuens in animal, & hominem diuideretur. Assumptum probatur: quoniam idem potest esse obiectum formale, & materiale simul, & semel, vt aiunt: membra igitur superioris diuisionis inuicem inclusa, & indistincta sunt. Antecedens suadetur primo: quia sanitas ex. c. est obiectum formale Phlebotomiæ quæ in illam refertur, & materiale respectu voluptatis, aut virtutis, in quas refertur. Rursus secundò: quoties à definitione ad definitum arguitur hunc in modum; omne animal rationale est homo, Petrus est animal rationale, ergo est homo; definitum est obiectum materiale, & definitio obiectum: sed definitio, & definitum vnum, idemque est: idem ergo est obiectum materiale, & formale. Præterea tertio: Deus vno simplicissimo actu essentiâ propter relationes diuinas, & has propter essentiâ amat, sic vt essentia, & relatio mutuo & vicissim sint obiectum formale & materiale: essentia obiectum formale relationis, quia relatio propter essentiam infinita bonitate absoluta præditam amatur: eademque essentia obiectum materiale relationis, quia propter relationem infinita bonitate notionali affectam amatur. Atque eadem ratione relatio est obiectum formale, & materiale essentiæ, ob quam ametur & in cuius amorem allicit. Et quidem hoc pacto sentit de essentia, & relatione P. Pet. Hurt. in manuscriptis Theologicis in primam p. eiusque q. 19. B. Thomæ.

Pro solutione huius difficultatis; præmitto primo 32
diuisionem aliam esse realem, siue in membra realiter dictincta, aliam solius rationis, siue in membra ratione tantum distincta; deinde vtramque aliam esse in membra, siue inferiora ex parte solius actus, seu formæ distincta, aliam vero in membra ex parte obiecti, seu materiæ distincta. Diuisio animalis v. c. in homnem, & belluam est realis; diuisio entis in vnum, verum, & bonum est solius rationis; Diuisio substantiæ in corpoream, & incorpoream, siue corporeæ in cœlestem, & sublunarem est ex parte obiecti, siue materiæ; diuisio accidentis quinti prædicabilis in album & dulce, aut prædicabilis vt sit in genus, & speciem, quæ quoad subiectum obiectumvè saltem realiter non distinguuntur, est quidem diuisio ex parte formæ, siue actus. Præmitto 2. obiectum materiale, & formale duo includere intrinsecè, scilicet obiectum, & actum, quo gratia sui, aut alterius attingitur, illud plerumque in recto, hunc in obliquo, siue, vt aliis terminis vtar, illud semper vt quod, hunc vero vt quo.

Quæ cum ita sint, dico nullum obiectum formale 33
esse, quod à materiali, vel ex parte obiecti siue rei, vel ex parte actus, seu formæ realiter, aut ratione non distinguatur. Ad primam probationem oppositam: Sanitas, quatenus obiectũ formale phlebotomiæ, actum, quo propter se amatur, intrinsecè inuoluit, & quatenus materiale actum realiter distinctum quo in virtutem, aut voluptatem referatur includit: quocirca obiectum materiale, & formale in adducto euentu ex parte actus realiter distinguũtur.

Adde, sanitatem tum esse obiectum formale, & materiale contemplatione diuersorum, non vero respectu eiusdem, quod satis, superque est vt obiectum in communi legitimè dispescant, quemadmodum vnum, verum, & bonum congruè diuidunt ens in communi, siue, vt verius loquar, attributum entis, quia nimirum idem quidem non sunt respectu eiusdem, licet idem sint respectu diuersorum: quod enim est vnum, idem est verum, & quod verum idem bonum, & retrorsum; sed est verum respectu intellectus, non vero voluntatis: & comparatione huius est bonum, & non verum: ac tandem vnum contemplatione neutrius, sed tantum diuisionis aut multiplicitatis quam negat.

34 Ad secundam probationem contrariam. Definitio, quatenus obiectum formale in hypothesi allata, præmissas includit, definitum vero, quatenus materiale, assensum conclusionis: quamobrem obiectum formale ac materiale tum ex parte actus distinguentur, cum præmissæ à conclusione, vel realiter, vel ratione distinguantur, provt discursus formalis, aut virtualis fuerit. Ad tertiam, ac postremam probationem contrariam. Admissa eius hypothesi; actus ille diuinæ voluntatis, quo essentia est obiectum formale, & materiale relationum, etsi realiter indiuisibilis sit, ratione tamen nostra diuiduus est in duas formalitates, quarum altera essentiam Dei propter se, altera vero eam propter relationes amet: siquidem per vnam, conuenit cum actu creato, qui in essentiam diuinam propter se feratur, altera vero cum actu creato, qui in eam propter relationes feratur: conuenientia autem eiusdem rei cum aliis realiter diuersis rem ita similem, ac conuenientem eo ipso ratione distingui, atque in diuersas formalitates fecerni facit, vt visitur in animali quo belluis, & rationali, quo angelis similes sumus. Quapropter essentia, provt obiectum formale, vnam formalitatem diuini actus, & provt obiectum materiale, aliam claudit: idemque de relatione respectu essentiæ dicendum. Proinde non sine aliqua distinctione rationis obiectum materiale, & formale in Deo, concurrunt. Verum de hoc pauca, non quod locus latus non sit, sed quod alienus, ac theologorum proprius.

35 Altera aduersus prædictam diuisionem obiectio, ac doctrinæ nuper traditæ impugnatio sit. Obiectum formale, & materiale non constituuntur per actus, sicut superior solutio supponit: igitur ex parte actus ambo non distinguuntur. Consequentia liquet: siquidem per id vnaquæquè res distinguitur ab aliâ, per quod in se constituitur, & è conuerso, proinde si gemina illa obiecta non constituuntur per actus, nec per eos distinguentur. Antecedens probatur: quoniã obiectum formale, quatenus tale, obiicitur actui: sed actus non obiicitur sibimetipsi, si directus, & non reflexus sit: actus igitur directus obiectũ formale non constituit. Deinde nec actus reflexus illud constituit. Tum quia, iuxta plures, nullus actus creatus reflexus esse potest, à qua doctrina quidquid sit de eius probabilitate præsens quæstio independens esse debet; tum etiam quia obiectum formale, homo v.g. directè opponitur actui: sed actus, esto reflexus permittatur, tamen directè sibi ipsi nunquam opponi potest, sed ad summum reflexe: nullus igitur actus etiam reflexus obiectum formale constituet. Quod verò obiectum formale, provt tale, obiiciatur actui, vel inde constat, quod actus in obiectũ formale, & non materiale aliquãdo tendat: tunc autem non obiicitur obiectum provt materiale: ergo provt obiectũ formale.

36 Vnâ, aut alterâ instantiâ argumentum factũ eleuo: primam ex relatione disquiparantiæ desumo: sola quantitas tricubita v. g. maior est bicubitâ, quando quantitas bicubita semetipsâ maior non est: attamen quod quantitas tricubita bicubitam excedat, more reliquarum relationum prædicamentalium ex bicubitâ coalescit, id quod multi etiam aduersariorum in confesso habent: quamuis igitur sola tres cognita obiiciatur actui, & actus sibimetipsi non obiiciatur, adhuc actus rem in ratione obiecti formalis constituet. Alteram instantiam, ac priori similem desumo ex relatione dominij, quâ Deus supremus creaturarum Dominus est: solus enim Deus cuiusuis creaturæ supremus Dominus est, quando creatura quidem sibimetipsi supremè non dominatur; & tamen existentia creaturarum dominium Dei intrinsecè constituit, vt cum B. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 15. id insinuante, contrariorum etiam multi profitentur.

Respondeo præcisè: obiectum formale non obiicitur actui, penes omne id quod includit etiã in obliquo, & vt quo, sed solum penes id quod in recto, & vt quod includit: quare licet actus sibi ipsi non obiiciatur, poterit tamen obiectum formale constituere, atque esse de ratione illius, si nõ in recto, & vt quod, at in obliquo, & vt quo. Quando vero actus tendere dicitur in obiectum formale, potius quam materiale, haud sensus est, eum tendere in omne constitutiuũ obiecti formalis, sed duntaxat eum talis esse genij, vt rei quam extrinsecè denominat, potius rationem obiecti formalis, quã materialis impertiat. Quod exemplo philosophico clarebit: anima ab Arist. 1. de anim. definitur, *actus corporis physici organici potentia vitam habentis:* hoc autem ita intelligendum non est, vt anima sit actus corporis physici, &c. penes omnia ea, quibus corpus tale constituitur: tum quia corpus constituitur in ratione vitam habentis per animã, & vt sentit B. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. in ratione corporis; & tamen anima non est actus sui, nec seipsam informat: tum etiam quia corpus constituitur in ratione organici per organa & accidentia corporea, interna, & externa, ac sensibus obuia, quorum tamen anima actus & forma non est: similiter ergo quando actus vitalis, cognitio nimirum, aut amor, dici consueuit attingere obiectum formale provt tale, id ita accipi non debet vt attingat obiectum formale penes omne id, quod includit, sed vt solum penes id quod in recto atque vt quod importat, eique denominationem illam extrinsecam obiecti formalis attribuat. 37

Tertia, ac postrema obiectio, necnon etiam superiorum confirmatio sit. Obiectum materiale, & formale distingui quoad actus, est inadæquate tantum ea distingui: at hoc non sufficit, vt rationẽ cõmunem obiecti legitimè diuidant: talis ergo diuisio reicienda. Minor est in perspicuo: namque homo, & animal inadæquatè distinguuntur; aliquid enim est in homine, quod est formaliter, & ratione nostra animal, ipsum nempè animal, & aliquid, quod non est formaliter animal scilicet rationale: nihilominus tamen viuens vt sic in hominẽ, & animal congrue non diducitur: inadæquata ergo distinctio inferiorum haud sufficit, vt eæ rationem superiorem rectè ac legitimè diuidant, ac secernant. Verũ operosum non est, hanc obiectionem repellere, modo duplicem distinctionẽ inadæquatam, inuicem distinguamus: bifariam ergo conceptus aliquis ab alio inadæquatè censetur distinctus: primò si alter ex toto in alio formaliter includatur; nihilque illius non aliũ ingrediatur, haud tamen retrorsum, & è conuerso: hæc autem distinctio inadæquata bonæ diuisionis leges violat, vt exemplo argumenti constat; propterea namque viuens in animal, & hominem incongruè diuiditur, quoniam animal, & homo ea inadæquatione distinguuntur,

vt

vt totum animal quoad omnes eius formalitates in homine formaliter claudatur, etsi è diuerso totus homo in animali formaliter non reperiatur. Alia distinctio inadæquata est, ea munere cuius vnus conceptus aliquatenus parte, seu formalitate ab alio differt, & aliquatenus cum eo conuenit, neuter tamen totus in alium penetrat deve eius ratione formali est: atque hæc inadequata distinctio inferiorum abunde est, vt ea rationem superiorem rectè, & consentaneè dispescant: nisi enim hoc pacto non distinguuntur cognitum, & amatum; & tamen rationem communem concreti intentionalis, & extrinseci rectè diuidunt: nisi etiam eo modo non distinguuntur album, & dulce; & nihilominus quale in communi sibi proximum optimè disseparant: mille alia, sed his similia. Porro obiectum formale, & materiale, quorum causa hæc exempla adducta sunt, & plura possent adduci, ita quidem distinguuntur inadæquatè, vt re cognita, vel amata tenus conueniant, & actu tenus differant, tamen neutrum se toto, & quoad eius vtramque partem in alio claudatur, ac formaliter imbibatur: quamobrem hæc distinctio sufficiet, vt obiectum in communi ambo optima ratione diuidant.

CAPVT V.

Variæ species obiecti formalis, & materialis.

38 OBiectum formale subdiuiditur, in formale *quod*, & *quo*, seu, quod perinde est, in obiectum formale præcisè, & rationem formalem obiecti. Obiectum formale *quod*, est quod ratione sui, siue propter se secundo tamen attingitur. Obiectum formale *quo* est quod ratione sui, seu propter se primò attingitur: attingi autem propter se secundò est ita obiectum attingi, vt præsupponat aliud prædicatum ratione distinctum, beneficio cuius attingatur: attingi propter se primo est ita obiectum attingi, vt non præsupponat tale prædicatum, ratione cuius attingatur, sed potius ipsum sit ratio, qua attingantur alia. Ex. c. candor est obiectum formale *quod* meæ visionis, quia præsupponit rationem coloris, aut visibilis à se distinctam, & se priorem, ratione cuius videtur: visibilitas autem, vel color est obiectum formale *quo*, vel ratio formalis obiecti, quia aliud, quo videatur implicitè, aut explicite minime præexigit, sed potius, vt videantur inferiorum colorum differentiæ, præexigitur. Porrò aliud est colorem, aut visibile esse prius candore, aliud meam visionem coloris esse priorem visione candoris: illud prius tantum asserimus, & plane verissimum est; valet enim consequentia à candore ad colorem, & visibile; non autem retrorsum, & è conuerso, in qua irreciproca consequentia prioritas logica, qua de agitur, consistit: hoc posterius nequaquam firmamus, neque ad veritatem accedit; hæc enim mea visio candoris, & hæc eadem mea visio coloris mutuò conuertuntur, & ab altera ad alteram consequentia tenet. Cæterum sicut color candore logicè prior est, ita visio coloris vt sic, & in abstracto sumpta visione candoris antiquior, priorve est, & horum vnum verum esse ex alterius veritate consequitur, neque præterea aliud ad nostram duplicis obiecti finitionē necessariū est.

39 Obiectum formale *quo*, siue ratio formalis obiecti, alia est ratio formalis obiecti vt res, & formalis obiecti vt obiectum, siue quod perinde est, alia est ratio formalis sub *qua*, & alia formalis *quæ*. Ratio formalis *quæ*, siue obiecti vt res cuiusmodi est color explicitè attingitur, ratio formalis sub *qua*, siue obiecti vt obiectum, qualis est visibilitas implicitè duntaxat, non vero explicitè attingitur. Hanc rationem discriminis attigit B. Tho. 1. p. q. 16. art. 3. ad 3. ibi enim ait cum intelligitur ens, non hoc ipso verum, siue intelligibile explicite intelligi. En eius verba: *Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens: non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens ita quod non intelligatur eius intelligibilitas: & similiter ens est verum: non tamen intelligendo ens intelligitur verum.* Rursus 2. ratio formalis sub qua, siue obiecti vt obiectum per ordinem ad actum vitalem quo attingi potest definitur, & explicatur; vti cognoscibilitas, seu scibilitas per ordinem ad cognitionem, & scientiam. Ratio formalis quæ, siue obiecti vt res per ordinem ad alia prædicata longe diuersa, veluti homo per ordinem ad sensiones, & discursus. Ratio formalis *quæ* siue obiecti vt res habet differentias reales, & physicas, quibus contrahatur, at ratio formalis sub *qua*, siue obiecti vt obiectū per differentias intentionales contrahi postulat: etenim qualitas vt passibilis, siue materialis est dicitur ratio formalis *quæ*, siue obiecti vt res, vt vero sensibilis est ratio formalis sub *qua*, siue obiecti vt obiectū: Aliæ autem sunt differentiæ qualitatis, vt passibilis est, & vt sensi ilis est; illa per odorem, sonum, colorem, &c. hæc per visibile, audibile, odorabile contrahitur: quæ omnia per quam acutè explicat Caiet. 1. part. quæst. 1. art. 3. parum ab initio.

Obiectum formale *quod* aliud est intrinsecum, siue 40
proximum, quod intrinsecè, & immediatè actum vitalem terminat, eique obiicitur, quales sunt præmissæ obiectiuæ respectu formalium, aliud extrinsecū, siue remotum, ad quod solum mediatè, & extrinsecè actus vitalis terminatur, scilicet medio alio actu à quo originem ducat, veluti præmissæ obiectiuæ respectu conclusionis formalis ad eas nonnisi mediatè terminatæ. Porro circa hanc subdiuisionem illud dubitari potest, in quo differat obiectum formale *quod* extrinsecum à ratione formali obiecti: siquidem præexigitur vt necessarium ad hoc vt aliud ratione illius cognoscatur, in quo nos conceptum rationis formalis obiecti collocasse videmur.

Respondeo: si de ratione formali obiecti, vt obiectum est, siue de ratione formali sub qua sermo sit, obiectum formale quod extrinsecum ab ea tripliciter differt: primò quia obiectum formale quod extrinsecum per actum vitalem explicitè attingitur: secundò quia per ordinem ad prædicta realia, & physica definitur; tertiò quia per differentias physicas, & reales contrahi postulat, vt videre est in syllogismo quo ab homine ad eius definitionem arguitur, ac de Petro v. g. eò quod homo sit, esse animal rationale concluditur. At illis tribus ratio formalis destituitur vt ex dictis nuper constat. Sin autem sermo sit de ratione formali *quæ* nuncupata, siue de ratione formali obiecti vt res est, sanè obiectum formale *quod* extrinsecum multifariam ab ea differt: primò quoniam ratio formalis *quæ* cum obiecto formali *quod*, velut ratio superior cum inferiori comparatur, vt in colore respectu candoris visitur: at obiectum formale extrinsecum cum formali intrinseco non contēditur tanquam superius cum inferiori, vt cum arguitur ab vno inferiori & singulari ad aliud etiā singulare, & ex eo quod Socrates sit homo, eum esse animal rationale, aut è diuerso colligitur: 2. quoniam cognitio obiecti formalis extrinseci multoties distincta

est

est à cognitione obiecti formalis intrinseci, eaque prior, cum altera ab altera originem ducat: at vero cognitio obiecti formalis *quod*, à cognitione obiecti formalis *quo*, siue rationis formalis indistincta est; haud enim est alia visio, qua colorem, & alia qua candorem conspicio: vnde etiam fit, vt neutra cognitio altera prior esse queat, aut posterior: demum tertiò, quia attingentia obiecti formalis quod, & rationis formalis in singulari sumptæ conuertibiles sunt, vt superius vidimus: sed attingentia obiecti formalis intrinseci, & extrinseci non debent conuerti, propter id quod præmissæ sine conclusione reperiri possint, quanquam non è conuerso. En quanto discrimine dissident inter quæ aliqui nihil interesse existimabant.

41 Superest, vt qui obiectum formale pluri fariam dissecuimus, obiectum materiale omninò indiuisum haud relinquamus. Illud ergo diduci solet in materiale proximum, quod immediatè, & intrinsecè attingitur, tametsi non ratione sui, sed alterius motiui, & materiale remotum, quod immediatè, & intrinsecè non attingitur, sed tamen attingi dicitur, duntaxat quoniam aliquod eius accidens attingitur, vt cum paries videri dicitur, propterea quod eius albedo conspiciatur. Quanta proprietate obiectum materiale remotum sit obiectum inter authores non omninò consonat. P. Hurtadus disp. 1. Log. sect. 1. censet, obiectum materiale remotum nonnisi impropriè obiectum nuncupari, eò quod variato obiecto hoc eius attingentia non varietur, sed eadem persistat, vt cernere est in eucharisticis accidentibus, quorum sensus, & experimentum idem prorsus est ante, & post consecrationem, quando panis substantia euanescit. Parum tamen, aut nihil premit hoc argumentum: quod enim variato obiecto remoto, actus idem, & inuariatus persistat, id tantum concludit, obiectum remotum esse contingenter, & non necessario obiectum: quod autem contingenter tale est propriè quidem tale esse potest, Deus enim, licet contingenter, propriè tamen amatur à nobis: tum etiam quia volitio libera Dei variato obiecto creato inuariata, & simpliciter immutata perseuerat, cum Deus mutationis omnis incapax sit, & tamen existentiam creaturæ veluti obiectum propriè tale sibi præfigit, eamque propriè velle dicitur: similiter ergo, quamuis attingentia obiecti remoti eo variato non varietur, adhuc obiectum remotum propriè obiectum dici merebitur.

42 Alij diuersam sententiam tutantur, & obiectum remotum semper dicendum propriè obiectum censent: quoniam causa remota hoc ipso est propriè causa, & ignis v.g. interuentu caloris sibi inhærentis lignum calefaciens, illud propriè calefacit; quò etiam facit commune, ac receptum axioma, *causa causæ est causa causati*: quidni ergo obiectum remotum, mediatumque propriè sit obiectum? Sed neque hoc argumentum vrget: falso enim assumitur, causam remotam propriè causam esse, ignemve mediatè calefacientem propriè tamen calorem alicubi operari: ecquæ nāque huius doctrinæ probatio? certè nulla: axioma quidem hoc tantum concludit, causam causæ esse etiā causam causati, haud tamen tanta proprietate eam producere causatū quanta causā producit: sic amor finis necessaria ratione est amor mediorum, sed aliter, & aliter: illius enim est intentio, horum electio: illius amor intensior, ac maior, horum minor, vtpote propter illum: illius denique explicitus, & formalis, & horum fortassis solum implicitus, & virtualis. Sufficiens est eius doctrinæ improbatio nullam illius probationem afferri; sed statim positiuo, vt aiunt, argumento improbabitur.

Nonnulli, vt litem hanc disceptent, distinguendum putant, aiuntque; quando obiectum remotum immediatè non potest attingi per actum eiusdem generis rationisve, tum propriè obiici, quo pacto paries propriè videri dicitur, seu esse obiectum visionis, quoniam visio ad substantiam parietis transmitti nequit: at vero quando obiectum materiale remotum immediatè respici potest per eundem similemve actum, tum eius obiectum propriè dici non posse; qua ratione albedine cognita, non propterea censeor eius subiectum cognoscere, quin potius illud multoties ignoro; quia cognitio mea immediatè respicere potest subiectum albedinis, vnde huius solius cognitio haud illud propriè cognitum denominat. Item quamuis quis alterius nobilitatem, speciemve amet, eique inuideat ac sibi desideret, non idcirco eius personam amare censetur, quin etiam fieri potest, vt eam odio prosequatur, nimirum quia amor in ipsam personam ferri potest, & solet idque immediatè, & proximè. Hæc tamen distinctio mihi haud omnino placet: namque causa remota semper impropria est, vt latius expositi in physica, & mox strictius ostendam; & tamen aliquando effectum remotum immediatè producere posset, vt cernere est in igne, qui calorem in ligno mediatè productum in semetipso produceret, si causæ primæ (cuius est determinare indiuiduationē effectuum) id libuisset: aliquando vero eum immediatè producere effectum remotum repugnat, vt videre est in aqua calida calorem, quem immediatè, & proximè operari non valet, mediatè tamen manui, aut alteri rei imprimente: non obstante ergo simili discrimine quod elucet in modo, quo obiectum remotum attingi potest, semper nihilominus erit improprium obiectum. Præterea locutiones in contrarium adductæ parum habent momenti: qui namque albedinem cognoscit hoc ipso subiectum, quod est album, dignoscit saltem generice tametsi non specificè, anve lignum v. g. aut lapis sit id, quod ei qualitati subiacet. Is etiam, cui alterius nobilitas speciesve præcisè sumpta complacet, animoque recursat, haud dubiè talem amare censetur, nisi contrarius, potentiorve affectus inuidiæ, odiive eiusmodi denominationem intercipiat: si ergo modus loquendi in argumentum assumatur nihil erit, quo se aduersarij tueantur. Quod etiam aliter suadeo, ac ni fallor persuadeo: ipsi enim, & quidem satis consentaneè ad sua principia, dicunt, hominem v. g. propriè, & simplicer tangi, quando in suis accidentibus quantitate scilicet, & qualitate tangitur; & tamen licet eius vestes tangantur, hoc ipso tangi communiter dicitur, ac censetur. Pleni sunt libri sacri, & etiam profani eiusmodi loquutione. Modo sufficiat locus ille Lucæ c. 8. vbi mulier fluxus sanguinis laborans dicitur Christum tetigisse, cum tamen eius solam vestem attigisset: en verba: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius, & ait Iesus; quis est, qui me tetigit:* ac paulo infra, *& dixit Iesus tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiuisse.* Quamuis ergo aliquid remote attingatur, possitque immediatius attingi, hoc tamen non obstante attingi dicitur, ac censetur, ac proinde modus loquendi, quo potissimum innituntur aduersarij, eis neutiquam fauet. 43

Inter has sententias quæ primo loco adducta est mihi magis probatur, etsi eius fundamentum improbauerim, 44

probauerim, alioque vtendum arbitrer: quod ità iacio: cognoscere, siue amare mediatè non est propriè cognoscere, aut amare: ergo etiam cognosci, & amari mediatè haud erit propriè cognosci, aut amari: cum ergo esse obiectum sit cognosci, & amari, profecto obiectum remotum propriam rationem obiecti minimè sortietur. Antecedens, vnde reliqua rite sequuntur, hunc in modum suadetur, Deus mediate amat malum, medio scilicet libero arbitrio nostro, quod voluit, & creauit, & tamen propriè malum non amat. Item Deus mediatè cognoscit falsum, medio videlicet intellectu nostro multoties falso, & tamen propriè, ac simpliciter non fallitur, nec, quod perinde est, falsum pro vt tale cognoscit affirmatve: cognoscere ergo, aut amare mediatè, nisi impropriæ denominationes non sunt, si absolutè, & sine illa restrictione sumantur. Confirmatur: quoniam causa remota nunquam non impropriè causa est, vt in physica latè ostendi; & quidem aliàs Deus esset propriè causa moralis peccati, est enim causa moralis mediata, seu remota peccati, cum sit causa moralis nostri liberi arbitrij, quod moraliter malum, ac peccatum operatur: pari ergo modo obiectum materiale remotum actus eius obiectum, nisi impropriè non erit.

Caput VI.

Aliquæ de obiecto formali, & materiali notationes.

45 Notandum primò, aduersus P. Rodericum disp. 1. Log. sect. 1. anteaquam res actu, vt aiunt, propter se, vel propter aliud cognoscatur, aut ametur, eam dici debere obiectum formale, aut materiale radicaliter: hoc enim pacto esse obiectum formale, aut materiale nihil aliud est, quam posse cognosci vel amari sui, aut alterius gratia; hoc namque vocula illa *radicaliter* denotat. Res autem quæuis antequam actu cognoscatur sui, aut alterius ergo, potest ita cognosci, vel amari. Obiicies tamen ex P. Roderico vbi supra, hominem hoc tantum ipso, quod possit esse albus fore radicaliter album, quod tamen absurdum videtur. Respondeo concessâ sequelâ, & negatâ consequentis absurditate, cuius probationem desidero. Obiicies iterum fermè ex eodem bonitas obiectiua rei suâptè naturâ est indifferens, vt ratione sui, vel ratione alterius expetatur nec magis priori modo, quam posteriori expeti postulat: indifferens igitur est, vt sit obiectum formale, aut solum materiale formaliter. Proinde radicaliter non est obiectum formale, aut materiale, sed ab vtroque præscindit: quemadmodum, quia animal à rationali, & irrationali præscindit, & ad vtrumque indifferens est, nec radicaliter rationale est, alias per irrationale contrahi non posset, nec radicaliter irrationale, alias per rationale determinari nequiret.

Occurrendum tamen huic obiectioni hoc modo:
46 aliud est, bonitatem, aut veritatem obiectiuam esse obiectum formale radicale, potius quam materiale, vel è conuerso: aliud eam ex æquo, ac simul esse vtrumque obiectum radicaliter, siue in actu primo: illud prius falsum esse persuadet obiectio, neque de mente nostrâ, aut fortassis etiam aliquorum aduersariorum est: hoc posterius à nobis assertum est, & veritati consonum esse haud ægrè probatur. Tum quia, vt superius vidimus idem respectu diuersorum, & quod plus est, respectu eiusdem est obiectum formale, & materiale etiam in actu secundo: à fortiori ergo idem erit obiectum formale, & materiale radicaliter, & in actu primo; veluti quia idem simul audiri, & conspici potest, simul etiam visibile, & audibile est, & quia idem simul intelligitur, & amatur, simul etiam intelligibile, & amabile est. Tum etiam quia esto eiusmodi obiecta formaliter sumpta oppositionem, & incompossibilitatem haberent, tamen radicaliter vsurpata eâ destituuntur, non aliter ac eadem res simul amabilis, & detestabilis est, cum tamen simul amori, & detestationi, siue odio esse nequeat; eademque veritas simul affirmabilis, & negabilis est, cum tamen simul affirmari, & negari non possit: aliud enim est simultas potestatis ad affirmationem, & negationem; amorem, & odium, & potestas simultatis vtriusque; hæc impossibilis, illa possibilis est.

Notandum secundò, aduersus alios, denomi- 47
nationem obiecti formalis, aut materialis radicaliter sumpti esse aliquatenus intrinsecam, etsi non penes formam, quia fortassis forma denominans aliquid cognoscibile, aut amabile propter se, aut propter aliud, siue quod perinde est obiectum formale, aut materiale radicaliter, est solum cognitio, & amor in potentia, adeoque est forma omnino extrinseca vt in præsentiarum disputandi gratia permitto; at saltem ratione subiecti Probatur hæc doctrina: quoniam omnis denominatio conueniens alicui rei, deque ea prædicabilis ei est intrinseca ratione subiecti, licet non ratione formæ, si enim ea denominatio prædicatur de re, ergo cum ea identificatur, adeoque ei intrinseca est: esse namque idem, est reuera esse intrinsecum; imò nil magis intrinsecum, quam quod idem. At esse radicaliter obiectum formale, aut materiale, siue cognoscibile, vel amabile est denomiuatio quæ de reipsa prædicatur, eique conuenit: ei ergo quodammodo intrinseca non esse nequit. Item esse obiectum formale, aut materiale radicaliter v. g. esse cognoscibile propter se non est sola cognitio possibilis: ergo insuper est res ipsa cognoscibilis: huic ergo totalis denominatio eadem, adeoque intrinseca quadantenus est. Rursus tertiò: etsi non omnis denominatio esset aliquomodo, & saltè subiecto tenus huic intrinseca, etsi inquam, hoc quod omnes scriptores, quos viderim verum censeunt verumtamen non esset, cæterum de denominatione obiecti radicalis, eam quodamodo intrinsecam esse nescio quî negari posset: esse enim obiectum radicaliter est esse in radice ipsius rei, adeoque intrinsecè obiectum, vt vim eius vocalæ *radicaliter* perpendenti constabit.

Contrarium tamen aliqui Neoterici tenent, at- 48
que ita argumentantur: quando æger salutem exoptat, aut effœta parens prole beari desiderat, nec saluti, nec proli prædicatum aliquod intrinsecum inexistit; & tamen tunc sunt obiectum formale, aut materiale radicaliter, siue in potentia, cum ab actu ad potentiam consequentia valeat: quod igitur sint obiectum formale, aut materiale radicaliter à prædicato aliquo intrinseco non habent, siue, quod proinde est, eis intrinsecus non aduenit. Assumptum probatur: quoniam salus, & proles quoad solam cognitionem, & complacentiam, quas terminant, existunt, sed cognitio, & complacentia eis non sunt intrinseca, sed potius omnino extrinseca. Nec valet, si quis possibilitatem existendi eis intrinsecam asserat. Tum quia etiam

etiam hæc possibilitas eis extrinseca est, & à solâ omnipotentiâ Creatoris tanquam forma denominante profecta, tum etiam quia non possibilitas, sed existentia prolis est obiectum formale, ac materiale radicaliter; ea enim est, quæ desiderium terminat; at existentia eis intrinseca & essentialis non est: quod ergo sint obiectum formale, vel materiale radicaliter id nulli prædicato intrinseco debent.

49 Respondeo tamen ex facili: aliud est, rationem obiecti formalis radicaliter sumpti entitati intrinsecam esse, aliud entitati prædicatum aliqnod intrinsecum actu inesse, siue inexistere, à quo, quod sit radicaliter obiectum formale, & materiale sortiatur: hoc posterius solum confutat obiecta ratio, at id à nobis nunquam statutum: illud prius nostrâ assertione statuimus, & verissimum esse, & argumanta nostra conuincunt, & etiam exemplum existentiæ, quo aduersarij maxime nituntur: ipsa enim existentia, antequam in actum transferatur à seipsâ indistincta, siue eadem, sibique, quod consequens est, omnino intrinseca est; namque per productionem, vi cuius in actum transfertur, non identitatem, siue indistinctionem, sed sui, & identitatis suæ diuersum statum obtinet: at existentiæ, antea quàm producatur, nullum prædicatum actu ineſt: pari ergo modo obiectum formale, & materiale radicaliter sumpta rei alicui intrinseca esse possunt, tametsi nullum ei prædicatum actu inexistat, summa horum est, rationem obiecti formalis, & naturalis radicaliter sumpti esse intrinsecam alicui rei est ab eâ esse indistinctam, non vero eam existere.

50 Notandum est tertio aduersus P. Rodericum vbi supra; quoties plura obiecta formalia propter se inuicem serie quâdam, & vt aiunt, subordinatione amantur, quodlibet eorum proprie, & rigorose obiectum formale esse. Probatur: quando, verbi gratia, quis vocat famulum, vt Phlebetomum accersat, & huius aduentum desiderat propter scissionem venæ, & hanc propter tenuationem humorum, & hanc propter salutem, quod libet horum obiectorum formalium, dempto vltimo tale est, vt propter illud, aliud quidpiam ametur: igitur ipsum propter se amatur? nisi enim aliquid propter se ametur, fieri nequit, vt aliud propter ipsum ametur; ergo quodlibet eorum obiectorum formalium, quæ intermedia vocant, proprie obiectum formale est, quando huius quidem definitio est attingi propter se. Deinde quis neget, obiectum formale *quod* propriâ, ac strictâ ratione obiectum formale esse; candorem, verbi gratia, propriè, & formaliter obiici visioni, at huiusmodi obiectum propter aliud nempe propter obiectum formale *quo* attingitur, & non nisi propter se secundò attingitur, idcirco enim candor videtur, quia est color, adeoque propter hunc videtur: quanquam ergo obiectum formale intermedium, quod illudcunque sit, propter aliud ametur, ac nisi propter se secundo ametur, id tamen non obstabit, quominus obiectum formale proprie tale censeatur. Item suprà tract. 7. cap. 1. huius libri aduersus plures scholasticos, quos refert, ac sequitur P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. d. 4. cap. 2. ostendi fines intermedios, & in alium vlteriorem destinatos, propriè tamen fines esse: id quod Aristoteles 1. Ethic. cap. 7. liquidissima ratione docet: ergo etiam obiectum formale intermedium, in aliudque relatum, hoc tamen non obstante, obiectum formale stricte erit, cum propter illud, aliud quidpiam ametur, consequentia est in propatulo; tum quia ij; quibuscum concertamus, censent, obiectum formale, finemque in idem coincidere; tum etiam quia esto aliquo momento inuicem differant, multo magis erit de essentia, & natura finis, vt in alium vlteriorem non referatur, quam de ratione obiecti formalis, quandoquidem nomen ipsum finis statum cum vlteriori progressu incompossibilem præsefert: quamobrem si finis strictè talis est, etiamsi in eo non sistatur, sed ab eo ad alium gradus sit, profectò à fortiori, vt aiunt, id de obiecto formali putandum erit. Atque hinc, quæ in contrarium opponi possunt, facilem solutionem habent.

Notandum est 4. obiectum formale, & materiale dici per proportionem ad similitudinem materiæ, & formæ physicæ, ei intrinsecæ; quoniam sicut materia est indiffirens ad hanc, aut illam speciem humanam, verbi gratia, vel equinam constituendam, & determinatur per formam hanc speciem præ illa constituat, ita similiter obiectum materiale haud raro est indifferens ad hanc, aut illam scientiam, vel virtutem, & ab obiecto formali determinatur, vt ad hanc scientiam, seu virtutem attineat. Exempli causa hæc veritas *Deus est* deducta ex præmissis lumine naturæ cognitis ad physicam, & metaphysicam spectat; deriuata vero ex lumine, ac radio supernaturali diuinæ reuelationis ad Theologiam, ac fidem spectat. Quod acute notauit P. Hurt. disput. 1. log. sect. 1. 51

Addiderim vtrumque obiectum ita fortassis nuncupatum fuisse ob proportionem cum formâ extrinsecâ, seu vi effectiuâ, aut virtute actiuâ causæ efficientis, necnon etiam cum passo, ex cuius potentiâ respectiuâ educitur forma intrinseca: quemadmodum enim vis actiua causæ efficientis subiectam materiam ad formam mouet, sic obiectum formale ad materialis assensum, vel amorem mouet, & impellit. Porro vim actiuam causæ efficientis formam appellari testes sunt plerique scholastici, & eos inter. B. Thom. quæst. 3. de potentia art. 3. *dicendum, quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in suâ institutione collata, inest eis vt quædam forma, &c.* & 1. p. quæst. 105. art. 5. corp. *vnde non solum est causa actionum, quatenus dat formam, quæ est principium actionis, &c.* Mirum ergo non est si per similitudinem, & proportionem cum vi effectiuâ, physicâ vis motiua intentionalis obiectum formale nuncupata sit, & per similem proportionem cum eo, quod physicè mouetur, nempe materia, id etiam quod intentionaliter mouetur, siue propter alterius motionem attingitur, obiecti materialis nomen obtineat. 52

Postremò notandum est, quod à nobis obiectum formale, & materiale appellatum, id ab aliis obiectum *quo* & *quod*; ab aliis propinquum, & remotum; ab aliis obiectũ motiuum, & terminatiuum nuncupari: Rursus quod nos obiectum formale extrinsecum hoc alios rationem formalem obiecti, & quod terminatiuum, hoc eos formale intrinsecũ vocauisse. Præterea complures nomine obiecti formalis solam rationem obiecti formalis comprehendere, & reliqua nomine obiecti materialis: Demum quod nobis ratio formalis sub qua, hoc aliis rationem formalissimam sub qua, & quod nobis obiectũ formale quod, hoc illis rationem formalẽ sub qua esse. Quæ diuersa vocũ vsurpatio præ oculis habenda, vt quid quæque in vnoquoque auctore significet, intelligamus, & in æquiuoco, quod aiunt, minime laboremus: nos certe 53

eas

eas voces eligimus, quas & rebus magis accommodas, & probatioribus Doctorum magis vsitatas esse iudicabimus.

CAPVT VII.

Obiectum totale, & partiale.

ILlud est, quod omnibus actibus alicuius habitus,
54 scientiæ nimirum, aut virtutis obiicitur: hoc, quod aliquibus duntaxat. Aduersus quam diuisionem illa sese difficultas offert, eius alterum membrum diuidens in altero claudi; siquidem obiectum partiale in totali comprehenditur: quam ob rem ea diuisio non minus vitiosa est, quam si pars hominis in corpus, & humanitatem scindatur. Respondeo iuxta superius dicta obiectum partiale sumi posse, aut ex parte obiecti, siue ipsius rei; & sic ab obiecto totali minime differre, cum omne totum per accidens, siue agregatio plurium partium ab eis minimè distinguatur: aut ex parte modi, siue actus: & ita obiectum partiale à totali diuersum esse, & in eo minimè inclusum, actus enim, qui obiectum partiale vt sic exprimit alius est ab eo, qui obiectum totale exprimit quanquam vterque idem reipsa obiectū repræsentet.

55 At replicabis: si vtrumque obiectum duntaxat ex parte actus, seu modi concipiendi differrent, quo de cunque vnum prædicatur, de eodem alterum prædicari posset: quo pacto rationale, & risibile ex æquo de iisdem inferioribus prædicantur, nimirum quia non ex parte obiecti, sed solum ex parte modi concipiendi eandem rem per ordinem ad distincta connotata differunt: consequens autem falso falsius est: quandoquidem hæc veritas obiectiua, *Deus est*, ea est, de qua verè dicitur esse obiectum partiale Theologiæ aut metaphysicæ, quarum tamen obiectum totale neutiquam est.

56 Respondeo duplex est diuersitas ex parte modi cōcipiendi: alia consistit in eo, quod vnus actus clarior, & explicatior alio sit, aut in eo, quod rem ad diuersa connotata æquali claritate referat; & hæc diuersitas non obest, quominus ea, quæ ex parte obiecti indistincta sunt, de iisdem inferioribus prædicari possint, ac debeant quod solum ratio nobis obiecta conuincit: alia diuersitas posita est in eo, quod vnus actus collectionem, seu copulationem, & alter distributionem, seu diuisionem exprimat, & hæc diuersitas ob esse potest, & prohibere, ne quæ ex parte obiecti realiter indistincta sunt, de iisdem inferioribus enuncientur: quod hoc exemplo luculenter ostendo: *Omnis homo, & aliquis homo* ex parte obiecti realiter non differunt, & quantum prior actus, alterum tantum posterior ex parte obiecti realiter attingit, nihilominus tamen quia *omnis homo & aliquis homo* hoc secundo modo ex parte modi concipiendi differunt, alterque copulationem, & alter diuisionem includit, ita propterea comparantur, vt de Ignatio v.g. aliquis homo non tamen omnis homo possit prædicari: huiusmodi autem est diuersitas ex parte modi concipiēdi, quæ inter obiectum partiale, & totale interuenit, & alterum ab altero secernit, conceptus enim huius quasi collectionem, & copulationem plurium obiectorum, & conceptus illius diuisionem exprimit.

57 Secunda aduersus eam diuisionem difficultas sic se habet: diuisum illius cum altero diuidentium, videlicet cum obiecto partiali conuertitur, quod quidem vitio non caret: animal enim hoc ipso quod in hominem, & belluam congruè diuidatur cum homine conuerti nequit. Assumptum est in perspicuo; siquidem obiectum partiale est quod vni tantum actui, aut aliquibus non tamen omnibus obiicitur: at obiectum in communi quatenus tale non omnibus actibus obiicitur: sed iis tantum quibus à partiali, & totali materiali, & formali abstrahitur: igitur cum obiecto partiali recurrit, neque eo latius patet. Quod si dicatur, obiectum vt sic ex parte modi concipiendi esse partiale, secus vero ex parte obiecti, id falsum esse haud ægre probari potest: namque obiectum vt sic ex parte modi concipiendi à partiali abstrahit: ergo ex parte talis modi partiale non est, cum ergo aliunde ex parte modi partiale sit, vt solutio largitur, profecto simul partiale, & non partiale ex parte modi erit, ac proinde eiusmodi diuisio obiecti contradictionem inuoluet. Tota vis huius obiectionis in hunc syllogismum reuocatur: obiectum in communi tantum sumi potest, vel ex parte obiecti, vel ex parte modi concipiendi: At vtroque modo sumptum ab obiecto partiali minime distinguitur. Priori enim modo, siue ex parte obiecti nihil aliud est obiectum in communi, quam collectio omnium obiectorum, qualiacunque sint. At hæc collectio quorumcunque obiectorum est etiam re ipsa & ex parte obiecti obiectum partiale in communi, si enim ab eo differret obiectiue, & reapse, maxime quatenus obiectum in communi includit obiectum totale, ex hoc autem nulla datur differentia, quandoquidem obiectum partiale à totali obiectiue non differt, vt initio huius capitis probatum manet: Posteriori etiam modo, siue quoad conceptum nostrum obiectum partiale est idem cum obiecto in communi & de eo dicitur, siquidem obiectum in communi pro vt tale, & quatenus à nobis concipitur, & abstrahitur non omnibus, sed aliquibus actibus obiicitur: diuisum igitur eius diuisionis ab altero diuidentiū adæquatur.

58 Respondeo, obiectum in communi ex parte modi concipiendi sumptum esse obiectum partiale in actu exercito: Namque, vt recte argumentum probat, aliquibus tantum actibus obiicitur, iis videlicet, quibus à suis inferioribus abstrahitur; Nequaquam tamen est obiectum partiale in actu signato, quoniam eius conceptus non exprimit disiunctionem ab altera comparte, sicut eam exprimit conceptus obiecti partialis: vnde diuisum cum altero diuidentium, nempe obiecto partiali, non ita conuertitur, vt hoc de illo directe, & formaliter prædicari possit: haud enim obiectum in communi est in actu signato partiale, vt diximus. Paulo etiam aliter responderi potest reuocata in memoriam suppositione simplici & personali: hac enim duplicis suppositionis distinctione facta, dicendum, si obiectum vt sic simpliciter, & pro immediato significato supponat obiectum partiale esse, sin autem personaliter, & pro mediato significato, non esse obiectum partiale solum, verum etiam totale complecti.

59 Postrema aduersus eam diuisionem difficultas est. Obiectum totale non est simpliciter obiectum: igitur obiectum in communi simpliciter cum partiali conuertitur, eoque latius non funditur; atque adeo ea diuisio obiecti legitima non est. Antecedens solum probatione eget, quam sic exhibebis obiectum totale est collectio seu cumulus obiectorum partialium: at collectio obiectorum non est simpliciter obiectum, quemadmodum collectio hominum simpliciter homo non est. Verum respondeo primò, propter hoc argumentum satis probabile mihi videri, obiectum in cōmuni simpliciter, & proprie non diuidi per totale, & partiale, sed simpliciter per vnum, & secundū quid per aliud, non aliter ac homo in verū, & pictū discinditur. Porro vt hoc censeā haud obscure præit B. Th. 1. p. q. 11

art. 1. ad 2. in hæc verba: *Sic igitur ens diuiditur per vnum & multa quasi per vnum simpliciter, & multa secundum quid.* Vbi vt rectè aduertit Caiet. indidem, & P. Suarez 1. metaph. disp. 4. sect. 4. voculæ *simpliciter, & secundum quid*, non referuntur ad vnum, & multa, sed ad particulam *diuiditur*; quasi sensus sit, ens diuidi simpliciter per vnum, eo quod vnum sub ente simpliciter contineatur, & secundum quid diuidi per multa propterea quod hæc sub ente secundum quid contenta sint: sicut autem multa sub ente simpliciter non continentur, nec tam ens, quam entia sunt, ita obiectum totale sub obiecto simpliciter non continetur, nec tam obiectum, quam obiecta illud nominari oportet: similiter ergo obiectum per totale secundùm quid, & per partiale simpliciter diuidetur.

60 Alio quoque modo præfatæ difficultati responderi potest, dicique obiectum totale aliud esse totale totalitate actus, aliud totale totalitate obiecti: obiectum totale priori ratione sumptum est, quod omnes actus scientiæ, aut virtutis terminat, ac nulli non obiicitur: obiectum totale posteriori ratione vsurpatum est omnium obiectorum collectio, & cumulus: sic causa alia est totalis totalitate causæ, quæ omnes causas effectus complectitur, alia totalis totalitate effectus, quæ licet vna sit in omnes tamen formalitates effectus virtutem, & actionem suam porrigit. Quanquam ergo obiectum totale totalitate obiecti vnum obiectum haud sit, sed potiùs multa, adeoque simpliciter obiectum esse nequeat, aut rationem communem obiecti propriè, & legitimè dissecare, vt ratio nuper facta persuadet, & Beati Thomæ, aliorumque plurium scholasticorum auctoritas conuincit: cæterum obiectum totale totalitate actus vnum esse potest, quo pacto diuina reuelatio, vna cum sit, tamen est obiectum totale fidei totalitate actus, quando nullum quidem fidei actum non terminat: veracitas etiam Dei vna cum sit, simili totalitate fidei obiicitur: pari quoque modo obiectum attributionis Logicæ, verbi gratia, quod illudcunque sit, vnum profecto est; nihilominus tamen est obiectum eius totale totalitate, quam vocant actus, eò nimirum, quod singulos, & omnes illius scientiæ actus intrinsecè, aut certè extrinsecè, & per modum finis vltimi terminet, vt in loco ostendimus. Quando ergo obiectum totale totalitate actus, vnum est, adeoque simpliciter, & propriè obiectum, propriè quidem, & strictè diuidet obiectum in communi non minus quam illud, obiectum partiale dissecat, quin probatio in contrarium adducta officiat.

61 Hinc fit satis obiectioni, quæ aduersus definitionem obiecti totalis à nobis traditam confici posset: ea sic se habet: diuina reuelatio ex. c. omnibus actibus fidei obiicitur, & tamen non est obiectum adæquatum, ac totale fidei, quando hæc non solum diuinæ reuelationi, sed vlterius auctoritati Dei reuelantis innititur, & vtramque simul adeoque alterutram duntaxat partialiter respicit: definitio ergo tradita aliis à definito conuenit, quo nullum in arte definiendi vitium maius. Sed dicendum est, diuinam reuelationem esse obiectum totale fidei totalitate actus, non vero totalitate obiecti, nimirum quia præter eam etiam auctoritas Dei, necnon etiam mysteria reuelata fidei obiiciuntur: quare obiectionem factam nullius esse momenti aduersus definitionem ita explicatam: hæc enim reuelationi dum conuenit, nisi definito suo non competit; quandoquidem reuelatio est obiectum totale totalitate actus respectu fidei, adeoque inter nostræ definitionis definita comprehenditur. Aliter etiam responderi potest, diuinam reuelationem non obiici omnibus actibus fidei re, & ratione nostra; pro quo ex iis, quæ superius diximus, in memoriam reuocandum est, actum fidei diuinæ, tametsi realiter indiuisibilis sit, tamen ratione nostra formali, aut obiectiuâ diuiduum esse duos in actus, quorum alter diuinam reuelationem, alter vero auctoritatem, seu veracitatem Dei reuelantis attingat: diuina autem reuelatio non obiicitur huic posteriori actui prout à priori ratione distinguitur quanquam ab eo realiter attingatur: quamobrem nequit esse obiectum adæquatum; hoc enim à nobis definitum est, quod omnibus actibus etiam prout ratione distinctis obiicitur.

Hinc alia quoque difficultas aduersus nostram 62
definitionem obiecti totalis soluenda emergit: namque obiectum totale totalitate obiecti, siue collectio omnium obiectorum, non obiicitur omnibus actibus scientiæ, cum multi sint, qui eam collectionem non attingant, imò nullus eam attingat, sed aliquam eius partem: ea igitur definitio obiecti totalis non omni definito conuenit; pari quidem vitio, ac si aliis à definito conueniret: parum ergo refert quod scyllam hanc vitauerimus, qui in charybdem illam priorem incidisse videmur. Dicendum tamen, obiectum totale totalitate obiecti aliquâ sui parte omnibus actibus scientiæ obiici, & nulli non opponi; atque hoc abundè esse, vt nostra ei definitio conueniat: sic dicitur, in toto omnique huius vniuersi spatio, ipsum vniuersum esse, quia quæuis eius pars in aliqua illius spatij locatur: hac ergo ratione obiectum totale totalitate obiecti omnibus actibus scientiæ adæquatur, singulæ eius partes singulis actibus comparentur. Præterea responderi potest, obiectum totale totalitate obiecti esse collectionem plurium obiectorum, adeoque potius esse obiecta, quam obiectum simpliciter, quod autem non est obiectum simpliciter, neque etiam est obiectum totale: quid igitur mirum, si huius ei definitio non conueniat, & cum sit aliud à definito sit etiam aliud à definitione.

TRACTATVS XI.

De reflexione actuum intellectus, & voluntatis.

CAPVT I.

Auctorum placita proponuntur.

63 QVOD attinet ad intellectum Diuinum quamliber eius cognitionem etiam à seipsa sine alterius ope cognosci, velut exploratum suppono cum B. Th. 1. p. q. 81. art. 3. in corp. Præterea quod attinet ad nostrum intellectum huius instituti magis proprium, eum reflectere in suos actus, saltem per alios, eosque cognoscere sicut & voluntatem, ac memoriam, & experientia constat, & perspicuè docetur ab Augustino lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse: & volo me velle, & meminisse, & intelligere: totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini: quod enim memoriæ meæ, non memini non est in memoria mea: nihil autem tam*

tam in memoria quam ipsa memoria est: totam igitur memini: item quidquid intelligo, intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo: quidquid autem scio memini. Hactenus ille. Et quidem nisi actus intellectus in alios possint reflectere, actum erit de facultate Dialectica, quæ tota posita est in reflexe cognoscendo vnos actus intellectus per alios, nimirum per suos, eos qui ad alias spectant facultates. Maior ergo est difficultas, an omnis actus intellectus nostri sua solius vi in se reflectere, vel si displicet hic loquendi modus, se ipsum cognoscere debeat, & quo pacto? item quidquid sit de omni, an aliquis eius conditionis esse possit.

2 Prima sententia cognitionem omnem, cuiuscunque sit obiecti, non posse non seipsam etiam clare, & distincte cognoscere tuetur: ita nonnulli cum Ægydio Romano, qui eum reflexionis modum, quod longe difficilius est, sensibus externis attribuit. Secunda sententia est, nullum actum intellectus posse in se reflectere, sibive obiici, aut clare, ac distinctè, aut obscure, & in confuso cum aliis obiectis: ita Aliacensis, Ochamus & alij Nominales: Quo ex principio propositiones insolubiles vocatas conantur soluere: Negant enim earum reflexionem etiam vagam, & confusam in se ipsos, aut hunc actum v. g. *aliqua propositio est falsa*, se simul cum aliis propositionibus vllatenus repræsentare: vnde inferunt, & indissociabili quidem consequentia, eiusmodi propositiones simul falsas & veras neutiquam esse oportere, vt in loco ostendemus. Tertia sententia est, nullum actum intellectus nostri posse se clare, & distincte cognoscere, etsi possit obscure, & simul cum aliis obiectis, ita Hurtad. disp. 7. log. sect. 1. §. 8. iuncta disp. 10. de anima sect. 4. per totam: inclinat etiam in idipsum Sotus opusculo de insolubilibus lect. 1. not. 5. vbi etiam superiorem Nominalium sententiam refert, & reiicit. Quarta sententia est, posse quidem aliquem actum intellectus nostri se tum clare & distincte, tum etiam obscure cognoscere, simul vtique cum suo obiecto, directo; eius tamen ingenij omnem cognitionē nostrā esse non debere: ita non pauci recentiores, & antiqui.

Caput II.

Reiectis tribus primis opinionibus vltima tanquam verior eligitur.

3 Prima sententia Ægydij hunc in modum impugnatur: idcirco possum cognoscere Petrum v. g. non cognito Paulo, quia vterque habet distinctam veritatem obiectiuam, ac transcendentalem ab alio: at etiam ipsa cognitio mea habet distinctam veritatē transcendentalem, seu obiectiuam ab illa re in quam directe fertur, veritas enim est passio entis, vnde cognitio & res cognita habent, vt distinctam entitatem, ita similiter & distinctam veritatem: potero ergo cognoscere rem aliquam directe, quin ipsam cognitionem meam reflexe cognoscam: ac proinde non omnis cognitio est in semetipsā essētialiter reflexiua.

4 Rursus secundo: amor Dei super omnia seipsum super omnia non amat; aliàs amor ille, qui excellentissimus charitatis actus est, moraliter tamen malus esset, vtpote qui creaturam aliquam super omnia amaret: actus etiam quo odio prosequor peccatum aliquod, haud est censendus seipsum odisse; aliàs moraliter malus, aut certe imperfectus esset, quippe qui odium peccati Deo tantopere gratū odio tamen haberet: Item cum nego Antichristum existere, meus hic actus seipsum existere neutiquam negat: aliàs falsus esset, cum tamen verissimum eum esse constet: pari ratione cum affirmo Deum esse à se, actum meum esse à se minime astruo; aliàs actus ille fide, ac ratione certus haud dubie falsus foret: actus ergo intellectus, & voluntatis (vtrorumque enim quod ad præsens attinet eadem est ratio) aliquo modo in obiecta sua tendunt, eaque denomināt, quo nequeunt in seipsos reflectere, seue denominare: cur igitur absolute, ac simpliciter in obiecta à se distincta ferri non possint, eaque denominare aliquando, absque eo quod in seipsos intentionaliter tendant, vllove modo cognitos aut amatos denominent.

Hinc tertio argumentor: si quando formæ physicæ 5
in se reflectunt, certe non aliam, sed potius similem eandemque denominationē sibi & rebus à se distinctis tribuunt: vt enim vnio materiam, & formā vnitas denominat, sic etiam seipsam alterutri: Præterea, vt duratio, & vbicatio rem in tempore, & loco faciunt existere, sic etiam seipsas eodem temporis, & loci spatio denominant existentes: pari ergo ratione, si formæ intentionales, cuiusmodi sunt actus intellectus, & voluntatis, in seipsas reflectunt, eandem sibi ipsis denominationem tribuent, quam obiectis cōmunicant suis: consequens autem est aperte falsum: nā nec amor Dei super omnia, semetipsum tantundem amat, neque odium peccati seipsum odio prosequitur, nec propositio negatiua seipsam semper negat, aut affirmatiua seipsam perpetuò affirmat.

Præterea quartò: si omnis actus intellectus in se- 6
ipsum reflectit, ac seipsum cognoscit, nemo poterit vnquam diuerti præ nimio studio, seu contemplatione, aut vsque ad extra se ferri, vt quid agat, aut cogitet, omnino ignoret: quo enim pacto ignorare poterit aliquis cognitionem, quam habet, si eam per semetipsam essentialiter cognoscit. Consequens autem experientia manifestè repugnat: vt belle describit Claud. Mamercus lib. 1. de statu animæ cap. 23. *Hinc est, quod etiam dum corpus administrat, atque sentificat* (videlicet anima) *siquando in summa, & ea quæ sunt semper attollitur, ita quodammodo corporeos deserit sensus, ab iisdemque illocaliter abscedit, vt coram posita non videat, vt iuxta sonantia non audiat, vt percursam legendo paginam, non intelligat. Adest anima, vt per oculum literarum signa colligat, eademque in syllabas sociatas coniungat, ac per verba distinguat, & non adest, vt quid per hæc defecerit, sciat. Lego clarè aliquid, pronunciante mealter intelligit, qui in id mentis oculum figit: ego vero ipso quid legerim nescio, quia in aliud anima illocaliter inieta discessit.* Et paulo infra. *Ipsa istic est anima, vt per oculum quæ leguntur videat, & ipsa istic non est, vt quæ leguntur non intelligat. At non sæpe vsu venit, vt siue huiuscemodi lectionibus accomodantes visum, siue relationi cuiuspiam accommodantes auditum, cum hæc eadem non minus intelligi, quam videri, atque audiri facillimum sit, vtroque tamen sensu sonos, ac signa capiamus, cum quid hæc eadem significent, non intelligamus.* Hactenus ille.

Deinde quinto argui potest, & superior ratio con- 7
firmari, atque declarari: si omnis cognitio nostra clare, & perspicue in se reflectit, suam à quacunque alia distinctionem eadem claritate, & perspicuitate cognoscet: latente enim tali distinctione, non posset ea non confusè cognosci, quemadmodum Petrus v. g. nisi prout condistinctus à Paulo appareat, eius cognitio erit non clara, sed obscura, atque confusa: at actuum nostrorum distinctionem, eorū videlicet quibus res extrarias cognoscimus ex vna parte, & eorum ex alia, quibus nos ita cognoscere scimus, & cogitamus, neutiquam nobis clare apparere, vel ex hac

hac ipsa quæstione, quæ præ manibus est, liquidò, constat: haud enim dubitari posset, haud inter Scholasticos velut res incerta vltro citroque disputari, an actus nostros per seipsos, vel potius per alios realiter distinctos cognoscamus, si quid horum vsu veniat, ipsa patefaceret experientia.

8 Ad hæc sexto: quid magis ridiculum, quid sensui, & experientiæ magis contrarium, quam hominem saltem quoties vigil est, & sui compos, suis semper actibus cognoscendis incumbere: at ita incumberet, & esset eis intentus, si nihil per eos nisi eis vna cognitis posset cognoscere. Vlterius septimo: si quoties anima nostra cognoscit aliquid, suammet cognitionem vna cognoscit vt aduersarij comminiscuntur, profecto etiam seipsam toties actu cognitam habebit: atqui nunquam extra somni tempus, imo ne tum fortassis ab alicuius rei cognitione desistit: velocissima enim est, vt ait Thales: nihil ea mobilius, nihil irrequietius: vti flamma semper veluti anhelat, semper sursum contendit: ita ipsa perpetuo quodam, ac non intermisso motu aliquid cogitat. Ad quod respexit Claudian. Mam. cit. lib. de stat. an. cap. 23. ibi: *Quod subiiciendum esse dixisti, eate nus animam solere requiescere, vt prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est, quod somniare dicitur, nisi quod nec defesso quidem corpore in somnosque resoluto, animæ vis à cognitionibus vacat. Consequens ergo est, vt in iugi, & continua sui contemplatione sit atque memoria, eaque actuali*, sicut censuit Plato in Alcibiade ita explicans illud Alpollinis Delphici oraculum *nosce teipsum*: item Arriminensis in 1. dist. 5. q. 2. necnon Picus Mirandulanus in conclusionibus suis. Sequela perspicua est: tum quia non est potior ratio, cur omnis cognitio nostra cognoscat seipsam quam animam cuius est cognitio; tum etiam, quia fieri non potest, vt seipsam cognoscat clare, & distinctè non cognita anima quam essentialiter respicit, & afficit. Consequens autem est manifestè absurdum, & aduersus experientiam: quis enim in semetipso experitur actualem illam & continentem animæ suæ cognitionem? quot è contrario eam potius ignorant? quot prorsus negant.

9 Respondent aduersarij ad quatuor has postremas rationes, etiamsi anima & seipsam & suam cognitionem iugiter, & continuo cognoscat, non habitu modo, sed actu quoque: cæterum eam cognitionem minimè discerni, aut vt sub experientiam cadere, propter eius assiduitatem: nam etiam in cæteris rebus vsu venit, vt valde assuetæ parum immutent, & quod dici solet, ab eis non fiat passio. Verum hæc responsio friuola est: atque vt arguit optime P. Suarez lib. 4. de an. c. 5. iuxta eam facile defendi posset cum pythagora, cœlos concentum edere, tantumque & tam dulcem vt aures omnium compleat foueatque, eius tamen assuetudinem in causa esse, ne possit à nobis distingui: item quod magis est absurdum, simili arte quiuis tueri posset, nihil à nobis ignorari, & quæ maxime videntur incognita, ea tamen maximè cognosci, sed eorum cognitionem non discerni, ob assiduitatem aliamue causam.

10 Iam Nominalium sententia superius memorata, talem in modum oppugnatur: multo facilior est tendentia intentionalis, quam physica, vt ex eo constat quod per actionem intentionalem intellectus, aut voluntatis in rem absentem, imo in non existentem, nec non etiam in rem distantem sine medio tendere possimus, easque cognoscere & amare cum tamen actione physica ita nequeamus operari: sed formæ physicæ non solum in extrema à se distincta, verum etiam in semetipsas aliquando tendunt, ac reflectunt, veluti cum vnio seipsam vnit, & duratio, ac vbicatio semetipsas in tempore, & loco constituunt: à fortiori ergo intentionales formæ, cuiusmodi sunt actus intellectus, ac voluntatis, quandoque in seipsas intentionaliter tendent, atque reflectent, ac se cognoscent, & amabunt. Vel paulo aliter: reflexio ad perfectionem attinet, quare diuini actus in se reflectunt: sed formæ physicæ minus perfectæ interdum tamen supra se reflectunt, ac seipsas denominant: ergo à fortiori intentionales formæ actusve intellectus, & voluntatis in se reflectent, ac semetipsas cognitas, & amatas denominabunt.

Deinde cum Deus se cognoscere cognoscit, & 11
amat amare, hos suos actus per ipsosmet, & non per alios realiter distinctos attingit, quæ est eius summa, & incircunscripta simplicitas, vt superius visum: quidni ergo Deus hanc reflectendi vim, ac perfectionem aliquibus actibus creatis possit concedere, haud enim erunt simpliciter infiniti, ac summè perfecti ob talem reflexionem, vtpote quæ tantum efficiet, vt tales actus seipsos non verò plura alia cognoscant, ac velint, qui titulus, vt alios multos prætermittam, ad imperfectionem sufficit. Præterea hic actus intellectus: *omne ens nullo excepto est possibile Deo*, siue, quod iuxta est, non *est impossibile apud Deum omne verbum* actus inquam eiusmodi vocibus subiectus repræsentat omne ens: quando ergo ipsemet est ens, sane seipsum cognoscet ac supra se reflectet.

Respondent aduersarij, voces quidem illas omne 12
ens nullo exempto repræsentare; cæterum actum eis respondentem non significare omne ens absolutè, sed dumtaxat omne ens præter seipsum. Hæc tamen doctrina inverisimilis est, atque quantum arbitror, ad fugiendum argumenti difficultatem fine fundamento conficta. Deinde voces, & conceptus, ex quibus sunt oriundæ, aut in quos ducunt, eandem prorsus rem idemque obiectum significant: sicut enim vox hominis, exempli gratia, corpus & animam significat, ita etiam conceptus hominis idipsum totum necessaria ratione repræsentat; voces igitur illæ, *omne ens nullo excepto*, si omne quidem ens, & ipsum consequenter actum internum ex instituto significant, quî fieri potest, vt actus ipse internus eis subiectus semetipsum naturaliter non significet, aut in se non reflectat. Adiice, quod actus internus est multo subtilior defæcatior, atque perfectior, quam crassum, ac sensibile hoc nostrarum vocum murmur: ergo si voces omne ens absolute, & nulla exceptione facta significant, cur etiam actus internus iis in mente respondens minus penetret, minusue significet.

Opinio etiam Soti, Hurtadi & aliorum ex dictis 13
facili negotio refellitur: nam iuxta eos, actus internus suapte natura imperfectus seipsum obscure, & implicitè cognoscit, quatenus nimirum latet in aliqua ratione communi, aut vaga explicitè cognita: alius ergo actus priori minus imperfectus poterit minus confusè, & obscurè seipsum cognoscere; perfectio igitur actuum supra se reflectentium cum possit in infinitum crescere, cumque nullus actus excogitari possit, quo non sit possibilis alius perfectior, certe non conspicio, cur deuenire non sit ad aliquem actū supra se clare, & omni procul obscuritate reflectentem. In summa: actus imperfectus supra se confusè reflectit: ergo valde perfectus poterit supra se clare reflectere.

Rursus: actus voluntatis obiectum efficaciter 14
amans seipsum, dummodo reflexus sit, non inefficaciter, & imperfectè, sed efficaciter perfecteque amat quiuis enim voluntatis actus magis secum ipso, quam

cum

cum obiecto quocunque à se distincto connectitur, atque adeo magis aut certè non minus efficaciter seipsum, quam quodlibet à se distinctum amabit: efficacia namque amoris in eius est cum obiecto connexione potissimè sita: pari ergo ratione actus intellectus, vti rationem communem entis, accidentis, cognitionis, aliudve obiectum clarè, ac distinctè cognoscit ita etiam semetipsum luculenter, ac perfecte, non verò obscure tantum & confusè, poterit aliquando cognoscere. Equidem à ratione alienum est, vt actus voluntatis in seipsum, & in rem à se distinctam eadem efficacia, & perfectione tendere possit, actui verò intellectus integrum non sit, vt in seipsum, & in obiectum à se distinctum pari claritate, ac perfectione feratur. Denique quædam formæ physicæ tanta perfectione se denominant reflexè, ac alia à se directè: vnio enim non minus arctè vnit semetipsam extremis suis, quam hæc inter se inuicem: actio etiam non minus se productum denominat, quam terminum suum: duratio quoque, & vbicatio haud minus se tempori, & loco commensas, quam res quibus accidunt: similiter ergo quædam formæ intentionales, cognitiones nimirum aliquæ, & amores, tanta perfectione tantaque claritate, aut efficacitate semetipsas cognoscent, & amabunt, quanta res alias à se distinctas complectuntur.

15 Ex quibus patet, vltimam sententiam earum quas recensuimus ad finem cap. præcedentis, veram esse, quippè quæ ex diametro opposita est tribus sententiis hactenus impugnatis, & aduersus primam negat omnem actum nostrum debere suprà se reflectere, & aduersus duas sequentes, quibusdam actibus reflexionem saltem obscuram, aliis etiam claram, & distinctam concedit: quæ omnia superius sunt probata, vt potuimus.

Caput III.

Argumenta quædam pro reflexione omnium, & singulorum actuum in semetipsos diluuntur.

16 PRo sententia Ægidij, cuicunque cognitioni tribuente reflexionem essentialem suprà semetipsam obiicies primo: omnis cognitio terminatur ad obiectum suum, prout est obiectum: sed obiectum vt obiectum intrinsecè, & essentialiter inuoluit cognitionem per quam apparet: omnis ergo cognitio nostra terminatur ad seipsam, siue, quod perinde est, ad cognitionem, qua obiectum à nobis hic, & nunc cognoscitur: Maior propositio palam esse videtur: minor etiam non minus perspicua: siquidem aliquid esse obiectum cognitionis est esse cognitum: cognitum autem vt tale intrinsecè, & essentialiter includit cognitionem: eam igitur obiectum quatenus tale cohibet.

17 Resp. cognitionem nostram terminari ad obiectum vt obiectum est, dummodo ea reduplicatio cadat supra materiale obiecti, illudue quod obiicitur, non vero supra id quod pro formali importat: obiectum ergo cum pro materiali solam rem cognitam semper dicat, non vero cognitionem, profecto non erit cur cognitio ad obiectum prout tale eo sensu terminata in se reflectat, aut ad se terminetur. Quod si ea reduplicatio cadat, aut supra id quod pro formali obiectum inuoluit, aut certè supra omnia obiecti constitutiua, eiusque tam materiale quam formale, inficiandum profecto erit, hoc sensu cognitionem terminari ad obiectum, prout est eiuscemodi.

18 Obiicies secundo: cognitio cuiuscunque obiecti ad verum, vt verum est, terminatur, cum omnium confessione verum sit obiectum formale intellectus, in quos hic per suos fertur actus: at verum, vt verum est intrinsecè, & quidditatiue inuoluit cognitionem saltem possibilem, omnis ergo cognitio est ad aliquam cognitionem saltem possibilem terminata: cum igitur non sit, quapropter omnis cognitio aliam cognitionem à se realiter distinctam cognoscat, sanè seipsam necessaria quadam reflexione attinget. Sola huius argumenti minor eget explicatu, eaque hunc in modum breuiter explicatur: verum, vt verum, nihil aliud est quam cognoscibile sicuti est; quare cognitionem possibilem nequit non includere.

Respondeo, veritatem transcendentalem, vt exposui supra lib. 2. tract. 6. cap. 1. duplicem esse, alteram omnino intrinsecam & essentialem rei verę, aliudque nihil est, communiori apud authores sensu, quam aptitudo illa radicalis cum entitate rei identificata, qua postulat, vel certè non repugnat illa cognosci, quemadmodum est in se: alteram vero partim intrinsecam, ac partim extrinsecam: vt enim rem esse cognitam est denominatio extrinseca, ita eam esse cognoscibilem sicuti, aut non sicuti est ei potest aliqua saltem ex parte extrinsecus aduenire. Quæ cum ita se habeant: cognitio quidem nostra, quæcunque sit, terminatur ad verum transcendentale, secundum omne quod includit, si de veritate omnino essentiali, & intrinseca sermo sit: hinc autem non efficitur, eam ad cognitionem etiam possibilem terminari, vt ex iamiam prænotatis liquet: at vero quælibet cognitio nostra non terminatur ad verum transcendentale penes omne quod includit, siue de veritate transcendentali quadantenus extrinseca sermo sit, sed duntaxat penes id, quod pro materiali & in recto importat: vnde in seipsam necessario non reflectit. 19

Obiicies tertio: vnio physica nequit vnire materiam formæ, quin alterutrum horum extremorum vniat sibimetipsi: vnio igitur affectiua, & intentionalis nequit vnire affectiue voluntatem obiecto, quin eam sibi etiam affectiue vniat, atque coniungat: voluntatem autem vniri affectiue alicui rei, est illam amare, quo pacto dici solet animam magis esse vbi amat, quam vbi animat: proinde non poterit voluntas nostra vi sui amoris complecti obiectum sibi directe, & primario propositum, quin ipsum amorem suum amet, & eodem complectatur affectu: omnis ergo voluntatis amor est in seipsum reflexus: quo fit vt omnis etiam cognitio intellectus simili reflexione gaudeat: tum quia quod ad præsens attinet, eadem est vtriusque ratio, vt superius animaduersum: tum etiam, quia quod in amore factum est argumentum haud magno opere fieri etiam potest in cognitione, quippe quæ est suo modo intentionalis vnio rei cognitæ cum intellectu, & huic illam intimè sistit ac repræsentat. 20

Respondeo, in primis vnionis physicæ & vnionis intentionalis similem non esse rationem vel ex eo claret, quod vnio physica non nisi extrema loco inuicem indistantia nectere possit, cum tamen vnio intentionalis amorue res quantumlibet dissitas cohærere faciat, nullisque locorum interuallis eius vis cohiberi, aut ardor possit extingui: quare tametsi vnio physica seipsam, hysice vniat, exinde non fiet vnionem affectiuam voluntatis hanc amare, & sibi affectiue copulare. At instabis: quorsum nos superius argumentati sumus ab vnione Physica ad vnionem intentionalem, & ab vnius ad alterius reflexionem, si vtriusque non est par ratio, similisue conditio? Sed negamus, eo argumenti genere vspiam esse nos vsos: solum enim diximus, aliquas formas physicas in se 21

reflectere,

reflectere, nec sui immemores esse, quoties res extra se denominant, atque huiusmodi esse vnionem, vbicationem, durationem: aliàs vero formas physicas minimè reflexiuas, suiue denominatiuas ibi supposuimus, v g. actionem destructiuam, quæ non se, sed terminum suum destruit, aut formam substantialem, quæ non se, sed materiam substantialiter informat. Hæc fuit argumentatio nostra, qua superius probabamus, aliquas formas intentionales non tamen omnes esse in se reflexas: ea vero quantum aduersariis prosit, ipsis iudicandum relinquo. Rursus secundò respondeo, quamuis vnio physica plerumque seipsum vniat, non repugnat tamen iuxta aliquos aliqua, quæ extrema sua inuicem physicè vniat, quin illa sibi, aut se illis physicè vniri efficiat: vbi enim extrema aliqua realiter distincta sint omnino inseparabilia, omnisque indifferentiæ expertia vt vniantur vel non vniantur, dummodo vtrumque simul existat, esto alterutro sine alio existente possint separari, & non vniri; sanè vnio eorum extremorum (quæ talis genij à Deo produci posse non est omnino improbabile) ab iis erit realiter indistincta, atque adeo ea sibi physicè non vniet, cum vnio physica extrema realiter distincta necessario inter sit, alioqui ab identitate neutiquam distinguenda; & tamen ea extrema inter se physicè connectet: ergo etiam aliqua vnio affectiua voluntatis, in eius amore sita, eam cum obiecto non verò se cum affectiuè poterit copulare: frustra ergo vnionis physicæ exemplo vtuntur aduersarij.

22 Obiicies quartò, & præcedens argumentum corroborabis: vbicatio ita est præsentia physica, & coniunctio quædam loci, & rei locatæ, vt etiam seipsam tam loco quam rei locatæ præsentem faciat: neque fieri potest, vt quæ respicit extrema ea inuicem repræsentet physicè, ac localiter, quin etiam seipsam eis eodem modo sistat: similiter ergo cognitio quæuis, ita erit præsentia intentionalis intellectus, & rei intellectæ, alterutrius, inquam, respectu alterius, vt etiam seipsam non minus quam rem cognitam intellectui faciat esse præsentem.

23 Respondeo in primis, præsentiæ physicæ, ac propriæ, & præsentiæ intentionalis, ac metaphoricæ disparem rationem esse: sicuti paulò suprà in re simili aiebam: vnde non bene in omnibus ab vna ad alteram argui. Præterea secundò: esse in loco est proprietas connaturalis rerum omnium à Deo creatarum: quare, cum vbicatio sit res quædam à Deo creata, in loco esse debet: vbi autem locum postulet, non alium certè quam locum rei vbicatæ, cuius est intrinseca forma. Cæterum esse cognitum actu ab aliquo intellectu creato non est proprietas naturalis omnis creaturæ, ac proinde ex hoc titulo omnis cognitio creata actu cognosci non debet ab alia, ne dum à semetipsa: cum ergo cognosci rem, sit esse intentionaliter præsentem, & eam esse in loco sit esse physicè præsentem, nil mirum si cognitio creata sit præsentia intentionalis rei respectu intellectus, quin ipsa semper sit intellectui intentionaliter præsens, tametsi vbicatio nequeat esse præsentia physica loci & rei locatæ inuicem, quin vtrique sit physicè, & intentionaliter præsens.

24 Obiicies quintò: intellectus sæpissimè cognoscit ens rationis, seu chimæricum, v. g. hominem esse equum: at hominem esse equum more reliquorum entium rationis intrinsecè, & essentialiter includit actum intellectus falsum, & fingentem, vt suprà lib. 4. huius operis, tract. 1. cap. 1. & 2. multis, & efficacissimis, me iudice ostensum est argumentis, & vel ex eo constat, quod tale obiectum: chimæricum non habet aliud esse, præter esse obiectiuè in intellectu, siue ab eo fictum falsóque cognitum: cognitio igitur apprehendens, aut affirmans, hominem esse equum seipsam cognoscit, ac proinde quæuis alia cognitio suprà se reflectit, cum omnium par sit ratio, & re syncere aspecta nulla prorsus appareat causa, ob quam actus affirmans, hominem esse equum suprà se reflectat, qui verò affirmat, hominem esse animal, ea reflexione destituatur.

Respondeo tamen primò, negari posse consequentiam: cum enim ens rationis cognitione ipsa fictitia intrinsecè & essentialiter constituatur, quid mirum est, quod cognitio, terminata ad ens rationis, seipsam etiam respiciat, quippe quæ ens rationis quidditatiuè componit: at verò ens reale non constituitur intrinsecè, & essentialiter ea cognitione, per quam apparet: proinde illa semetipsam reflexè non attinget. Insuper secundo respondeo, probabilius esse, cognitionem affirmantem, aut apprehendentem, hominem esse equum, non attingere hominem equum, siue chimæram illam, penes totum quod includit, sed secundum id duntaxat, quod pro materiali importat, videlicet extrema realia, quæ fictæ compositioni subsunt: dicimur autem communiter hominem equum cognoscere, quia talem chimæram licet non cognoscamus secundum se totam, eam tamen pro materiali, vt aiunt, percipimus, & pro formali eam actu nostro complemus, & constituimus: qua etiam ratione obiectum extrarium directè cognoscimus, quia pro eius materiali attingimus illud directè, pro formali verò illud actu nostro in ratione talis obiecti constituimus: quare quod eius actum nostrum latet, hoc compensatur denominatione illa obiecti, quam actus noster rei cognitæ tribuit; & hoc sufficit, vt obiectum directè cognoscamus, tametsi omnia eius constitutiua directè non percipiamus: certo namque certius, cognitionem illius in ratione obiecti constitutiuam à nobis directè non cognosci, sed ad summum reflexè, vtvt eam aliquo cognosci modo gratis fateamur. 25

Obiicies sextò: repugnat cognitionem vllam cognoscere rem aliquam, absque eo quod aliquam etiam cognitionem vnà cognoscat: at non alia de causa, nisi quia omnis cognitio reflectit in semetipsam essentialiter: ea igitur est cognitionis natura, atque conditio: minor, & consequentia sunt perspicuæ: maior verò suadetur: impossibile est, cognitionem vllam cognoscere obiectum, quin ab ea obiectum sit vicissim cognitum: sed obiectum esse cognitum à cognitione est cognitionem, & obiectum per modum vnius cognosci: ergo, &c. Minor hæc probatur: obiectum esse cognitum à cognitione est relatio prædicamentalis tertij generis, scibilis nimirum ad scientiam: at relatio prædicamentalis consistit formalissimè in extremis realibus ab intellectu cognitis, & inuicem comparatis; quare seorsim à mentis operatione nulla potest in rebus relatio prædicamentalis, nulla comparatio admitti: obiectum ergo esse cognitum à cognitione, & ad illam prædicamentaliter referri est essentialiter cognosci extrema illius relationis, nempe obiectum, & cognitionem: iam ergo sine cognitione cognitionis nulla res cognosci, nullusque intellectus cognoscere valebit. Hoc argumentum, quantum arbitror, manifestè conuincit, omnem actum intellectus suprà se reflectere, si vera sit Aureoli aliorumque sententia illa de relatione prædicamentali. Cæterum eam falsam esse, demonstratum est suprà lib. 3. huius operis, tract. 6. cap. 21. 26

Obiicies septimò: omnis actus intellectus certus 27

suprà

suprà se reflectit, ac seipsum cognoscit: idem igitur est de quibuscunque aliis intellectus nostri actibus existimandum: consequentia apparet legitima. Probatur antecedens, si prius tamen duo supponantur: alterum, ad certitudinem requiri, non solum cognosci obiectum cognitione infallibiliter vera, verum etiam, vt intellectus cognoscat se ita obiectum cognoscere: hoc probatur primò, quia ad cognitionem scientificam oportet, vt intellectus scire se sciat, vt optimè tradit P. Suarez tom. 1. metaph. ad principium, dum disputat an eius facultatis munus sit tradere instrumenta sciendi; quocirca qui dixit, *Scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter*, alio eoque non incongruo sensu potuisset etiam dicere; scire tuum nihil est nisi te scire hoc scias ipse: quod si ad certitudinem scientiæ requitur reflexio, quidni etiam ad quamuis aliam? Item secundò probatur idipsum; vt actus sit certus, oportet intellectum obiecto firmiter adhærere: talis autem adhæsio repugnat, nisi intellectus cognoscat, se attingere obiectum, & ab eo minimè aberrare: etenim si quis reipsa cognoscens, scienſque obiectum, existimet se illud nescire, aut certè dubitet, an eius sit nescius, vel conscius, is profecto non adhærebit firmiter obiecto; respectu cuius ita se habet. Alterum quod debet supponi est, certitudinem formalem actus intellectus esse ab eo realiter indistinctam, id quod alij exemplo veritatis, quidam libertatis, non pauci bonitatis, & plurimi certitudinis obiectiuæ persuadent. Hinc igitur argumentari poterit non nemo: omnis actus intellectus certus est intrinsecè, ac per seipsum essentialiter talis, vt liquet ex proxima suppositione: at certitudo importat cognitionem actus certi, vt liquido etiam constat ex priori suppositione: actus igitur certus, ac proinde quiuis alius, est intrinsecè, & essentialiter cognoscitiuus sui, siue in se reflexus.

28 Sed vt ab hoc vltimo incipiam, etiamsi omnis actus certus in se reflectat, quæ exinde consequentia ad alios actus ad alios quosuis incertos, atque imperfectos? an quia omnis actus certus est verus, id ipsum de quouis alio nulla certitudine prædito dicendum? Rursus secundò: quamuis ad quendam certitudinis reflexæ gradum opus sit, vt actus certus se metipsum cognoscat, suamque cum obiecto conformitatem, vti diximus in Dialect. lib. 2. tract. vlt. cap. etiam vlt. cæterum ad certitudinem directam, & absolutè, ac simpliciter talem nulla opus esse reflexione, sed duntaxat, vt circa assensum sui obiecti omnem abigat formidinem omnemque ab eodem assensu indifferentiam, ad id vt non conformetur veritati obiectiuæ, iuxta disputata superius tract. huiusmet libri. Quæ cum ita sint, ecquis non videat, adductum argumentum nihil concludere?

29 Octauò obiicies cum aliquibus Neotericis: cognitio nostra affirmans, aliquid futurum sub conditione, verbi gratia, conuertionem Petri reflectit suprà seipsam: ergo & cognitio quæ rem in quouis alio statu cognoscit, nimirum aut absolutæ futuritionis, aut solius possibilitatis: quæ enim vtrinque disparitatis ratio? Antecedens suadetur: haud enim ea cognitio cognoscit meram possibilitatem conuertionis, haud eam esse futuram absolutè: ergo provt in alio statu medio: prorsus autem inintelligibile est, quid sit ille status medius nisi ipsa cognitio illum tribuat, & constituat: nam ex parte ipsius rei quid esse potest, quo à duplici extremo, quos inter est, possit distingui? status autem ille si ipsa constituitur cognitione hæc eum cognoscens haud poterit non in seipsam reflecti? Sed non vrget hoc argumentum: tum quia futuritio sub conditione est prædicatum quoddam omninò physicum, & primò intentionale, sicut futuritio absoluta, & possibilitas, nec minus quam hæc optimè potest intelligi, & explicari, seorsum à quacunque cognitione illius constitutiua, vt lib. 10. Dialect. ostensum: tum etiam, quia tametsi cognitio nostra conditionata rem conditionatè futuram provt talem & constituat, & cognoscat, adeoque in se reflectat, quæ inde sequela ad alios actus, quibus obiecta omnino physica, & secundis intentionibus neutiquam constituta respondent?

Obiicies nonò: omnis cognitio aut cognoscit 30
rem in recto, vel in obliquo: esse autem in recto, vel in obliquo, nihil est ex parte ipsius rei secundum se, sed est denominatio meriè extrinseca à modo concipiendi speciali, qui per nominandi casum, aliumve exprimitur: omnis ergo cognitio se cognoscit, cum rectitudinem, aut obliquitatem rei se constitutam attingat. Sed in primis, quid si cognitio non rem nomine significatam repræsentet, sed verbum obiectiuum, quod non per casus rectos, obliquosve declinatur, sed potiùs per tempora coniugatur? Rursus secundò, sicuti suprà dictum est cognitionem attingere obiectum, non pro formali, sed pro materiali sumptum, ita similiter in præsentiarum dicendum, cognosci rem in recto, aut in obliquo non penes totum id quod his exprimitur vocabulis, sed penes id solum quod pro materiali importatur, reliquum verò à cognitione tribui, non sciri.

Decimò, ac postremò obiicies illa Augustini verba 31
lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *Quidquid intelligo intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo: quidquid autem scio, memini.* Quorsum autem omnis cognitio nostra debet à nobis cognosci, nisi sit essentialiter reflexa in se, aut si per aliam à se distinctam apparet aliqua, quidni possit ab hac separari, eaque deficiente latere, & ignorari? Respondeo, Augustinum id tantum voluisse, omnem cognitionem nostram à nobis cognosci, aut actu, aut habitu, siue potentia: quod euidenter constat ex postrema clausula, *quidquid autem scio, memini*; quis enim actu recordatur omnium, quorum habet scientiam, cùm eorum possit recordari? Augustini ergo verba in reliquo testimonio non actum, sed eum, vel aptitudinem significant, quod quam parum prosit aduersariis superuacaneum est expendere, cum sponte sua l'queſcat.

Postremò obiicies, tum eundem Augustinum 32
lib. 8. de Trinitate, cap. 7. *Qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam dilectionem diligat*, tum etiam Thomam 2. 2. quæst. 25. art. 2. *Amor ex ratione propriæ speciei habet, quod suprà se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum, vnde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare.* Sed responsio ad vtrumque testimonium est in promptu. Augustinus enim haud intelligit nomine *dilectionis* eam qua quis diligit, vbi eam adstruit à diligente proximum necessario diligi, sed de dilectione increata, Deo nimirum, ac proinde nullam reflexionem admittit. Et quæ verbis nobis obiectis proximè subiicit, ibidem. *Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet: consequens ergo est vt præcipuè Deum diligat.* Thomas autem solum vult, omnem amorem se amare, non actu, sed potentia, & habitu, id est dari posse per alium actum eiusdem nominis, & rationis, siue alium amorem, qui ad eum terminetur; qua in re differt amor ab odio, spe, desiderio: haud enim quis odisse potest odium suum, aut spem suam, quam habet, sperare, aut quo vtitur desiderium, nihilominus desiderare. Atque ita eum interpretatur Caietanus eo loci, eiusque mentem esse hanc, manifestè persuadent verba præcedentia quæ sunt huius-

modi: *Quia enim voluntatis obiectum est bonum vniuersale, quidquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actum voluntatis, & quia ipsum velle, est quoddam bonum, potest velle se velle sicut & intellectus, cuius obiectum est verum, intelligit se intelligere, quia hoc etiam est quoddam verum sed amor ex ratione propriæ speciei, &c.*

CAPVT IV.

Argumenta aduersus aliquorum actuum in se reflexionem soluuntur.

33 OPpones primò, pro sententia Nominalium negante quorumlibet actuum in se reflexionem: omnis cognitio est imago quædam obiecti: ergo est similis obiecto: cum ergo nihil possit esse simile sibi ipsi, relatio enim similitudinis est ad aliud saltem à fundamento, fieri certè non poterit, vt qualiscunque cognitio nostra ab obiecto cognito non sit realiter distincta: suimet ergo ipsius obiectum esse nequit, aut quod perinde est, supra se reflexa. Respondeo: cognitio quæuis nostri intellectus est imago intentionalis obiecti: proinde omni, & cuicunque debet esse intentionaliter similis, secus vero physicè, ac realiter, eave relatione quæ solet inter prædicamentales numerari: quocirca cum similitudo physica, & propria, non vero impropria, & intentionalis realem distinctionem inter fundamentum, & terminum exposcat, sanè non est cur cognitio distingui debeat à quolibet obiecto suo, tametsi ei sit similis quodammodo, eiusque qualis qualis imago: ipsa ergò cognitio nostra suimetipsius obiectum poterit esse nonnunquam. Quid? quod argumentum, instatur in cognitione diuina, quæ seipsam repræsentans sibi est intentionaliter similis.

34 Oppones secundò: obiectum cognitionis nostræ cuiuslibet est ea prius ordine naturæ: sed nulla res potest esse seipsa natura, aut causalitate prior: nulla ergo cognitio nostra potest sibi ipsi obiici, aut in se reflectere: minor propositio adeo est manifesta, vt probatione non egeat: maior probatur: tum quia vt cum Augustino Theologi omnes profitentur, *ex obiecto & potentia paritur notitia:* tum etiam, quia idcirco cognosco rem ita esse, quoniam est, non vero propterea res est, quoniam esse à me cognoscitur, aut affirmatur; hæc autem irreciproca causalitas arguit, obiectum esse prius cognitione.

35 Respondeo negata maiori: ad primam eius probationem dicendum est, Augustinum non locutum de omni cognitione, cum certo certius sit, cognitionem diuinam nullius obiecti, nulliusque potentiæ partum, aut effectum esse, sed de sola cognitione sensitiua, aut etiam intuitiua, aliaue quæ à sensu obiecti originem tractat. Ad secundam probationem dicendum est, causalem illam minimè mutuam, aut reciprocam veram esse, de obiecto directo cognitionis, non verò de obiecto eius reflexo: si enim de obiecto reflexo alicuius cognitionis sermo sit, ideo quidem cognosco, meam existere cognitionem, quia illam cognosco, ideoque illam cognosco, quia ipsa existit: quod nihil aliud est, quam idem reipsa esse me cognoscere, ac existere meam cognitionem, & existere meam cognitionem, ac me cognoscere: illæ siquidem particulæ *ideo*, & *quia* interdum solam identitatem, non vero causalitatem significant: quare cum omnis identitas sit mutua, atque reciproca, eæ etiam particulæ reciprocari possunt, & assolent. Sic ideo Petrum, v.g. esse hominem, quia est animal rationale, & ideo esse animal rationale, quia est homo, multoties asserimus.

36 Oppones tertiò: intellectus diuinus nequit reflectere supra suam cognitionem, verbi gratia, Antichristi futuri, nisi per aliam virtualiter distinctam; etenim si bene perpendantur ea, quæ de distinctione virtuali dici solent, & à nobis sunt dicta superius lib. 2. tract. 4. cognitio diuina, quatenus terminata ad Antichristum, & quatenus terminata ad seipsam, non poterit non dissecari in duas formalitates virtualiter distinctas, haud secus ac quæuis alia res respiciens diuersa connotata: at quæ in Deo virtualiter distinguuntur, in nobis sunt realiter distincta; qua ratione cognitio & volitio in Deo tantum virtute distinctæ in nobis realem habent distinctionem: intellectus ergo creatus cognitionem suam cognoscens, nonnisi per aliam cognitionem realiter distinctam poterit eam attingere, atque adeo actus creatus supra se reflectens omninò repugnabit. Hoc argumentum aliqui auctores multum amant: non desinunt illud omnibus locis infulcire: vbique illud libentissimè arripiunt. Parum tamen momenti habet: vt enim sæpè numero aliàs dixi, essentia & existentia Dei, eiusque potentia tantum virtualiter distinguuntur, si quam habent distinctionem; & tamen huiusmodi conceptus in rebus creatis sunt realiter indistincti, ac nonnisi virtualiter distinguuntur: par ratio est voluntatis, & intellectus Dei, nostrumque: non omnia igitur quæ in Deo virtualiter distincta sunt, in creatis reali distinctione secernuntur.

37 Oppones quartò: visio externa, ac materialis oculorum nostrorum nequit supra se reflectere, aut semetipsam videre, similiter ergo interna mentis visio, siue cognitio spiritualis intellectus nostri non poterit in semetipsam reuerti: consequentia videtur optima: sensio namque tam percipere potest res præsentes, quam cognitio intellectualis: vbi ergo visio sensitiua, ac materialis seipsam quantumlibet sibi intimè præsentem; & coniunctam intueri reflexè nequeat, non erit profecto, cur intellectio nostra possit in seipsam reflectere, seve ipsam intelligere: antecedens autem argumenti suadetur, hunc in modum, siquidem visio materialis esset, & non esset visio sui, si in se reflecteret: esset visio sui quo namque alio modo posset in se reuerti, quave alia ratione se percipere? non esset visio sui, quia visio externa est essentialiter perceptio coloris, & hac finitione ab omnibus explicatur philosophis: at visio quatenus est cognitio sui, quave tenus in se reflectit, non est perceptio coloris, sed visionis, quæ color, aut lux non est: ergo respectu sui visio esse nequit.

38 Hoc quoque argumentum magnopere non vrget: imprimis namque in eo sat malè à cognitione sensitiua arguitur ad intellectualem: cum enim hæc longè perfectior, ac subtilior sit, quam illa, & è contrario illa, multo magis quam hæc, crassa & imperfecta, mirum non est, quod tametsi visio externa seipsam videre nequeat, cognitio interna, ac spiritualis seipsam cognoscat. Nec vero sensio percipere potest quancunque rem præsentem, sicuti intellectus, quæcunque sibi sunt præsentia, percipere valet aliquibus suis actibus: haud enim sensus vllus Deum quantumlibet sibi præsentem vllo attingit actu, quem tamen intellectus noster per plures cognoscit.

39 Deinde dicendum est, longè probabilius esse, visionem externam posse supra se interdum reflectere, ac seipsam videre, quamuis oppositum sentiant Nemesius B. Thom. Philoponus, Plutarchus, Michaël Ephesius, Capreolus, Ferrariensis, Iandunus, Apollinaris,

Apollinaris, Albertus, & Auerroës, aliique non pauci. Ratio huius est, quia licèt visio definiatur perceptio coloris, propterea arbitrandum non est, nihil eam percipere posse, nulliusque visionem esse posse, nisi quod lux fuerit, aut color: siquidem alibi à nobis ostensum est, eam percipere, ac videre carentias, vbicationes, distantias, durationesque rerum, aliaque sensibilia, vt aiunt, communia: quare sensus eius definitionis est; obiectum formale visionis esse colorem siue lucem, & cum alterutra harum qualitatum, aut certè vtraque sufficiat, vt oculi videant, nullum tamen aliud obiectum absque illis, siue sine ordine, & habitudine ad illas posse conspici: vnde visio suprà se reflectens suimet erit visio, eo quod seipsam non nisi per modum vnius cum colore aut luce, & per habitudinem ad vtrumlibet horum obiectorum se percipiat, alioqui se neutiquam perceptura. Adiice tandem, hoc argumento, si cuius est ponderis, reuera probari, esse non posse, vt visus materialis suos actus per alios etiam realiter distinctos cognoscat, aut ita quidem in eos reflectat: ergo si fas est à sensu ad intellectum, à visione externa ad internam arguere, nec fieri poterit, vt intellectus in suos actus etiam per alios realiter distinctos reflectat: hoc autem, & rationi, & experientiæ, & auctorum omnium consensui repugnat. Quin etiam illud prius, nempe visum externum, nec eodem, nec diuerso saltem actu posse functionem suam percipere, aut in eam reflectere, omninò falsum esse tuentur Alexander, Themistius, Simplicius, aliique multi, & graues Doctores, quorum sententiam ex professo confirmare non est huius loci.

40 Denique oppones B. Thomam 1. part. quæst. 87. art. 3. ad 2. *Ipsum intelligere humanum non est actus, & perfectio naturæ intellectæ, vt sic possit vno actu intelligi natura rei materialis, & ipsum intelligere, sicut vno actu intelligitur res cum sua perfectione: vnde alius est actus, quo intellectus intelligit lapidem, & alius est actus, quo intelligit se intelligere lapidem, & sic deinde.* Fateor hæc verba indicare, B. Thomam nobis esse contrarium: fortassis tamen hoc tantum voluit, vtplurimum fieri non posse, quin intellectus noster vno actu intelligat obiectum directè sibi propositum, & alio se illud intelligere: sicut etiam quod paulò suprà dixit, cognitionem Angeli non per aliam distinctam, sed per semetipsam in se reflecti, haud accipiendum est, quasi id ita semper accidat, sed quasi sæpè: constat enim, Angelum aliquando cognoscere vnam cognitionem suam per aliam, vt cum meminit se quidpiam cognouisse. Atque hæc sunt argumenta potissima, pro Nominalium opinione quamlibet reflexionem vnius actus nostri in semetipsum inficiante: ea autem, & non alia, quod sciam, fieri solent pro tertia sententia ad finem cap. primi memorata, & negante, non omnem actuum nostrorum in seipsos reflexionem, sed duntaxat claram atque distinctam: ad minimum enim hanc impossibilem esse videntur suadere argumenta superiora. Sed quod non suadeant, nostras solutiones expendenti liquebit. Hactenus vtplurimum de reflexione actuum intellectus in seipsos: quidquid autem de ea dictum est, id omne applicari potest, & debet ad modum quo possunt suprà se reflectere voluntatis actus: quapropter eorum reflexio nemini iure videri potest à nobis prætermissa.

TRACTATVS XII.

De oppositione actuum intellectus, necnon etiam voluntatis.

CAPVT I.

Quousque opponantur assensus, & dissensus; amorque efficax, & odium de eodem obiecto?

PATER Suarez tom. 2. metaphysic. disp. 45. sect. 4. & tom. 1. in 3. part. disp. 38. sect. 3. & cum eo per plures Philosophi, ac Theologi tuentur, ne diuinitus fieri posse, vt intellectus eidem obiecto simul assentiat, & dissentiat; aut voluntas eandem rem efficaciter amet, & simul efficaci prosequatur odio. Communioris autem sententiæ commune fundamentum ita se habet. Inuoluit contradictionem, vt intellectus obiecto euidenter falso assensum præbeat, aut quod voluntas obiectum impossibile, cognitum, vt tale, efficaciter intendat: at si intellectus simul haberet assensum, & dissensum eiusdem obiecti, rei euidenter falsæ assentiret, & voluntas etiam amore, & odio efficaci idem obiectum semel prosequens, eo ipso rem impossibilem, vt talem sibi propositam efficaciter vellet: ergo, &c. Minor suadetur: quoniam obiectum aliquod simul esse, & non esse, est euidenter falsum, ac impossibile: sed intellectus eidem obiecto simul assentiens, & dissentiens, affirmaret rem simul esse, & non esse; esse quidem per assensum; & non esse per dissensum: ergo aliquid euidenter falsum affirmaret. Rursus: aliquod bonum simul esse, & non esse est omnino impossibile: sed voluntas odio, & amore efficaci eandem rem simul complectens efficaciter vellet idem simul esse, & non esse; esse per amorem; non esse per odium: ergo vellet efficaciter aliquid impossibile. 1

Maior argumenti quoad primam eius partem suadetur: quia sicut malum secluſa quauis ratione boni repugnat esse obiectum amoris, ita etiam falsum, quoad tale, nequit esse obiectum assensus: & quemadmodum visio corporalis, quoniam tendit sub ratione coloris, ac suaptè natura definitur externa quædam sensatio coloris, quod non fuerit color, hoc etiam diuinitus ea percipere nequit; ita similiter, cum assensus intellectus tendat sub ratione veri, quod verum ei non apparet, neque videtur, sed potiùs est euidenter falsum, hoc ab eo ne supernaturaliter poterit affirmari. Iam vero quoad secundam partem eadem maior probatur: tum æqualitate quadam rationis: tum etiam, quia bonum impossibile propositum vt tale, malum potius est, quam bonum: sed voluntas obiectum præcisè malum amare nequit: is enim voluntatis actus esset, & non esset amor; esset quidem amor, vt supponitur, non esset amor, quoniam hic definitur prosecutio boni. 2

Huic tamen argumento respondeti potest, imprimis eius maiorem propositionem adeò veram non esse, & diuinitus fieri posse, vt quis supernaturaliter, ac miraculosè assensum præbeat alicui obiecto, quod sibi tanquam euidenter falsum proponitur: nam intellectus assentit etiam naturaliter obiecto, quod sensibus euidenter falsum apparet, eorumque errorem corrigit, 3

corrigit, atque, vt aliis exemplis supersedeam, quam visus negat distantiam, adstruit tamen, & quam sensus hic adstruit continuitatem, è diuerso negat: quo spectat illud Nasonis lib. 8. metamorph. de Acheloo Theseum alloquente, & Echinadas insulas procul sitas ostendente.

Amnis ad hæc, non est, inquit, quod certimus vnum.
Quinque iacent terræ, spatij discrimina fallunt.

Similiter ergo ratio saltem diuinitus, assentire poterit obiecto, quod per vim apprehensiuam tanquam euidenter falsum ei proponitur. Deinde ad rationem assensus satis est, vt tendat sub ratione veri, vt rationes pro maiori propositione aduersantis argumenti propositæ contendunt, atque conuincunt: at assensus obiecti, quod per apprehensionem præuiam euidenter falsum repræsentatur, nihilominus poterit tendere sub ratione veri; siquidem obiectum vt verum affirmabit, si detur, taleque obiectum erit apparenter verum per assensum, quantumuis per apprehensionem præuiam euidenter falsum.

4 Præterea responderi potest, vt maior argumenti vera sit, quod in eius infertur minore, neutiquam sequi. Etenim si intellectus absque vlla apprehensione præuia eidem obiecto simul assentiret, & dissentiret (haud enim accedo P. Hurtado disp. 10. de anima, sect. 1. & aliis negantibus de potentia absoluta existere posse iudicium vllum sine apprehensione, à qua pendeat) tunc certè obiectum simultanei assensus, & dissensus non esset euidenter falsum per vllum actum intellectus: non enim per apprehensionem, quæ in ea hypothesi nulla esset: nec per complexionem assensus, & dissensus, quæ obiectum, non vt falsum, sed potiùs vt verum intellectui proponeret. Ad hoc, intellectus eidem obiecto assentiens simul, atque dissentiens haudquaquam affirmaret idem simul esse, & non esse, si simultas appellet suprà obiectum affirmationis, sed solum, si simultas illa referatur ad assensum, & dissensum: at idem simul esse, & non esse solum est euidenter falsum, & impossibile, cum simultas ex parte obiecti, non verò ex parte actus se tenet. Hac ratione non est impossibile, sed potiùs necessarium, vt voluntas possit simul amare, & non amare, si simultas suprà potentiam voluntatis, non vero supra amorem, & carentiam amoris recidat. Hoc etiam ritu, videt Deus simul, & in eodem instanti, Petrum, v.g. esse, & non esse: neque in hoc visionis genere vlla est repugnantia, si simultas, & vnitas instantis ad visionem Dei, non vero ad esse, & non esse Petri respiciat.

5 Hinc etiam defendi potest, voluntatem simul velle, & nolle posse efficaciter idem obiectum de potentia Dei absoluta, & extraordinaria: tum quia voluntas in ea hypothesi rem simul esse, & non esse efficaciter intendens, obiectum vt apparenter possibile, ac bonum munere alicuius saltem apprehensionis falsæ, non verò vt impossibile, ac malum vellet, atque intenderet: tum etiam, quia verius est, fore, vt in tali euentu voluntas non vellet obiectum idem simul esse, & non esse, simultate se tenente ex parte obiecti, qua sola ratione obiectum malum est, atque impossibile, sed ex parte solius actus, quo pacto vacat omni malitia, & impossibilitate.

6 Quapropter magis probabilem arbitror opinionem Paludani in 3. distinct. 15. quæst. 2. & Gabrielis in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. pluriumque Nominalium, & nonnullorum ex nostris censentium, diuinitus fieri posse, vt assensus, & dissensus eiusdem obiecti in eodem intellectu, & amor, & odium efficax eiusdem boni in eadem voluntate componi possint: amque probo, in primis, quoniam non inuoluitur vlla contradictio terminorum, aut repugnantia in eiusmodi actuum coniunctione; quæ enim obiecta est in argumento superiori, ex huius solutione à nobis tradita liquet, quam sit nulla: talis ergo coniunctio, seu compositio haud est deneganda absolutæ potentiæ creatoris. Secundò: quoniam physicæ qualitates inuicem contrariæ in gradu excellenti, & intenso, v.g. calor, & frigus possunt diuinitus componi in eodem subiecto, eique denominationes suas impertire, vt contra Iauellum, Capreolum, & plerosque Thomistas docent Suarez, Hurtadus, Atriaga, & communiter nostri auctores: quo autem iure non vacat in præsenti ex professo, & pro rei dignitate disputare: satis habeo, id exemplo quodam declarare: duo corpora esse ab eodem loco naturaliter expellunt; & tamen supernaturaliter in eodem loco penetrari possunt, & aliquando sunt penetrata, videlicet cum Christus est ex intemerata Virgine natus, aut cum irreuoluto sepulchri lapide rediuiuus surrexit, aut cum cœlos gloriosus ascendit: tametsi ergo calor, & frigus penes intensos gradus in eodem subiecto naturaliter incompossibilia sint, nihilominus componi poterunt supernaturaliter, & per miraculum: quidni ergo similiter in eodem intellectu, aut voluntate qualitates intentionales, cuiusmodi sunt assensus, & dissensus, amor efficax, & odium? quod enim harum qualitatum obiecta sint contradictoriè opposita, quæ ratio in illis prioribus haud procedit, nihil interest: namque haud esse debet tanta oppositio assensus, & dissensus, amoris, & odij, quanta obiectorum, quæ respiciunt formaliter, aut virtualiter, siquidem carentia rei, & eius existentia ita sunt oppositæ, vt ne vniuoce conueniant in ratione entis, aliaue positiua: at assensus, & dissensus, quorum alter fertur in carentiam rei, eamque quodammodo adstruit, & alter in existentiam rei, non ita sunt oppositæ, vt saltem prædictam conuenientiam non suscipiant: amorisque, & odij par est ratio.

Enimvero oppositionem earum qualitatum intentionalium tantum esse, vt ex natura rei, & secluso miraculo componi nequeant, omnes, quos viderim scriptores docent: & merito: quis namque in se non experitur earum luctam, & incompossibilitatem; quis non, si rei alicui præbeat assensum, ei se non posse tunc temporis dissentire, aut, si dissensum, neutiquam assentiri, atque similiter quod amat, hoc simul odisse non posse, aut quod odit, neutiquam amare? quo spectat illud Gregorij magni homil. 37. in Euang. *An simul odisse possumus, & diligere?* Alia id genus testimonia innumera possem afferre; sed in re perspicua, & confessa, nec liber, nec licet esse longiori. Rursus: quando possumus assentiri, vel dissentiri, amare, vel odisse, possumus autem sæpissimè, tum iuxta omnes censemur libertatem habere contrarietatis: atqui libertas illa est ad extrema inuicem incompossibilia, & contraria, vt ex ipso vocis ethymo constat: tales ergo actus ex natura rei opponuntur. Tertiò: assensus cum aliquo actu intellectus est incompossibilis merito suæ perfectionis, & amor efficax similiter cum aliquo voluntatis actu, vt manifestissimè patet exemplo caloris, verbi gratia, qui si sit perfectus, & intensus, frigiditatem expellit: at assignari nequit alius actus, cui naturaliter repugnet assensus, nisi dissensus, aut cui amor efficax, nisi odium. Atque hinc emergit vltima nostræ sententiæ probatio: nam qualitates physicæ, quandocunque perueniunt ad excellentem, & perfectum intensionis gradum, eo ipso se se reiiciunt experientia teste, nec naturaliter in vno morantur subiecto: à fortiori ergo qualitates intentionales perfectionem suam sortitæ, videlicet assensus,

sus, & dissensus, amor efficax, & odium, sese expellent, nec in eodem subiecto naturaliter esse sustinebunt. Quas probationes attuli propter non neminem, qui aduersus omnes auctores, quotquot prælo sua scripta mandarunt, ausus est incompossibilitatem qualitatum intentionalium in dubium reuocare.

8 At obiicies, posse, & solere quem naturaliter tristari simul, & delectari, quidni ergo amare, & odisse rem aliquam efficaciter, aut assentire, & dissentire per intellectum alicui? Respondeo, fieri non posse ex natura rei, vt quis tristetur simul, ac delectetur, per motus voluntatis efficaces & perfectos, de eodemmet obiecto, esto queat de diuersis, veluti docet P. Suarez disp. illa 45. metaphys. sect. 4. & apud eum Alexander, Zimara, & B. Thomas. Obiicies secundò: si quis pro priori aliquo naturæ, ac rationis signo asserat, v. g. Petrum currere, poteritis quamuis non pro eodem, at certè pro alio posteriori asserere, Petrum non currere, cum videlicet pro posteriori possit errorem suum agnoscere, nec repugnet ex natura rei velut certius ei statim proponi contrarium eius, quod antea affirmauit. Respondeo, signorum naturæ diuersitatem, quam ratio in eodem instanti reali considerat, considerataque hoc ipso facit, nihil conferre aduersariis, haud aliter, atque ea ad qualitates physicas inuicem contrarias componendas tamen, nullatenus conducit: porrò si quis comperiat, Petrum, v. g. non currere, idque velut certum apprehendat in eodem instanti reali, quo tamen asseruit eum currere, hoc eo valebit, vt errorem suum in sequenti temporis articulo siue instanti deponat, & à priori iudicio desistat, non vero vt contrarias assertiones iungat: alioqui deceptionem, ac falsitatem euitaturus, in eam necessariò incidet, cum fieri non possit, quin, si non vtrumque, at certè alterum iudicium eorum, inter quæ fluctuat, erroneum sit, ac falsitati obnoxium.

9 Denique obiicies, Auerroëm 6. metaph. comm. 8. in ea esse sententia vt existimet, propositiones contradictorias naturaliter esse posse simul in eodem intellectu. At quid refert, ita si sentit Arabs contra cæteros auctores, & experientiam manifestam? Deinde verius est, eum loqui de propositionibus, non quæ sint iudicia circa idem obiectum opposita, sed potius, quæ sint apprehensiones compositæ circa eandem rem contrariæ quodammodo, aut certè, vt eum interpretantur nostri Conimbricenses, in cap. 4. de oratione, quæstione 4. articulo 1. quæ sint apprehensiones simplices vocum iudicia opposita significantium.

Caput II.

An possint esse in eodem intellectu circa idem obiectum actus euidens, ac scientificus; actusque ineuidens fidei, vel opinionis?

10 Posse censent Suarez, Valentia, Vasquez: & ex antiquis Bonauent. Alexand. Albert. Gabriel, & alij non pauci: quorum sententiam vt magis veram, & inter nostros magis communem amplector, eamque in hunc modum probo. Multa cognoscimus euidenter, quæ tamen fide diuina nobis creduntur: notitia igitur euidens, & ineuidens eiusdem obiecti in eodem intellectu non modò compossibiles sunt, sed etiam modo componuntur. Id suadetur: quia Deum esse, & bona opera remunerari, & visibilia, ac inuisibilia feciisse præmissis suis stare, aliaque similia euidenter cognoscimus, ac lumine rationis naturalis assequimur: at hæc eadem fide diuina credimus, vt constat ex Pauli ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Et paulò infrà: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et ad Roman. cap. 4. de Abrahamo, Deum infidelem non esse, sed potiùs veracem haud dubiè sciente, ac euidenter cognoscente sic ait: *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo plenissimè, sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

Respondent non pauci Thomistæ cum Capreolo, 11
eum, qui euidenter scit mysteria aliqua fidei nostræ ea non credere, eo quod accedente notitia euidenti mysteriorum, illico pereat habitus fidei, per quem ea credi possent: haud aliter ac accedente visione Dei fides actualis aboleri communiter putatur. Bene nobiscum actum est, quòd hæc doctrina nostra non sit: quas enim non censuras in nos aduersarij despumarent: iis tamen prætermissis, ratione sic argumentor. Fides habitualis iuxta apertam etiam B. Thomæ doctrinam non remittitur, nec diminuitur, sed quouis decremento tota deperditur: vir igitur doctus fidem habitualem circa aliquas veritates à se euidenter cognitas amittens, eam circa omnes amittit, habituque fidei omnino spoliatur: cum autem Apostolo testante sine fide impossibile sit placere Deo, sanè viros doctos impossibile erit placere Deo: quod manifestè falsum esse, vel ne sibiipsis iniuriam faciant, aduersarij fatebuntur. Præterea si habens fidem habitualem alicuius mysterij, eius notitiam euidentem habere nequit, sed hæc cum illa repugnat: ergo similiter habens scientiam habitualem alicuius mysterij, verbi gratia, existentiæ Dei, eius actualem fidem habere nequit: quo fit, vt Philosophus Gentilis nisi literam, scientiamque acquisitam discat, atque de sapiente insipiens fiat, iustificari, aut ad Deum conuerti non possit: consequens est falsum. Sequela probatur: siquidem eiusmodi Philosophus de aduersariorum sententia nequit credere Deum esse, vtpote eum esse euidenter sciens: cum ergo iuxta Apostolum accedentem ad Deum oporteat credere, quia est; fieri non poterit, vt Philosophus ille, nisi talis desinat esse, ad Deum accedat. Quod autem respondet Caietanus, credere apud Paulum eo loci non actum fidei, sed quemcunque assensum certum significare, & contextui ipsius Pauli, & Patribus, & Concilio Tridentino sessione 6. capite 6. apertè repugnat.

Respondent alij recentiores cum Vega libro 6. in 12
Trident. cap. 21. eum, qui euidenter cognoscit mysteria aliqua à Deo reuelata, habere quidem fidem habitualem eorundem: cæterum non posse ea actu credere in sensu composito notitiæ, per quam illa euidenter cognoscit; Deumque excitatis speciebus ad eiusmodi notitiam euidentem eo ipso suspendere concursum suum, cum habitu fidei ad producendum actum fidei circa obiectum clare cognitum, ne videlicet actus incompossibiles componantur. Verum hæc solutio facilè impugnatur: nam iuxta illam habitus scientiæ, & habitus fidei compossibiles erunt, totiesque componentur, quoties aliquis fidelium plures actus euidentes circa nonnulla mysteria reuelata elicit, eorumque scientiam habitualem acquirit. Ex hoc autem, quod aduersarij concedunt, sequitur id, quod negant: videlicet actus etiam fidei, & scientiæ circa idem obiectum compossibiles esse: etenim quoties habitus aliqui inter se distinguuntur, ac diuersa obiecta respiciunt, tantundem inter se

opponuntur,

opponuntur, quantum eorum actus oppositi sunt, vt in actibus, & habitibus temperantiæ, verbi gratia, & intemperantiæ manifestè cernitur: habitus igitur fidei, & scientiæ æquè opponuntur, ac eorum actus: quare si horum actus ex natura rei oppositi sunt, atque in eodem intellectu non cohærent, sanè ipsi habitus parum habebunt oppositionem: cum igitur iuxta aduersarios eam non habeant, actus etiam fidei, & scientiæ ea necessario carebunt.

13 Rursus probatur nostra sententia, ac potissimum, & ferè vnicum Thomistarum, & Scotistarum argumentum obiter dissoluitur. Actus fidei, & actus scientiæ circa idem obiectum non comparantur, velut forma, & priuatio formæ; quamuis alter clarus, alter obscurus sit: hoc enim si ita esset, vnum idemque obiectum clarè, & obscurè ab eodem intellectu simul cognosci non posset: haud aliter ac idem aër simul clarus, & obscurus esse non sustinet: comparantur igitur velut actus perfectus, & actus imperfectus: fides enim vtvt obscura sit, positiua tamen lux est, & ita se habet respectu lucis scientificæ, sicuti lux lucernæ respectu lucis solaris, vt Beatus Petrus innuit loquens de testimonio prophetico his verbis: *Cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* At actus perfectus, & imperfectus circa idem obiectum in eodem intellectu incompossibiles non sunt: tum quia apprehensio, & iudicium vnius, eiusdemque obiecti in eodem intellectu simul concurrunt: tum etiam, quia idem obiectum, conclusio, & præmissæ; illa clarè, & explicitè; hæ vero obscurè, & implicitè, attingunt: tum denique quia voluntas eiusdem obiecti amorem inefficacem, & odium efficax habet; aut è contrario amorem ac volitionem efficacem, ac simul etiam volitionem inefficacem: toties nimirum, quoties aliquid cum repugnantia omittit, vel exequitur: ex quo etiam fit, vt à fortiori voluntas eiusdem obiecti amorem efficacem, & amorem inefficacem habere queat. Quod diximus de actu claro, & obscuro in eodem intellectu circa idem obiectum compossibilibus: dictum puta de actu certo, & incerto; fide nempe, & opinione: quamuis cum Beato Thoma, & Scoto vtriusque assectæ oppositum tueantur.

Caput III.

An idem actus intellectus possit esse clarus, & obscurus; aut certus, & incertus respectu diuersorum obiectorum formalium, vniusque obiecti materialis?

14 Respondent affirmatiuè Valentia vbi suprà, Molina, Fonseca, Capreolus, Hispalensis, Durandus, & alij antiquiores: quorum sententia satis patet ex dictis à nobis suprà lib. 2. tract. 4. cap. 6. ibi docuimus, eundem actum intellectus posse esse simul apprehensionem, & iudicium; affirmationem, & negationem respectu diuersorum: item eundem voluntatis actum posse esse amorem, & odium; intentionem, & electionem respectu diuersorum: ergo similiter in præsenti &c. Oppositum tamen censent innumeri Thomistæ, & non pauci extra scholam Thomisticam, inter quos est P. Suarez disputatione 3. de fide sectione 9. per totam. Commune huius sententiæ fundamentum huiusmodi est: si aliquis actus reapse idem posset simul esse clarus, & obscurus; aut certus; & incertus respectu diuersorum; sanè idem actus posset esse simul fides, & scientia; aut fides, & opinio respectu diuersorum: consequens autem est absurdum, quia nulla res in se eadem potest constitui in diuersis speciebus; aliàs eadem qualitas materialis posset esse simul albedo, & dulcedo; eademque substantia singularis completa, posset esse simul homo, & equus: at si idem realiter actus foret fides, & scientia; aut fides, & opinio: haud dubiè talis actus in se vnus, idemque in diuersis speciebus esset: cùm fides, scientia, atque opinio diuersas actuum species omnium confessione constituant.

Huic argumento respondent aliqui cum Capreolo, actum simul clarum, & obscurum non fore simul fidei, & scientiæ, sed solum solius scientiæ; etsi fidem nonnihil sapiat. Verum in primis, cur è contrario non dicitur, actum illum esse solius fidei, & aliquantulum ad scientiæ conditionem accedere? Deinde si actus ille non est fidei, & scientiæ, ne sit in diuersis speciebus; ergo neque etiam erit clarus, & obscurus, ne sit in diuersis generibus. Alij respondent cum Molina, & Fonseca eiusmodi actum simul clarum, & obscurum non esse formaliter fidei, aut scientiæ, sed potiùs actum quendam diuersæ speciei, & qui vtriusque perfectiones eminenter tantum contineat. Verum, cum actus ille sit formaliter clarus, & obscurus, & non eminenter tantum; cur etiam non sit formaliter fidei, & scientiæ? præsertim cum ex vtroque idem sequatur inconueniens: haud enim magis absonat, idem esse in diuersis speciebus, quàm esse in diuersis generibus. Respondendum igitur est, cum Valentia, & aliis, eundem actum intellectus posse esse simul fidei, & scientiæ comparatione diuersorum obiectorum, eumque actum ad diuersa species attinere. Quod vt innotescat, animaduertere est, species diuersas interdum esse oppositas: cuiusmodi sunt homo, & equus; quorum alter per animal rationale, alter vero per animal irrationale, & hinnibile finitur: aut etiam albedo, & nigredo; quarum vna visum congregat, alia disgregat: aut demum, vt aliis exemplis supersedeam, grauitas & leuitas, quarum hæc sursum: illa deorsum propellit. Interdum vero diuersæ species separatæ tantum, non vero oppositæ sunt: vt albedo, & dulcedo; quæ in eodem subiecto se compatiuntur, & contrarios effectus non habent, aliæque similes qualitates, aut substantiæ, quas referre nihil refert. 15

His constitutis dicendum est, eandem numero 16
rem non posse spectare ad diuersas species oppositas; aliàs quidem eadem substantia, homo, & equus existens, animal simul rationale, & irrationale esset: & qualitas, identicè albedo, & nigredo, visum simul congregaret, & dissiparet: & qualitas, aut substantia simul existens, grauitas & leuitas sursum simul, ac deorsum rem impelleret. Cum vero species sint disparatæ, non repugnat, eandem omnino rem ad eas simul attinere, aut sub iis contineri: v.g. eandem numero qualitatem esse simul candorem, & dulcedinem; in alia videlicet rerum serie, quamuis in hac ob separabilitatem vtriusque aliter se res habeat. Hoc vt verum esse scias, recolenda est communissima in scholis opinio, & vel de plurium aduersariorum arbitrio verissima, iuxta quam non implicat, eundem realiter conceptum ad diuersa prædicamenta, siue suprema genera attinere, v. g. eandem rem esse simul relationem, & substantiam; aut quantitatem & substantiam; aut actionem, & passionem: non alia ratione, nisi quia huiusmodi genera non sunt opposita, sed disparata; cum tamen, si opposita essent, eadem res in illis simul esse non posset. Quo fit, vt eadem numero

res,

res, relatio creata, & increata; aut substantia omnino incorporea, & simul corporea esse nequeat. Cur igitur eadem numero res sub diuersis speciebus esse minimè sustineat, quando huiusmodi species disparatæ tantum, & non oppositæ sunt? at fides, & scientia sunt species solum disparatæ, & præcisè sumptæ non opponuntur; vtque aliquam oppositionem habeant, ad vnum obiectum formale, non vero ad diuersa comparari debent: quare fides, & scientia in eundem actum coalescere poterunt. Quod autem opponitur, eandem qualitatem non posse esse simul albedinem, & dulcedinem falsum est: quod vero, eandem substantiam non posse esse simul hominem, & equum ad rem non facit, tametsi verum habeat.

CAPVT IV.

An actus euidens saltem intuitiuus cum actu inuidenti, & obscuro cohærere possit in eodem intellectu circa idem obiectum?

17 ILlud non mediocrem difficultatem habet, quousque notitia abstractiua non qualiscunque, sed obscura, & confusa cum cognitione intuitiua compossibilis sit? Plures namque eorum (etiam qui fidem cum scientia compossibilem esse tuentur, cuiusmodi sunt Bonauent. Vasquez, & Becanus) negant tamen, cognitionem abstractiuam, aut obscuram fidei, aut opinionis cum intuitione obiecti in eodem intellectu componi posse. Cæterum oppositum cum P. Suarez, & Valentia vbi suprà mihi magis probatur: quia cùm actus clarus, & obscurus componi possint in eodem intellectu, & de eodem obiecto, vt aduersarij non renuunt, id de omni actu claro, & obscuro dicendum erit: quod enim claritas actus sit intuitiua, vel abstractiua, maior, vel minor, parum interest: sicut etiam nihil refert, quod amor aliquis efficax sit naturalis, vel supernaturalis; intensior, aut remissior, ad hoc, vt cum odio efficaci circa idem obiectum in eadem voluntate componatur. Rursus Deipara se sine viro concepisse, & sine dolore peperisse, & Filio crucifixo adstitisse, intuitiuè, ac experimentaliter, necnon etiam abstractiuè, & per fidem in hac vita cognouit: ergo, &c.

18 Arguunt tamen primo aduersarij auctoritate Scripturæ: namque ab Apostolo definitur fides substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Arguunt secundò auctoritate Patrum: nam Augustinus tractatu 79. in Ioannem sic ait: *Nescio vtrumne credere, dicendus est quisque quod videt.* Item Bernardus lib. 3. de considerat. *Fidei*, inquit, *est voluntaria prælibatio veritatis nondum propalatæ.* Et Chysostomus. homil. 27. *Quid est*, inquit, *quod vultis videre, vt excidatis à fide.* Arguunt tertiò: omnis actus fidei est meritorius, & laudabilis: *Sancti*, inquit Paulus ad Hebræos 11. *Per fidem adepti sunt repromissiones.* At nullus actus intellectus de obiecto intuitiuè cognito potest esse meritorius, aut laudabilis: cuius enim meriti, aut laudis esse potest credere, quod intuemur, & experimur? Arguunt quartò: habitus fidei diuinæ in patria amittitur, vt ex Paulo Theologi colligunt: ergo quia actus fidei habituales incompossibiles sunt cum intuitione Dei. Tandem opponunt: visio intuitiua est possessio quædam eius veritatis, quam intuemur: è conuerso verò assensus obscurus fidei, aut opinionis est quidam conatus intellectus ad possessionem veritatis, & quasi medium ad consequutionem illius: sed qui possidet rem, non conatur possessionem illius, nec adhibet media, vt eam consequatur: ergo qui rem aliquam intuetur, non poterit hoc ipso eius fidem, aut opinionem habere.

Hæc argumenta, tametsi veri speciem aliquam, ac 19
similitudinem præseferant, longè tamen ab eo aberrant. Ad primum, & secundum ex Scripturis, & Patribus desumptum respondeo, eorum testimoniis id solum conuinci, fidem esse eorum, quæ intuitiuè non videntur, quæque non apparent vi eius actus, qua fides est: hoc enim non prohibet, quominus sit rerum intuitiuè cognitarum, & clarè apparentium vi alterius actus realiter, aut virtualiter distincti à fide. Ad tertium similiter respondeo, assensum obiecto intuitiuè cognito præstitum non esse laudabilem, ac meritorium, si sit de obiecto intuitiuè cognito per illum actum; secus vero si per alium actum distinctum. Quare fides obiecti intuitiuè cogniti per intuitionem à se distinctam laudabilis tamen ac meritoria erit. Ad quartum respondeo, in primis non paucos deesse, qui probabiliter existiment, habitum fidei in patria remanere. Deinde illi ipsi, qui fidem in patria deperdi censent, magna ex parte id tuentur, non propter incompossibilitatem naturalem habitus fidei cum lumine gloriæ: cum igitur ipsi actus fidei, & intuitionis eam incompossibilitatem habeant, cum eorum principia duntaxat opponantur, ex solo libito, & arbitrio Dei volentis statum viatorum, & statum comprehensorum duplici illo habitu, quasi duplici charactere inter se distinguere, atque insignire. Ad postremum argumentum respondeo, intellectum multo magis perfectè possidere obiectum per fidem simul, & intuitionem, quàm per solam hanc: quare licèt intuens obiectum, illud possideat, poterit tamen ei fidem adhibere, non vt illud possideat absolutè, sed vt illud magis perfectè possideat: nec hoc erit applicare media ad finem inutilem, cuiusve vsum perfectum iam habeat. Hac ratione anima Christi plura, quæ intuebatur in Verbo, per scientiam discursiuam, & naturalem cognoscebat, quantumlibet discursus multo potiori iure sit applicatio mediorum ad possessionem veritatis, quàm fides.